HERMANNUS DIECKMANN

DE ECCLESIA

TRACTATUS HISTORICO-DOGMATICI



240303
D54
v.1

Digitized by the Internet Archive
in 2022 with funding from
Kahle/Austin Foundation

https://archive.org/details/deecclesia0000herm

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

DE ECCLESIA

TRACTATUS HISTORICO-DOGMATICI

QUOS SCRIPSIT

HERMANNUS DIECKMANN S.J.

*

TOMUS I

DE REGNO DEI
DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE

*

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXV
HERDER & CO.
TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Imprimi potest

Coloniae, die 16 Martii 1924

Bern. Bley S. J.,
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 2 Februarii 1925

✠ **Carolus,** Archiep.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

PRAEFATIO.

Tractatus sequentes De Ecclesia exhibent fere lectiones theologiae fundamentalis, quas auctor in Collegio Sancti Ignatii Valkenburgensi habuit inde ab anno scholari 1915/16.

Plura quidem decurrentibus annis addita, remota, mutata sunt; ipsa vero capita maiora eorumque ordo partiumque inter se conexio atque modus procedendi manserunt eadem atque ab initio delineata sunt. Eadem imprimis mansit divisio illa principalis, vi cuius quaestiones quaedam generaliores ad Ecclesiae naturam quae spectant seorsum exponuntur (*„De Regno Dei"*), deinde forma Ecclesiae ut tali propria, socialis videlicet et organisata (*„De constitutione Ecclesiae"*), tertio denique eiusdem munus doctrinale (*„De magisterio Ecclesiae"*). Quae divisio, licet non parum divertat a modo consueto quo tractatus De Ecclesia progredi solent, rationibus tamen sat bonis inniti videtur, quas explicabit *Introductio* huius operis. Cui liceat id unum addere, quod huius loci videtur esse: ut nimirum aliquo modo sensus exprimam gratae recordationis iis, qui ad scribendos hos tractatus plurimum profuere. Fieri etenim nequit, quin in Collegio studiorum, in quo alter alterum in munere docendi excipiat, certae quaedam ideae exarentur atque excolantur certaque methodus paulatim evolvatur; quae suo demum tempore maturescunt. Qua in re valet illud: „Alius est qui seminat et alius est qui metit." Auctor scilicet huius libri in labores aliorum, praecessorum in munere legendi, introivit atque eorum congregavit fructus. Ex quibus unum nominaverim, qui iam pridem (5 Februarii 1920) hac vita functus est, P. *H. I. Cladder;* quantum ei debeam, ipsae hae paginae, ut opinor, aliquatenus testantur.

Scopus deinde, quem hi tractatus prosequuntur, id effecit, ut quaestiones quaedam, large et profunde et dilucide a plurimis libris tractatae, brevius absolverentur, ut e. g. de notis Ecclesiae (*Assertio 22,* n. 575 sqq.); de obiecto secundario magisterii Ecclesiae (*Ass. 31,* n. 826 sqq.); de auctoritate Patrum doctrinali (*Ass. 33,* n. 867 sqq.); ad alias exponendas e contra fontium et testium uberior copia allata sit. Auctoris tamen intentio summa

eo dirigebatur ut nullam quaestionem, ad Ecclesiam quae pertinet, penitus omitteret; hinc adiecit in fine appendicem, scilicet *Conspectum dogmaticum* (n. 897 sqq.), quo illa quoque doctrinae capita, quae theologiam fundamentalem proxime non tangunt, saltem compendiose complecteretur.

Restat, ut de fontibus et auxiliis litterariis adhibitis et adhibendis pauca addantur. Supponitur, ut fas est, lectoris in manibus esse librorum sacrorum textum et originarium et versionis Vulgatae, porro editionem aliquam Patrum, maxime Apostolicorum qui vocantur, aliorumque scriptorum antiquissimorum. Praeterea autem in hoc opere allegantur identidem collectiones quaedam textuum excerptorum tum ex documentis Ecclesiae doctrinalibus (Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum, ed. *Denzinger-Bannwart-Umberg*) tum ex fontibus aliis, qui respiciunt Ecclesiae vel historiam (Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae, ed. *C. Kirch*) vel doctrinam (Enchiridion Patristicum, ed. *M. J. Rouët de Journel*). Quae enchiridia, sicuti sunt commodissima atque utilissima, ita lectores suos a studio ipsorum fontium integrorum non solum non arcere contendunt, sed potius ad eorum lectionem assiduam invitant et incitant.

Quodsi in fine operis addatur encyclica *Leonis XIII* de unitate Ecclesiae („*Satis cognitum*“ de die 29 Iunii 1896) et quidem integra, causa movens erat non solum auctoritas doctrinalis huius documenti, vel doctrinae de Ecclesia quam continet integritas, perspicuitas, profunditas, qua excellit, sed etiam ratio practica: ob qualitates modo indicatas apprime idonea videtur, quae compleat Conspectum dogmaticum de Ecclesia in appendice adnexum.

Et haec sunt, quae praefationis loco huic operi praemittenda esse videbantur.

Valkenburg, e Collegio S. Ignatii, die 5 Iunii 1924.

INDEX PARTIUM

quae continentur priore tomo.

(Numeri uncis inclusi sunt marginales.)

Pag.

INTRODUCTIO 1

I. De obiecto huius tractatus (1); de methodo dogmatica (2) et historica (3); quaenam supponantur (4); quaenam probanda sint (5) . 1

II. De ordine et methodo procedendi (6) 4

1. De ordine procedendi; tres quaestiones solvendae sunt: De Regno Dei (7–10); de Ecclesiae constitutione (11 sq.); de Ecclesiae magisterio (13) 4

2. De methodo, quae est historica (14—16) 9

Bibliographia (17 sq.); notae (19) 11

TRACTATUS I.

DE REGNO DEI.

Praemittenda (20) 14

Ratio tractatus (20 sq.) 14

De voce et conceptu Regni Dei:

a) De voce Regni Dei in V^{e} T°, in litteratura rabbinica, in N° T°; Regnum Dei et Regnum caelorum (22—26) 15

b) De conceptu Regni Dei (27 sqq.) 18

Bibliographia (30) et notae (31) 21

CAPUT I.

QUAENAM IDEAE MESSIANICAE TEMPORE CHRISTI VIGUERINT IN POPULO ISRAEL.

Quaestio 1. De testimonio librorum sacrorum Veteris Testamenti 23

Assertio 1. Idea Regni Dei in libris Veteris Testamenti expressa est idea paulatim evoluta alicuius regni theocratici, quod quidem iam ut praesens exsistit, attamen eatenus est relativum, quatenus conducet ad statum futurum perfectiorem, scilicet ad Regnum Dei (relative) futurum seu messianicum 24

Quid sit theocratia; quo sensu evolutio habeatur (34 sq.) . . 24

A. Fundatio Regni Dei Veteris Testamenti.

I. Tempus praeparationis foederis inter Iahve et Israel (36 sq.) 25

II. Tempus institutionis foederis sinaitici (38 sqq.) . . . 26

Pag.

B. Plena efformatio Regni Dei.

I. Tempus prophetarum et regum. Aetas iudicum et regum; munus regum et prophetarum (42 sqq.) 29

II. Tempus reorganisationis nationalis et religiosae . . . 37

1. sub regimine Persarum (53) 37

2. sub regimine graeco-romano; lites cum hellenismo (54 sq.), dispersio et propagatio (56 sq.) 37

Notae (58) 40

Quaestio 2. De testimoniis librorum Iudaeorum extracanonicorum et ethnicorum 41

Varia genera librorum non-canonicorum (59 sqq.); notio apocryphi (61) enumeratio fontium (62 sqq.) 41

Assertio 2. Ideam Regni Dei tempore Christi inter Iudaeos viguisse, et ut plurimum quidem sensu etiam messianico, ostendunt documenta tum Iudaeorum tum ethnica et christiana 46

I. Quidnam singula documenta testentur: Oracula Sibyllina (65); liber Henoch (66); liber Iubilaeorum (67); Testamenta XII patriarcharum (68); Psalmi Salomonis (69); Statuta Novi Foederis (70); Assumptio Mosis (71); liber IV Esdrae (72); apocalypsis Baruch (73); testimonia Philonis, Flavii Iosephi, Taciti, Suetonii (74); Schemone esre, Mischna, Talmud (75); Iustini, Hippolyti (76) . 46

Facta historica (77). 56

II. Diversae ideae messianicae (78), explicandae ex diversis condicionibus historicis (79) et diversis locis V^{is} T^{i} (80) . . . 57

Notae (81) 59

Quaestio 3. De testimonio evangeliorum . . . 60

De fontibus, nempe de evangeliis, eorum tempore et fide historica (82 sqq.) 60

Assertio 3. Secundum evangelia Regnum Dei a Iudaeis intellegebatur sensu messianico, qui tamen non fuit omnibus unus, sed aliis alius, ita quidem ut praevaleret exspectatio Regni religioso-terreni . . . 62

I. Expressio Regni Dei intellegebatur sensu messianico, secundum usum loquendi Ioannis Baptistae (85), ipsius Christi (86), populi (87) 62

II. Variae opiniones de Messia futuro erant in populo divulgatae in variis classibus populi (88), scilicet

1. Ideae messianicae „iustorum“ (89): Zachariae (90 sq.); Ioannis Baptistae (92); B. Virginis Mariae et Ioseph (93); Simeonis et Annae (94) 64

2. Ideae messianicae vulgi (95 sq.), quae se manifestant in tentationibus Christi (97). Quid testetur Evlo. (98). Ideae apostolorum (99) 69

3. Ideae procerum populi, sadducaeorum (100), pharisaeorum (101 sq.) 74

Notae (103) 76

CAPUT II.

QUONAM SENSU IPSE CHRISTUS REGNUM DEI A SE PRAEDICATUM INTELLEXERIT.

Quidnam fontes de exspectatione messianica Israel (104) . . 77

Scopus huius inquisitionis (105), eius fontes (106), ordo (107) . . 78

Pag.

Quaestio 1. De indole eschatologica Regni Dei . . 79

Sententiae eschatologistarum (108) 79

Assertio 4. Secundum evangelia Christus annuntiavit Regnum Dei non mere eschatologicum (transcendentale), sed etiam praesens, i. e. iam exsistens in condicionibus huius saeculi 80

Quae sint „ultima"; quod Regnum eschatologicum (109) . . 80

Rationes eschatologistarum (110), quo sensu Regnum Dei sit eschatologicum (111 sq.), ordo partium assertionis (113) 81

I. Regnum Dei est eschatologicum:

1. De indole transcendentali Regni Dei (114) et de adventu Christi altero, glorioso (115—117). Variae explicationes (118) 84

2. De relatione Regni transcendentalis ad hanc vitam secundum evangelia synoptica (119) et Ioannis (120) 88

II. Regnum Dei est etiam praesens:

Argumenta implicita, petita ex indole Regni Dei ethica, gratiosa, universali; ex relatione ad V^us T^um (121) . . . 90

Argumenta diserta, ex parabolis (122), ex textibus explicitis, scilicet Matth. 11, 12 sqq. (123); Matth. 12, 22 sqq. (124); Luc. 17, 20 sqq. (125); EvIo. (126) 91

Textus qui obstare videntur (127) 96

Scholion 1. De testimonio primaevae Ecclesiae (128 sq.) . . 97

Scholion 2. De voce Regni Dei in scriptis primae Ecclesiae, N^i T^i (130) et Patrum (131) 99

Notae (132) 100

Quaestio 2. De indole interna et externa Regni Dei . 102

Variae sententiae de Regni Dei indole interna (133) . . . 102

Assertio 5. Secundum evangelia Regnum Dei est quidem essentialiter et primarie internum, quatenus praebet dona praecipue interna atque postulat subiectionem sub voluntate Dei; simul autem est externum, i. e. societas aliqua religiosa externa et visibilis 103

Quo sensu Regnum Dei sit internum (134) 103

I. De indole Regni Dei interna et quidem

1. gratiosa (135), secundum evangelia synoptica (136 sq.) et Ioannis (138) 104

2. ethica, secundum evangelia synoptica (139 sqq.) et Ioannis (142) 106

II. De indole Regni Dei externa,

quae non repugnat indoli eius religiosae (143), sed ei ut organismo convenit (144) 109

Ita effata Christi implicita (145), explicita (146), expressiones formales (147), facta Christi (148) 110

Scholion. Testimonium Ecclesiae primaevae (149) 113

Notae (150) 113

Quaestio 3. De indole mere religiosa Regni Dei . 114

Variae sententiae (152) 114

Assertio 6. Secundum evangelia Iesus Christus praedicavit Regnum Dei non politicum, sed mere religiosum 115

Pag.

Quid sit Regnum Dei politicum, quid mere religiosum (153) . . 115

I. Regnum Dei non est politicum

Christus utrumque distinguit, non approbat ideas populi, fugit et recusat dignitatem regiam terrenam, quapropter reicitur ab Israel (154 sq.) 116

II. Regnum Dei est mere religiosum

1. Origo potestatis Christi est divina; munus regale coniunctum cum sacerdotali (156) 118

2. Regnum eius est supernaturale et religiosum (157) . . 119

Scholion 1. Testimonium Ecclesiae primaevae (158) . . . 120

Scholion 2. Num Christus (159 sqq.) et Ecclesia primaeva (162 sqq.) docuerint communismum 121

Notae (165) 125

Quaestio 4. De relatione Regni Dei a Christo annuntiati ad Vetus Testamentum 126

De qua re agatur (166) 126

Assertio 7. Secundum evangelia Christus oeconomiam Veteris Testamenti abrogatum iri indicavit eique novum ordinem religiosum substituit 127

De sensu assertionis (167), eius adversariis (168), fautoribus (169) 127

Pars I (praevia). Quidnam documenta contineant de partibus essentialibus Legis deque eius duratione 129

1. De partibus essentialibus secundum libros V^{is} T^{i} canonicos (170 sq.), extracanonicos (172 sqq.) 129

2. De duratione Legis secundum libros sacros (176) et extracanonicos (177) 133

Pars II. Quidnam Christus docuerit:

Quomodo procedere debuerit (178) 135

A. Christus agnoscit et observat Legem mosaicam (179), explicat relationem inter V^{us} T^{um} et Regnum Dei novum (180 sqq.) . 136

B. Christus abrogat V^{us} T^{um} eo quod Novum instituit:

I. Variis modis indicat Vetus Foedus abrogatum iri (184) loquens de sabbato et circumcisione (185), de cultu et templo, de puritate legali et lege morali (186); ratio quae sit abrogationis (187) 140

Israel reicietur (188 sq.) 144

II. Christus instituit Novum Foedus (190 sqq.) 146

Scholion. Testimonia primaevae Ecclesiae (194) et quidem Act. (195) et Pauli (196 sq.), temporis postapostolici (198 sqq.) . . . 149

Notae (201) 155

Quaestio 5. De universalitate Regni Dei . . 157

Ratio huius quaestionis (202); sententiae variae (203) . . . 157

Assertio 8. Regnum Dei, a Christo praedicatum et indole sua et expressa Christi voluntate est universale, i. e. destinatum pro omnibus hominibus omnium temporum 160

De notione universalitatis (205) et partitione assertionis (206) . 160

Pars I (praevia). De tendentiis universalisticis, tempore Christi inter Iudaeos vigentibus, et in libris sacris V^{is} T^{i} (207) et in aliis scriptis (208 sq.), quae apparent in propagatione et proselytis (210 sqq.) 160

Pag.

Pars II. De testimonio Iesu Christi:

I. Testimonium implicitum (indoles doctrinae) (213 sqq.) . . 166

II. Testimonium explicitum:

1. Explicatio textuum, qui partim specie tenus particulares (216), revera indicant universalismum Regni Dei, secundum evangelia synoptica (217 sq.); praeceptivi textus (219); EvIo. (220). Sequela (221) 167

2. De genuinitate textuum, imprimis Matthaei (222 sqq.), speciatim 28, 18 sqq. (225); quid de aliis evangeliis (226) . 173

Scholion 1. Testimonium primae Ecclesiae, imprimis Pauli (227 sqq.) et Act. (231) 178

Scholion 2. Testimonia postcanonica (232) 183

Quid de nationalismo in re religiosa (233) 184

Notae (234) 184

TRACTATUS II.

DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE.

PRAEMITTENDA:

1. De sensu et scopo huius tractatus. De notione societatis (235), constitutionis (236) eiusque origine (237). De relatione Regni Dei ad Ecclesiam (238). De duabus periodis in vita Christi publica (239 sqq.) 187

2. De divisione tractatus, qui agit de constitutione Ecclesiae Christi, de invenienda vera Ecclesia Christi (243 sq.) 193

Notae (245) 195

CAPUT I.

DE ECCLESIAE INSTITUTIONE.

De triplici statu Ecclesiae: initiali, fundamentali, formali (246) . 195

De divisione (247) et fontibus huius capitis (248) 196

Quaestio 1. De apostolatu eiusque auctoritate . . 197

De sensu et divisione quaestionis (249) 197

A. De apostolatus institutione.

Assertio 9. Christus collegit discipulos et asseclas, e quibus elegit Duodecim, qui ut tales formarent aliquod collegium et essent sui legati et apostoli 198

I. De discipulis (250), qui vario gradu secuti sunt (251 sqq.) Christum invitantem et vocantem (254 sqq.) 198

II. De electione Duodecim: Explicatio nominis; veritas historica electionis (257 sq.) 203

1. Testimonia evangeliorum (259 sqq.) et evangelistarum (262 sqq.) 205

2. Consensus primae Ecclesiae (265 sqq.) 210

De origine numeri duodenarii (268) 212

III. De fine collegii Duodecim seu de apostolatu: 1. de conceptu missionis et apostolatus (269); 2. de sententiis variis (270); 3. testimonium evangeliorum de nomine (271 sqq.) et missione apostolorum (275 sq.) 212

Pag.

Scholion 1. Testimonia postcanonica (277) 219
Scholion 2. De voce apostoli extra N^um^ T^um^ (278 sq.) . . . 220
Scholion 3. De apostolatu iudaico: post annum 70 (280 sqq.), ante annum 70 (283), deque eius relatione ad apostolatum christianum (284) 222
Scholion 4. De relatione inter Christum et apostolatum (285) . 227
Notae (286) 228

De Pauli apostolatu. Ratio huius quaestionis (287) . . 230

Assertio 10. Paulus eundem apostolatum accepit ac Duodecim . . 231

De sensu (288), fontibus (289), sententiis variis (290) . . . 231
I. De testimonio Actuum:
1. de apostolatu Duodecim: electio Matthiae (291 sq.) . . 233
2. de apostolatu Barnabae (293 sqq.) et Pauli (296 sqq.) . . 235
II. De testimonio Pauli:
1. De usu loquendi Pauli (300 sq.) 241
2. Paulus apostolatum sibi adscribit (302 sqq.) et probat (306) 243
III. De conceptu apostolatus in variis N^i^ T^i^ libris (307 sq.) . . 249
Variae sententiae de essentia apostolatus (309) 251
Scholion. Interpretatio historica apostolatus Pauli (310) . . 252
Notae (311) 254

B. De duodecim apostolorum potestate sociali.

De scopo huius partis (312) 254

Assertio 11. Christus dedit duodecim apostolis suis potestatem socialem (auctoritatem et iurisdictionem) et hierarchicam 255

De inaequalitate iuris socialis in Ecclesia (313); de notione societatis (314), auctoritatis et iurisdictionis (315), hierarchiae (316). Variae sententiae (317) 255
Probatio ex Matth. 18, 18:
De genuinitate (318), contextu remoto et proximo (319 sq.), sensu textus (321). Confirmatio ex Matth. 28, 18 sqq.; 16, 16 sqq.; ex ratione (322) 259
Scholion 1. De organisatione religiosa populi Israel tempore Christi, scilicet de auctoritate centrali synedrii (323) et locali synagogarum (324) 265
Scholion 2. De excommunicatione Iudaeorum (325) . . . 267
Notae (326) 268

De ratione assertionis sequentis (327) 271

Assertio 12. Christus instituit societatem visibilem, hierarchice constitutam, quam vocavit Ecclesiam suam 271

Quid sit societas (formaliter) visibilis (328 sq.), quid institutio Ecclesiae (330) 271
I. Christus instituit Ecclesiam ut societatem visibilem hierarchicam, secundum evangelium Matthaei (331 sqq.), aliorum evangeliorum (334) 273
II. Christus hanc societatem vocavit Ecclesiam suam (335) . . 278
1. De voce Ecclesiae (336) 278
2. Nomen reducitur ad Christum (337 sqq.); quaenam vox aramaica correspondeat graecae (340) 280

Pag.
Scholion. De „Ecclesia iudaica“ (341) 283
Notae (342) 284

Quaestio 2. De primatu Petro collato . . . 285

Praemittenda (343) 285

A. De genuinitate textuum.

Cur de Matth. 16, 17 sqq. speciatim agatur (344) 286

Assertio 13. Genuinitas et litteraria et historica Matth. 16, 17—19 scientifice certa est 287

De sensu assertionis (345) et variis sententiis (346 sqq.) . . 287

Pars I. De genuinitate litteraria:
Cur probetur, quomodo procedat probatio (350) 290
1. Testimonium testium, codicum, versionum, citationum (351 sq.) 290
2. Rationes internae, quae interpolationem excludunt (353 sq.); probatio ex forma textus (355) eiusque contextu (356 sq.) . 294

Pars II. De genuinitate historica:
Difficultas petita ex fictione evolutionis dogmaticae primitivae („Gemeindetheologie“) (358) 297
Consideratio generalis (359) et specialis (360) 297
Notae (361) 299

B. De sensu textuum.

Assertio 14. Primatus (iurisdictionis) Petro a Christo promissus (Matth. 16, 17 sqq.) eidem collatus est post Christi resurrectionem (Io. 21, 15 sqq.) 300

De sensu (362 sqq.) et sententiis (364) 300

I. Promissio primatus (Matth. 16, 17 sqq.):
1. Condicio pericopae (365 sq.) 302
2. Sensus pericopae: a) triplex metaphora (367 sqq.); b) verba soli Petro directa (371) 304

II. Collatio primatus (Io. 21, 15 sqq.):
De genuinitate huius textus (372 sq.) 309
Interpretatio (374 sq.) 311
Scholion. De traditione synoptica (376) 312
Notae (377) 313

C. De primatus et Ecclesiae perennitate.

Assertio 15. Christus voluit una cum primatu Ecclesiam esse perennem 314

De sensu (378) et variis sententiis (379) 314
Argumentum ex Matthaeo (380) et Ioanne (381) 316
Doctrina Pauli (382) 318

CAPUT II.

DE ECCLESIA, QUALIS FUERIT TEMPORE APOSTOLICO.

De ratione huius capitis (383); quod intellegatur tempus apostolicum (384) 319
Variae sententiae: democratica (385), conservativa scilicet et liberalis (386), charismatica (387) 321

Pag.

De fontibus huius aetatis (388), eorum ordine (389) et valore historico (390) 325
De Ecclesia universali et ecclesiis particularibus earumque relatione inter se (391) secundum Lucam et Paulum (392) . . 327
Notae (393) 329

Quaestio 1. De constitutione hierarchica Ecclesiae universalis 331

De sensu quaestionis (394) 331

Assertio 16. Tempore apostolico Ecclesia universalis erat hierarchice constituta 332

De sensu et modo procedendi (395) 332
I. De unitate christianorum, qui sunt (1) separati ab aliis et (2) uniti inter se (396 sq.) 332
II. De unitate externa, manifestata (1) eadem doctrina (398) et (2) eadem caritate communi (399) et (3) eodem cultu (400) . 334
III. De unitate organisata:
De sensu (401). Quid testetur (1) Lucas de organisatione universali (402) et de primatu Petri (403) 337
(2) Paulus de organismo Ecclesiae (404 sq.) eiusque auctoritate (406), de primatu Petri (407 sq.) 340
Notae (409) 344

Quaestio 2. De ecclesiarum particularium organisatione hierarchica 345

De nexu huius quaestionis cum praecedenti (410) 345

Assertio 17. Ecclesiae particulares, utpote in Ecclesia universali et per eam subsistentes, et ipsae hierarchice constitutae erant . . . 346

De sensu (411) 346
I. Testimonium Actuum:
1. De ecclesia hierosolymitana (412), in qua sunt septemviri et presbyteri (413) 347
2. De ecclesiis inter gentes: antiochena (414) et paulinis (415) 349
II. Testimonium Pauli:
1. In epistulis prioribus (416) sibi attribuit auctoritatem (417), quam agnoscunt christiani (418); ab eo eandem accipiunt legati sui (419) et praepositi locales (420) 352
2. In epistulis pastoralibus (421) etiam clarius idem apparet. Quid alii fontes testentur (422) 358
Scholion. De usu vocum „presbyteri“ (423), „episcopi“ (424), „diaconi“ (425) 361
Notae (426) 363

CAPUT III.

DE ECCLESIA, QUALIS FUERIT TEMPORE POSTAPOSTOLICO.

De ratione huius capitis 427); quodnam sit tempus postapostolicum (428 sqq.); de fontibus huius capitis (431) 365
Notae (432) 371

Quaestio 1. De organisatione ecclesiarum particularium seu de episcopatu 371

De nexu quaestionis (433) 371

A. De facto organisationis episcopalis monarchicae.

Pag.

Assertio 18. Tempore postapostolico singulis ecclesiis praeerant episcopi, ita quidem ut circa medium saeculum secundum episcopatus in omnibus ecclesiis plene constitutis fuerit monarchicus . . . 372

De sensu assertionis (434) 372

I. Conspectus chronologicus:
Controversia de celebrando paschate (435 sq.), Polycrates et Irenaeus (437), montanismus (438), Dionysius et Hegesippus (439), Ignatius (440), Chronica Arbelensis (441), testimonium Apocalypsis (442) 373

II. Conspectus geographicus:
Ecclesiae Palaestinae et Phoeniciae (443), Syriae et Ciliciae et Osroenes (444), regni Parthici (445), Cappadociae, Ponti, Bithyniae, Galatiae, Phrygiae (446), Asiae proconsularis (447), Cretae, Achaiae, Macedoniae, Thraciae (448), Italiae, Galliae, Germaniae, Hispaniae (449), Africae, Aegypti (450) 380

Scholion 1. De organisatione metropolitana ecclesiarum (451) . 388

Scholion 2. De successione episcopali apud Eusebium (452) eiusque catalogis (453) atque fontibus (454). Diversitas catalogorum ecclesiae romanae (455) 389

Notae (456) 392

B. De indole iuridica episcopatus.

Nexus (457) 394

Assertio 19. Consensus aetatis postapostolicae testatur non solum episcopos primos esse ab apostolis institutos, sed etiam eorum esse successores in munere apostolico ordinario; secundum quem consensum episcopi sunt hierarchici et iuris divini 394

De sensu assertionis quoad originem episcopatus (458) eiusque indolem hierarchicam (459) et monarchicam (460). Variae sententiae (461) 394

I. Episcopi ab apostolis instituti sunt:
Ratio illativa (462); testimonium Tertulliani, Clementis Alex., Irenaei (463) 397

II. Episcopi sunt originis et institutionis divinae:
De successione apostolica (464) 399
Catalogi episcoporum (465 sq.); testimonia priora: Ignatii (467 sq.) et Clementis Romani (469 sq.) et Apocalypsis (471) . 399

III. Vi successionis apostolicae munera apostolica essentialia seu ordinaria ad episcopos transierunt:
De sensu asserti, testimonium Ignatii (472) et Clementis Romani (473) 406

Scholion 1. De reliquis fontibus aetatis postapostolicae prioribus: Didache (474), Polycarpi (475), Pastoris Hermae, Iustini, Epistulae apostolorum (476); posterioribus: Tertulliani, Clementis Alex., Origenis (477) 407

Scholion 2. De idea successionis (478) 410

Scholion 3. De modo conferendi iurisdictionem (479 sq.) . . 412

Notae (481) 413

Pag.

Quaestio 2. De organisatione Ecclesiae universalis seu de primatu Romani Pontificis 415

Nexus (482) 415

A. De commoratione et episcopatu Petri romanis.

De sensu (483) 415

Assertio 20. Petrus Romam venit et ecclesiae romanae episcopus fuit 416

De sensu et sententiis (484) 416

I. De Petri commoratione romana:

1. Testimonia formalia: EvMarc. (485), 1 Petri, EvIo. (486), Clemens Romanus (487) eiusque testimonii impugnationes (488), Ignatius (489), Ascensio Isaiae, Papias, Phlegon, Dionysius, Canon Muratorianus (490), apocrypha (491), Polycrates et Gaius, Irenaeus, Tertullianus, Hippolytus, Clemens Alex., Origenes (492) 417

2. Testimonia virtualia: festa (493 sq.) et monumenta (495). Conspectus (496) 424

II. De Petri episcopatu romano:

De sensu (497); consideratio praevia (498) 427

Testimonia Ignatii (499), Hegesippi (500), Irenaei (501), dubia (502), Tertulliani, Anonymi (503), Cypriani, auctoris adversus aleatores (504); testimonium virtuale: imagines (505) . . 429

Notae (506) 434

B. De primatu iurisdictionis Romani Pontificis.

Nexus (507) 436

Assertio 21. Episcopus romanus est successor Petri etiam in eius primatu, idque iure divino 437

De ecclesia romana (508), de nexu inter ecclesiam romanam et primatum (509). Variae sententiae (510 sq.). Triplex via demonstrationis (512) 437

I. Argumentum historicum:

1. Conspectus testium: evangelia synoptica et Ioannis (513), Clemens Romanus (514), Kerygma Petri, Ignatius (515 sq.), Xystus (517), Marcion (518); influxus doctrinalis: symbolum, Canon Muratorianus, synodus palaestinensis; commercium epistulare (519), commercium personale (520), haeretici (521), computatio secundum episcopos romanos (522), exercitium primatus (523), Victor (524), Tertullianus (525), Hippolytus (526), Origenes (527), Cyprianus: de catholicae Ecclesiae unitate (528), epistulae ad Cornelium (529), ad Stephanum (530), epistulae 69—74 (531); Firmilianus (532), episcopi romani saeculi III: Fabianus, Cornelius, Stephanus; testimonium ethnicorum, auctoris adversus aleatores (533) . . . 440

2. Argumentum; quaenam ponderanda sint (534); gradus argumenti (535) 458

II. Argumentum illativum (536) 459

Scholion 1. Quidnam Concilium Vaticanum de primatu Romani Pontificis definiverit (537 sq.) 461

Pag.

Scholion 2. De condicionibus historicis ecclesiae romanae, scilicet de eius magnitudine et vigore (539), quae tamen non sunt ratio primatus (540), sed indoles religiosa (541) 462
Notae (542) 465

APPENDIX. De sententiis protestantium ad Ecclesiam quod attinet 467

De ratione huius appendicis (543) 467

A. Quidnam Luther de Ecclesia Christi docuerit.

De scopo et ordine huius partis (544) 468
I. Sententiae quaedam erroneae, ab Ecclesia damnatae ante Luther: waldensium, beguardorum, Marsilii Patavini (545), Wiclif, Hus (546), conciliarismi (547) 468
II. Doctrina quam proposuit Luther, eius scilicet ansa (548) et evolutio, qua primum quidem agnovit hierarchiam (549), sed eam mox destruxit (550) eique novam organisationem substituit (551), visibilem an invisibilem? (552 sq.) 472
III. Documenta: Confessio Augustana (554), Catechismus maior (555) 479

B. Sententiae quaedam recentiores inter protestantes vigentes de Christi Ecclesia.

I. Sententiae conservativae: I. Köstlin (556 sqq.), Chr. Bürckstümmer (559 sq.), charismatica (561) 480
II. Sententiae liberales: A. Sabatier (562), A. v. Harnack (563 sqq.), H. v. Soden (569 sq.) 484
Notae (571) 492

CAPUT IV.

DE ECCLESIA CHRISTI NUNC EXSISTENTE.

Praemittenda. De quanam quaestione agatur (572 sq.); quae sint viae ad veram Christi Ecclesiam inveniendam: historica nempe, illativa, empirica (574) 494

Quaestio 1. De via notarum, quibus vera Ecclesia Christi cognoscitur 497

Assertio 22. Notae verae Ecclesiae Christi verificantur in sola Ecclesia romano-catholica 497

De sensu assertionis (575 sq.) 497
I. Exsistunt notae verae Ecclesiae Christi, quae reduci possunt ad unitatem, catholicitatem, sanctitatem, apostolicitatem:
Variae sententiae: protestantium (577); catholicorum; conspectus historicus (578 sqq.) 498
Recte statuuntur notae indicatae (581): unitatis (582), catholicitatis (583), sanctitatis (584), apostolicitatis (585); reiciuntur notae a protestantibus statutae (586) 500
II. Notae istae verificantur in sola Ecclesia catholica (587 sqq.) . 505
III. De valore notarum ad cognoscendam veram Christi Ecclesiam:
Difficultas duplex (593) 509
De valore singularum notarum (594 sq.); de valore viae notarum methodico (596 sq.) 509
Notae (598) 512

Pag.

Quaestio 2. De via empirica 513

Delineatio huius viae (599); quid probare studeat (600); de valore praerogativo huius viae (601) 513

Assertio 23. „Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile“ (Conc. Vat. sess. III, c. 3; *D* 1794) 515

Explicatio sensus (602 sq.); consideratio Ecclesiae exsistentis (604) et agentis (605). Vis argumenti (606) 515

Ex historia argumenti (607 sqq.) 519

I. Propagatio admirabilis:

A. Factum (611 sq.) 521

B. Discussio secundum rationes promoventes (613 sq.) et impedientes (615 sq.). Comparatio (617) 523

II. Unitas Ecclesiae: Quaenam intellegatur (618); factum (619) et discussio (620) 527

III. Stabilitas Ecclesiae: Quaenam sit (621); factum (622) et discussio (623) 529

IV. Fecunditas Ecclesiae et sanctitas: Quaenam sanctitas (624). Ecclesia est sancta mediis (625) et fructibus: sanctitate nimirum personali membrorum (626), speciatim per ordines suos religiosos (627) et sanctos martyres (628), accedentibus donis charismaticis (629). De fructibus naturalibus et cultura (630) 530

Notae (631) 535

Index scripturisticus 539

Index nominum et rerum 543

ABBREVIATIONES.

CIC = Codex Iuris Canonici.

CB = (Corpus Berolinense) Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausgegeben von der Kirchenväter-Kommission der Königl. preuß. Akademie der Wissenschaften (zu Berlin). Leipzig, Hinrichs, 1897 sqq.

CV = Corpus (Vindobonense) scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis Academiae litt. caesareae Vindobonensis. Vindobonae 1866 sqq.

D = *Denzinger-Bannwart,* Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum. Ed. 14 et 15, quam paravit *I. B. Umberg,* Friburgi, Herder, 1922.

Ev = evangelium; *Evv* = evangelia.

K = *C. Kirch,* Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae. Ed. 4, Friburgi, Herder, 1923.

LG = Novi Testamenti Lexicon Graecum auctore *F. Zorell,* Parisiis 1911.

LXX = Septuaginta, versio Veteris Testamenti alexandrina.

MSG MSL = *I. P. Migne,* Patrologiae cursus completus, series graeca (Parisiis 1857 sqq.) resp. series latina (Parisiis 1844 sqq.).

NT VT = Novum Testamentum, Vetus Testamentum.

Vg = Biblia Sacra Vulgatae editionis *Sixti V.* et *Clementis VII.*

Asterisco (*) designantur in *Notis* opera, quae sententiam a doctrina catholica alienam tenere videntur.

INTRODUCTIO.

Introductionis est ea exponere, quae ad id inserviunt, ut obiectum et methodus alicuius disciplinae tractandae patefiant. Et prius quidem, si placet, de obiecto nostri tractatus agamus, dein pauca addantur de methodo, quam sequemur.

I. De obiecto huius tractatus.

1. Et *obiectum* (attributionis, seu subiectum) quidem huius inquisitionis, *Ecclesia* nempe *Iesu Christi,* eatenus notum esse supponitur, quatenus Ecclesia ab omnibus cognoscitur ut communitas religiosa eorum, qui Christum sequuntur. Ulterius interim Ecclesiam non determinamus, quia conceptus eius clarus, plene efformatus et expolitus nequit esse nisi scopus et fructus huius inquisitionis, in qua de Ecclesiae origine, natura, forma nobis agendum erit.

Iamvero haec inquisitio (secundum diversa obiecta formalia) *duabus viis* fieri potest, *dogmatica* nimirum et *historica.* Illa est consideratio theologiae stricte dictae (dogmaticae), haec vero theologiae, quae *fundamentalis,* minus apte etiam „apologetica" vocatur. Utraque via pertinet ad theologiam eique inservit, alio tamen atque alio modo. Dogmatica enim inquisitio est pars theologiae constitutiva; historica autem eius praeparatio et praeambulum, eius fundamentum, quo iacto aedificium demum construi potest. Iam ad singula.

2. 1. Tractatus *dogmaticus* seu stricte theologicus agit de Ecclesia Christi secundum doctrinam huius ipsius Ecclesiae, quae praeter alia continet etiam „dogma" (quod est veritas revelata et ut talis credenda ab Ecclesia proposita; *CIC* 1323, 1) de Ecclesia. Quod breviter enuntiatur in symbolis, e. g. in apostolico: „Credo in sanctam Ecclesiam catholicam" (*D* 2 sqq.), latius explicatur in plurimis decisionibus magisterii ecclesiastici, sive solemnibus et definitivis sive non-definitivis (*D* Index systematicus II, III; *F. Cavallera,* Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis magisterii ecclesiastici [Paris. 1920] 145—272).

Inquisitio igitur theologica *sequitur doctrinam Ecclesiae,* imprimis eius magisterium vivum, dein fontes ab Ecclesia ipsi tra-

ditos et expositos, sive hi fontes sunt sacri, inspirati scilicet et canonici (libri V^is et N^i T^i), sive sunt originis humanae, ut decisiones Ecclesiae, scripta Patrum et theologorum, documenta denique et monumenta cuiuscumque originis et generis, quae agunt de religione christiana. Quae omnia considerantur duce magisterio Ecclesiae et luce doctrinae eiusdem.

Certus etiam locus tractatui theologico de Ecclesia *in systemate* dogmatico competit et assignari potest. Postquam scilicet veritates de Deo uno et trino, de Deo creante et elevante, de Verbo incarnato, de iustificatione et gratia expositae sunt, apte inseritur discussio dogmatis de Ecclesia Christi, utpote „*depositorii*“ (*Irenaeus,* Adv. haer. 3, 4, 1) veritatis et gratiae Christi; idcirco ipsa Ecclesia magnum quoddam „sacramentum“ vocata est, cui nimirum ab auctore gratiae media gratiae concredita sunt. Ita iam ad ipsa haec media gratiae, sacrificium et sacramenta, plenius intellegenda via sternitur.

3. 2. Alia prorsus est eiusdem veritatis expositio, quae ad theologiam *fundamentalem* spectat[1]. Quae quidem minime negat, veritatem Ecclesiae esse revelatam, hinc obiectum fidei divinae ideoque dogmatice posse tractari non iure solum, sed etiam uberrimo cum fructu, cum explicatio dogmatica respiciat praeter magisterium Ecclesiae, de quo potissimum in theologia fundamentali, eius munus sacerdotale in sanctificandis hominibus. *Methodice* autem theologia fundamentalis exorditur ab alio capite ac theologia dogmatica. Haec enim *supponit, factum revelationis* esse certum, argumentum eius atque sensum constare auctoritate magisterii Ecclesiae. Theologia vero fundamentalis haec ipsa probanda sibi proponit, ita ut initium theologiae dogmaticae sit scopus et terminus theologiae fundamentalis, et fructus vicissim inquisitionis historicae sit fundamentum, cui scientia theologica stricte dicta superstrui possit, *certitudo* scilicet *de facto historico revelationis christianae* eiusque *argumento* et *ambitu.* Quae si habetur, theologia dogmatica munere suo fungi tuto potest, scilicet inquirere scientifice in veritatem, quam Christus hominibus revelavit. Religio enim christiana affirmat, se esse positivam et divinam, per Iesum Christum, legatum atque adeo Filium Dei, institutam ut universalem, quae secundum voluntatem Dei omnes omnium temporum futurorum homines complecteretur. Quicumque amplectitur hanc religionem, eius veritates credit ac tenet, eius media sanctificatoria adhibet, salvabit animam suam, i. e. Deo fruetur in caelis.

4. a) Iam patet talem assertionem tanti ponderis tantique influxus in vitam hominis totam admitti non posse sine *rationibus*

gravissimis atque *certissimis*. Ante omnia autem constare debet de eius *veritate historica*. Quisnam iste *Iesus nazarethanus* fuerit, quem fontes affirmant ante 1900 fere annos vixisse, oriundum ex gente Iudaeorum, ex stirpe regia David, ex Maria, desponsata Ioseph fabro. Fuitne legatus Dei? Estne Filius Dei incarnatus? hominibus missus ut eis voluntatem Dei manifestaret? Si ita fuerit, verba eius, quibus missionem suam explevit, revelatio divina revera sunt.

Et hanc quidem quaestionem iam *solutam supponimus*. Theologia enim fundamentalis praemittere solet tractatum *(philosophicum) de conceptu* vel *de theoria revelationis,* quae agit et de notione et de possibilitate et de cognoscibilitate revelationis, itaque fere circumscribit „statum quaestionis" totius theologiae fundamentalis, quippe quae contendit demonstrare factum revelationis christianae ut historice certum. Sequuntur deinde inquisitiones *historicae,* in quibus theologia fundamentalis eadem via ingreditur iisdemque mediis utitur, ac quaevis alia disciplina historica. Sicut enim in omni tractatu historico duae potissimum quaestiones solvendae sunt: de *fontium* nimirum *exsistentia* et *natura,* nempe de integritate, genuinitate, fide, et de *testimonio fontium,* quidnam contineant et edicant, ita in indagando facto revelationis christianae duo habentur tractatus. Et alter quidem, qui vocari solet *Introductio in N. T.,* agit de fontibus, alter autem, qui inscribitur *De Legato divino,* de eorum testimonio, *quidnam* Christus secundum hos fontes de se affirmaverit, quibusnam porro rationibus suum de se testimonium confirmaverit. Utrumque tractatum absolutum *supponimus* eo sensu, ut *certo constet,* et *de fide fontium* et de eorum testimonio, scilicet *Iesum* esse revera *Christum-Messiam* (immo Filium Dei) atque ut talem mundo *revelationem divinam* attulisse.

5. b) *Quaeritur* iam ulterius: *Ubinam* haec *revelatio christiana invenitur?* Quomodo homines nostrae aetatis facile et secure ad hanc revelationem pervenire possunt? Numquid litteris consignata exsistit in libro aliquo, omnibus pervio atque omnium intellectui adaptato? Numquid Christus alio modo providit, ut thesaurus huius revelationis — simul cum aliis donis, quae hominibus dedit — fideliter custodiatur et exponatur?

Quibus quaestionibus *fontes respondent, Christum condidisse* aliquam religionem universalem, et quidem aliquam *societatem religiosam,* cuius organisationem ipse determinaverit quamque vocaverit *„Ecclesiam" suam.* Huic Ecclesiae *omnia commisit,* quae ut legatus Dei hominibus communicavit, nempe et doctrinam suam

et gratiam, ita quidem, ut vi auxilii sui peculiaris et iugis influxus omnia integra illaesaque servarentur usque ad finem mundi. Itaque Ecclesia est *depositorium totius revelationis* christianae, magistra gentium, insignita auctoritate divina et charismate infallibilitatis. Hanc si homines sequantur, absque errore veritatem revelatam tramitemque vitae aeternae sequuntur. Ipsa quoque theologia scientifica inveniet in Ecclesia thesaurum indeficientem doctrinae Christi et fontem lucis scaturientem, qua illustrata profunditates revelationis perscrutari eiusque mysteria saltem ut talia cognoscere queat. *Theologia christiana* secundum voluntatem Christi est *ecclesiastica.*

II. De modo procedendi, de ordine scilicet et methodo.

6. Auctoritas, quam Ecclesia sibi adscribit, sane est maxima, quae admitti nequit sine gravissimis argumentis, cui submittere nemo sese poterit, nisi sibi certo constet de Christi, auctoris Ecclesiae, voluntate haud dubia. Demonstrandum est igitur, hanc auctoritatem a Christo Ecclesiae datam esse. De huius iam demonstrationis ordine et methodo pauca adicienda sunt.

1. De ordine procedendi.

7. a) Quoniam tota haec inquisitio in eo tandem est, ut eruat *intentionem* et *voluntatem* Christi, ipsa rerum natura suadet, ut eius dicta ex ordine recenseamus; ita enim mentem Christi certe attingemus. *Ordo* autem, quem sequi contendimus, est imprimis *historicus,* quem si minus in omnibus, saltem in aliquibus Domini verbis certo attingere possumus. Ad quae pertinet exordium praedicationis Christi: „Poenitentiam agite! appropinquavit enim Regnum caelorum!“ (Matth. 4, 17; „Regnum Dei“: Marc. 1, 15).

Quidnam sibi vult hoc *Regnum caelorum* vel *Regnum Dei?*

Respondet evangelium dicens, iam Ioannem Baptistam eadem verba ante Christum adhibuisse (Matth. 3, 2) iisque tempus *messianicum* instare annuntiasse; se ipsum esse Messiae praecursorem. Ex quibus infertur, Regnum Dei significare impletionem eorum, quae in V^{e} T^{o} praefigurata et praeparata erant, adventum salutis promissae, „plenitudinem temporis“ (cf. Marc. 1, 15). Ulterius autem *vox* a Ioanne et a Christo adhibita, Regni nempe Dei, aliqua ratione etiam *formam* huius salutis messianicae videtur indicare, quae scilicet communicatur plurimis, in *societate* aliqua seu *„regno“* congregatis, cuius regimen est penes Deum, similiter ac in Ve T^{o} Iahve erat rex Israel. Haec tamen opinio

confirmari debet ex positivis testimoniis, imprimis ipsius Christi, qui Regnum Dei annuntiavit.

Duplex ad hunc scopum consequendum panditur *via;* et altera quidem indagat in ideas et tendentias messianicas populi Israel, ad quem Ioannes et Christus verba sua dirigunt; supponunt enim, hanc expressionem ab auditoribus suis intellegi et quidem certo quodam sensu: quaeritur igitur, quisnam fuerit hic sensus. Atque haec est *via indirecta.* Altera via, *directa* et immediata, brevior et securior, est interpretatio vocis „Regni Dei" per ipsum Christum facta. Ita ad mentem Christi pervenimus.

8. α) Inquisitio nostra utraque via incedet, et primum quidem via mediata, inquirens in sensum, quem *populus Israel tunc temporis cum hac voce coniungebat.* Radix huius sensus certe habetur in *libris sacris* V^{is} T^{i}, qui ut sacri vitam et ideas religiosas Israel penitus determinabant, maxime ideas messianicas. Hi igitur fontes nobis erunt principales *(Assertio 1).* Praeter illos autem plurimi *alii fontes* agunt de exspectatione messianica populi Israel, tum iudaici tum aliarum gentium, qui, maxima ex parte iuniores libris canonicis, depingunt ideas messianicas vigentes tempore Christo propinquo, saeculo videlicet primo ante et post Christum *(Ass. 2).* Coniuncti cum libris sacris, exhibent notitiam sat amplam et certam sensus illius, quo Iudaei temporis Christi intellegebant „Regnum Dei". Fons autem primarius sunt *scripta* N^{i} T^{i}, maxime evangelia, quae cum agant de Christi praedicatione messianica, non possunt omittere varias populi opiniones de Regno Dei vel messianico circumlatas *(Ass. 3).* Et his quidem via indirecta absoluta est.

9. β) Multo gravior est altera quaestio, *quonam* scilicet *sensu ipse Christus Regnum Dei intellexerit* atque intellegi voluerit. Nam Christus, ut Legatus Dei atque Messias, verum sensum sui praeconii determinare unice potuit et debuit. Responsum uno verbo dari nequit, quia *conceptus* Regni Dei non est simplex, sed continet in se *complexionem notarum* et relationum, quae omnes et singulae determinatione et interpretatione indigent. Accedit, quod hae ipsae notae aliter ab aliis intellegantur et explicentur, aliae ab aliis relationes statuantur. Quae brevi conspectu hoc loco exhibeamus.

Regnum Dei, utpote messianicum, certe habet indolem *eschatologicam,* non solum, quia terminus eius ultimus tandem aliquando est caelum, sed ideo etiam, quia est ipse terminus evolutionis religionis V^{is} T^{i}, salus hominum definitiva et absoluta, quae vocatur „plenitudo temporis". Agitatur autem quaestio, *quo sensu*

indoles haec eschatologica intellegenda sit. Et *alii* quidem asserunt, Iudaeos tunc temporis considerasse adventum Regni Dei tamquam consummationem huius saeculi atque ordinis hoc in mundo vigentis, tamquam initium aetatis novae et mundi transformati, sub regimine scilicet Messiae gloriosi. Hanc autem expectationem Christum, quippe qui secundum eosdem auctores fuerit merus homo, Iudaeus, et ut talis subditus ideis etiam falsis suae gentis atque tributarius opinionibus sui temporis, participasse suamque vocationem messianicam ita concepisse, ut se futurum esse regem messianicum in regno venturo crediderit. Et ita quidem censent *eschatologistae* (extremi) qui dicuntur. *Altera* autem sententia e contra tenet et probat, Christum annuntiasse Regnum Dei, quod quidem ultimum terminum habeat in altera vita, attamen iam ut *praesens* exsistat in hac vita, in hoc mundo, in condicionibus quae nunc vigent et valent *(Ass. 4)*.

Quaestio de indole eschatologica Regni Dei est quodammodo praeliminaris, qua soluta ad propriam demum inquisitionem naturae huius Regni accedi potest. Sententia enim stricte eschatologica omnem ulteriorem disputationem praecidit. Quodsi Regnum Dei fuerit praesens, i. e. etiam in hoc mundo exsistens, quaeri potest, quonam modo nomen „regni“ in eo verificetur. Estne regnum ad instar regni alicuius politici? vel sicut Regnum Dei in V^{e} T^{o}, theocraticum scilicet? fortasse eius continuatio, renovatio? Responsum gradatim procedit.

10. Et primum quidem ex verbis Christi constat, *notionem regni vero sensu* inveniri in Regno Dei, quatenus nimirum Christus loquitur de aliqua communitate hominum externa, de aliqua *societate* veri nominis, quae complectatur cives huius Regni Dei. Sub hoc respectu vera similitudo intercedit inter Regnum Dei a Christo annuntiatum et Regnum Dei V^{is} T^{i} eiusque organisationem religiosam. *Non* ergo concepit Christus regnum suum ut *mere internum*, tamquam coniunctionem hominum, qui iisdem quidem vinculis cum Deo uniti sunt, itaque consensu aliquo *obiectivo* inter se cohaerent, at de exsistentia huius vinculi communis nullam notitiam habent; sed ut coetum hominum, qui certis inter se conexi relationibus externis, sciunt, se pertinere ad Regnum Dei et Messiae *(Ass. 5)*.

Haec autem natura externa et socialis, quam participat Regnum Dei cum theocratia V^{is} T^{i}, *nondum* probat *omnimodam similitudinem cum hoc Foedere Vetere*. Hoc enim fuit vera *theocratia*, i. e. simul et religiosa et politica, ordinans relationes etiam civiles et sociales populi Israel. *Regnum autem Dei novum non* est *po-*

liticum neque ulla ratione profanum (e. g. communisticum, ut aiunt), sed *mere religiosum,* quatenus directe non respicit nisi relationes hominis ad Deum *(Ass. 6).*

Quibus probatis iam urget quaestio, quaenam igitur sit *relatio Regni Dei* a Christo praedicati *ad Regnum* V^{is} T^{i}, a quo in nota aliqua essentiali discrepat. Christus respondet ipse: „Impletum est tempus!" (Marc. 1, 15.) V. T. erat promissio, typus, praeparatio, natura sua totum quantum relativum et praevium, quod novo condito pacto eo ipso abolitum est. Umbram fugavit veritas *(Ass. 7).*

Ita limites omnes, qui aliquando in veteri oeconomia salutis Israel ut populum electionis separarunt a ceteris gentibus, scissi et aperti sunt. Foedus Novum intercedit inter Christum et *omnes homines omnium nationum.* Regnum Dei novum iam *non* est *particulare* et *nationale,* sed *universale,* vera plenitudo salutis intensive et extensive *(Ass. 8).*

Et his quidem *primum tractatum „De Regno Dei"* absolvimus. Eius obiectum fuit, sicut videre est, potius consideratio quaedam generalis, quae adumbrat et delineat summa quaedam atque fundamentalia capita doctrinae Christi de sua Ecclesia, quae ipse suis auditoribus explicavit descriptione Regni Dei. Christum igitur secuti in hoc modo loquendi, disseruimus de *Regno Dei;* ipsum ulterius sequentes in proximo tractatu de *Ecclesia* eius disputamus.

11. *Ecclesia Christi* est religio illa, quam Iesus Christus condidit et cui ipse formam *societatis* dedit. Hinc duae iam quaestiones solvendae sunt, nimirum (1) de fine huius societatis; et (2) de eius forma. Et *finis* quidem societatis, utpote religiosae, nequit esse nisi religiosus, exercitium videlicet religionis ad sanctificandos homines; in religione christiana haec *sanctificatio* consistit in communicatione et participatione redemptionis Christi, per quam homines iustificantur et sanctificantur in hac vita, in altera vero beatificantur. Huic autem fini principali et supremo alius ex voluntate Christi, auctoris huius societatis, adnectitur et subordinatur; nam sicut ipse Iesus Christus revelatione et doctrina sua erat magister mundi, ita Ecclesiae suae tradidit munus *doctrinale* et magisterium authenticum et perenne. Theologia iam fundamentalis, cum de solo facto revelationis agat, respicit ut talis solum finem doctrinalem Ecclesiae, cui scilicet ex Christi voluntate concreditum est depositum revelationis christianae; alter vero finis, sacerdotalis, occasione data potius attingitur quam exponitur.

Antequam vero ad explicandum munus magisterii ecclesiastici accedimus, prius disputabimus de Ecclesiae *forma* sociali seu de

eius constitutione, ut constet, quomodo Christus societatem illam, cui suam gratiam et revelationem distribuendas commisit, organisaverit. Ordo itaque procedendi hic erit, ut agamus

in tractatu II: De constitutione Ecclesiae;
in tractatu III: De magisterio ecclesiastico.

12. b) Tractatus secundus, de *constitutione* Ecclesiae, genetice procedit, incipiens inde a primordiis vitae Christi publicae, a collectione nimirum discipulorum et electione duodecim apostolorum. Quaestio prima, quae occurrit, est de natura huius *apostolatus,* de eius scilicet origine *(Ass. 9)*; disputatio de apostolatu *Pauli* apte iam hoc loco inseritur *(Ass. 10)*, et de eius indole et munere, quod ad constitutionem Ecclesiae attinet, i. e. de auctoritate apostolorum *(Ass. 11)*. Christus itaque apostolis tribuens veram potestatem socialem factus est auctor societatis religiosae visibilis *hierarchicae (Ass. 12)*, et, cum huius societatis summam auctoritatem (primatum) uni Simoni Petro tradiderit, *monarchicae (Ass. 13 14)*, perennis *(Ass. 15)*.

Et haec quidem constant ex verbis ipsius Christi. Accedit, ut confirmatio peremptoria, *consensus Ecclesiae primitivae*, apostolicae et temporis subsequentis, qui ostendit, interpretationem verborum Christi propositam esse legitimam. Nam aetate apostolorum et Ecclesia universalis *(Ass. 16)* et ecclesiae particulares seu locales *(Ass. 17)* erant hierarchice constitutae, testibus imprimis Actibus et epistulis Paulinis. Forma autem huius organisationis et hierarchiae ecclesiasticae clare demum apparet post mortem apostolorum, in eorum scilicet successoribus. Inde enim ab aevo apostolico singulis ecclesiis praesunt episcopi (*Ass. 18)*, vera auctoritate hierarchica praediti *(Ass. 19)*; episcopus autem romanus est successor Petri non solum in ecclesia romana particulari *(Ass. 20)*, sed etiam in eiusdem primatu, ita ut ipse supremam sicut Petrus obtineat auctoritatem in Ecclesia *(Ass. 21)*.

Circumscripta ita constitutione Ecclesiae, in quantum ab ipso Christo determinata est, restat, ut (in *Appendice*) conspectu quodam *varias sententias oppositas,* imprimis protestantium, recenseamus, quo clarius appareat veritas interpretationis expositae.

Neque vero inde iam constat, *quinam* ex *coetibus* illis, qui *nostris temporibus* sese christianos vocant, sit *vera Christi Ecclesia*. Variae sunt viae ad solvendam hanc quaestionem. Brevissima longe et maxime tuta est via *historica;* concedentibus enim fere omnibus Ecclesia saeculi secundi, immo iam saeculi primi exeuntis, atque adeo iam primi decennii religionis christianae est eadem ac illa, quae hodie vocatur romana-catholica; et iure

quidem hoc asseritur; nam haec sola, episcopalis cum sit simul et primatialis, hierarchica et monarchica, unice congruit cum Christi voluntate. Alia via, excellens et aetate et dignitate, progreditur ex *notis,* quae competunt verae Ecclesiae neque inveniuntur nisi in Ecclesia catholica *(Ass. 22).* *Tertia* demum via, abbreviata, ex consideratione nempe Ecclesiae catholicae nunc exsistentis concludit ad eius veritatem ex *miraculo perenni,* quod habetur in eius permanentia, activitate, vita, sanctitate, fructibus uberrimis omnis generis *(Ass. 23).*

13. c) Tractatus denique tertii obiectum est *magisterium* Ecclesiae, scilicet eius exsistentia et indoles *(Ass. 24)* atque infallibilitas *(Ass. 25),* eius obiectum et directum, ipsa nempe revelatio *(Ass. 26)* et indirectum seu veritates annexae *(Ass. 27),* eius exercitium et organa, scilicet et episcopi singuli *(Ass. 28)* et magisterium universale *(Ass. 29)* et Romanus Pontifex, qui vel ex cathedra loquitur sensu definitivo *(Ass. 30)* vel alio modo non peremptorio docet, e. g. per Congregationes Romanas *(Ass. 31).* Ultima quaestio est de eius fontibus sive revelatis *(Ass. 32)* sive non-revelatis, ut dictis Patrum et Doctorum Ecclesiae *(Ass. 33).*

Coronidis instar in fine adnectimus conspectum quendam, qui *Ecclesiae integram* quodammodo exhibebit *imaginem,* munera eius, doctrinale et sacerdotale, et relationes eius atque conexiones cum ordine salutis, cui inservit, ut ita eluceat plenus eius splendor et gloria, simul autem appareat profundum mysterium, cuius perscrutatio, intellectum humanum his in terris excedens, reservata est vitae beatae atque visioni in caelis.

2. De methodo, quam sequemur.

14. Ex eis, quae initio de discrimine inter inquisitionem dogmaticam et historicam dicta sunt (n. 2 sqq.), iam patet, methodum huius tractatus, utpote theologiae fundamentalis, *non* posse esse *dogmaticam,* i. e. non procedere ex revelatione, quae et quatenus ab Ecclesia proponitur; esset enim, cum de exsistentia et auctoritate doctrinali ipsius Ecclesiae agatur, petitio principii. Hinc adhibenda est methodus et via, quae vocatur *historica*[2]*;* nam Ecclesiae origo, indoles, forma, vita, munera sunt totidem facta historica, mediis itaque historicis via historica eruenda.

Obiectum omnis *scientiae historicae* sunt facta historica; finis autem est horum factorum certa cognitio. *Media* porro, quae ad hunc finem obtinendum a scientia historica adhibentur, sunt *testimonia (fontes)* eorumque disquisitio, sive sunt *virtualia* (obiectiva), quae sicut monumenta, reliquiae, nummi, sola sua

exsistentia testimonium reddunt e. g. facti alicuius praeteriti, sive sunt *formalia* (diserta), quae ut documenta aliquid referre et testari intendunt, ut inscriptiones, opera litteraria historica et alia. Qui fontes *colligendi* sunt omnes et integri, *valor* eorum historicus *critice pensandus* est, num scilicet sint integri, genuini, i. e. revera illi tempori et illi auctori attribuendi, cui adscribuntur, num sint fide digni, i. e. num eorum testimonium assensum certum postulare atque fidem gignere possit.

Quibus praemissis *ipsum* iam *testimonium,* seu id quod fontes testantur, considerationi criticae submittendum est, singulorum fontium, si sint plures, effata coniungenda, comparanda, discernenda, combinanda erunt, donec acquiratur huius facti notitia maxime integra et certitudinis gradus ille, qui fontium auctoritati correspondeat (synthesis).

15. Eodem modo *nostra inquisitio* procedat oportet. *Fontes* quidem collectos iam et critice probatos invenit; sunt enim libri sacri N^i T^i et documenta primae aetatis christianae, plurimorum opera recensita. Quos igitur adhibemus ut fontes *mere historicos,* i. e. methodice abstrahimus ab indole sacra et inspirata librorum canonicorum et ab auctoritate religiosa, quae competit testimoniis Patrum Ecclesiae; examinabimus eorum dumtaxat valorem, quem ut fontes habent, similiter ac libri coaetanei non-christiani. Huius igitur inquisitionis erit, *ex fontibus* indicatis *colligere* quidquid continent de Christi Ecclesia, praecipue de eius constitutione et magisterio. In qua collectione sedulo incumbat necesse est, ut *universitatem* materiae comprehendat, nihilque, ne vestigia quidem parvi pendat vel omittat, ut quae contribuere possunt ad pleniorem Ecclesiae notitiam. Haec enim reverentia et quasi pietas debetur fontibus vel solum historice consideratis, debetur scientiae historicae, quae super cognitionem integram demum testium synthesim suam tuto construere poterit, debetur lectoribus, qui iure postulant, ut quae in fontibus afferuntur, perspiciant, debetur denique theologiae, cui haec inquisitio historica inservit ut pars praevia et fundamentum.

16. Certum quidem est et a nemine negatur, *non omnes rationes* afferendas *parem praebere certitudinem.* Sunt enim textus, qui indigent luce aliorum, ut aliquid ipsi ad probationem addant; alii, indicia potius dicenda quam argumenta, congerie et conspiratione sua, ope principii rationis sufficientis, maiorem minoremve pariunt certitudinem. Generatim argumentum conficitur ex paucis locis claris, quibus uniuntur plures alii, qui, de se probabiles, priores confirmant atque eorum valorem magnopere augent.

Methodus igitur historica comparari potest operi musivo, composito ex plurimis lapillis, quorum apta artificiosaque coniunctio imaginem depingit. Nefas igitur est, singulos dumtaxat lapillos considerare et, quod non totam effigiem exprimant, reicere.

Ita tandem pervenitur ad eum *gradum certitudinis*, quam scientia historica per se proxime parare potest, scilicet ad certitudinem *historicam* seu moralem quam vocant. Quae non raro etiam augeri potest, testimonio e. g. virtuali (monumentali), quod falsificationem omnem et interpolationem atque saepe etiam errorem interpretationis excludit; maior etiam acquiritur certitudo, quae evincitur vi principii rationis sufficientis, scilicet aliquando (reductive) metaphysica, praesertim ex consensu testium independentium; exemplum prostat in facto historicae exsistentiae Christi. Hanc ergo certitudinem assertionibus nostris vindicamus; nondum autem, quamdiu versamur in theologia fundamentali, *qualificationem theologicam* et dogmaticam, licet plurimis assertionibus simul, theologice consideratis, maxima certitudo tribuenda sit, quia scilicet ab Ecclesia ut revelatae et hinc ut dogmata fidei credendae proponuntur; at hic non ut talia considerantur.

Peculiaris quidam valor et vigor huic methodo ideo inest, quia *omnes textus*, assertiones, tractatus, non sunt totidem rationes diversae et inter se independentes, sed, cum arctissime inter se cohaereant, *unam* solummodo constituunt *demonstrationem*, quae ex plurium consono testimonio comparatur. Ita inquisitio nostra de Ecclesia considerari debet. Licet varii sint tractatus et, ob rationes practicas, plures assertiones, ipsa tamen inquisitio una manet, paulatim et gradatim progrediens, cuius singula membra, concatenata quasi inter se, convinciuntur, sicut partes aedificii aliae alias fulciunt et firmant, sicut lapides alicuius arcus unus alterum sustinet atque in loco suo retinet.

17. BIBLIOGRAPHIA. — Ex magno numero disputationum de Ecclesia, quae decursu temporum in lucem prodierunt, paucae quaedam hoc loco nominantur, quae scilicet vel indole sua vel copiosa et erudita quaestionum expositione prae aliis excellere videntur. Praeter multos tractatus, qui ut partes theologiae sive fundamentalis sive integrae de Ecclesia egerunt, mentionem honorificam merentur imprimis *Christiani Pesch* Institutiones propaedeuticae ad sacram theologiam (tomus I Praelectionum dogmaticarum, ed. 6ª et 7ª 1924)[3] et eiusdem Compendium theologiae dogmaticae I (ed. 2ª 1921). — Alii editi sunt, qui vel unice vel potissimum de Ecclesia disserunt. Ita iam controversistae saeculi XVI et XVII, Ecclesiam praecipue defendere eiusque naturam explicare coacti, optima quaeque composuerunt, quae hodie quoque magno cum fructu leguntur; sufficit vel unum *B. Roberti Bellarmini* Librum de controversiis christianae fidei (inde ab anno 1581) nominare. — Ex tempore recentiore

vero opera sequentia laudentur. Circa medium saeculum XIX scripsit *C. Passaglia,* De Ecclesia Christi commentariorum libros quinque (Ratisbonae 1853), praeclaros et eruditione et modo procedendi vere scientifico simul et singulari. — *I. B.* Card. *Franzelin,* quo inter theologos saeculi XIX vix maior reperitur, tractatum quidem de Ecclesia non publicavit, attamen in schedis reliquit commentarium, maxima ex parte absolutum, qui ut opus posthumum mox post eius mortem († 11. Dec. 1886) editus est: Theses de Ecclesia Christi (Romae 1887). Elucet in hoc opere pariter amplissima scientia et profunda dogmatis de Ecclesia penetratio. — Exeunte saeculo XIX et ineunte saeculo XX plures simul fere elucubrationes apparuerunt, inter quas *G. Wilmers,* De Ecclesia Christi libri sex (Ratisbonae 1897); *I. V. de Groot,* Summa apologetica de Ecclesia Catholica ad mentem S. Thomae Aquinatis (ed. 3ª, Ratisbonae 1906); porro utrumque superans opus ambitu *I. Ottiger,* De Ecclesia Christi ut infallibili revelationis divinae magistra. Volumen istud, quod numero paginarum (XXIII + 1061) aemulatur codices auctorum pristinorum, est tomus secundus Theologiae fundamentalis, cuius primus tomus (XXIV + 928) agit de revelatione supernaturali; tomus vero tertius, qui nondum prodiit, inscribitur De exercitatione infallibilitatis Ecclesiae Christi, et afferet totius operis indices, interim maxime desideratos. Laudantur huius operis eruditio ingens, quae omnes fontes omnesque opiniones etiam adversas respiciat, et dispositio clara, quae totum aedificium theologiae fundamentalis inde a primordiis erigit[4]. — Eiusdem fere ambitus, licet formae sat diversae, est liber *A. Straub,* De Ecclesia Christi (Oeniponte 1912), qui constat duobus tomis et universim complectitur 916 paginas, quibus tamen accedunt 89 aliae: Index nimirum alphabeticus nominum et rerum. Plures scilicet quaestiones auctor operi suo inserendas censuit, quae licet de se in aliis tractatibus doceantur, tamen „ad Ecclesiae veritatem asserendam vel uberius explicandam“ conferre possunt, e quibus ipsa praefatio (p. III sq.) aliquas exhibet. Methodum sequitur dogmaticam, ita quidem ut „elementa dispersa per tractatum ad argumentum . . . apologeticum componendum“ inveniantur (Introd. p. 4)[5]. Opus sane praeclarum iam ex eo, quod compleat tractatus mere apologeticos atque quaestiones alioquin derelictas proponat. Neque desunt monographiae integrae historicae; exemplo sit discussio testimonii Irenaei (Adv. haer. 3, 3, 2), n. 984 sqq. cum nota (p. 362—380). — Conclusionem facimus cum duobus libris, qui eodem anno 1920 in lucem prodiere: *Hil. Felder,* Demonstratio catholica: De Ecclesia (Apologetica seu Theologia fundamentalis in usum scholarum, II [Paderbornae 1920, VIII + 359 p.]). et *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia [2 tomi, Paris. 1920—1921; 280 + 359 p.)[6]. *Felder* agit de Ecclesia ut societate in priore sectione, in altera vero de Ecclesia ut magistra, modo lucido, facile perspectu, erudito. *M. d'Herbigny* non minore utitur claritate et perspicuitate; immo typis dispositionem et idearum progressum usque adeo exprimit, ut iam nimium quid factum esse videri possit. Methodum sequitur imprimis historicam, quatenus fontium fere universitatem affert, e quorum convergentia et conspiratione argumenta deducit. Attamen praeterea alios se respectus sequi

fatetur (I 4 sqq.), scilicet „methodum magis logicam", quae considerat Ecclesiam coetaneam ut factum atque perpetuum motivum suae credibilitatis (*D* 1794). Ita pervenit ad „methodum ex utraque mixtam, seu psychologicam" (p. 6). Hinc praeter textus plurimos ex S. Scriptura et Ecclesiae Patribus et theologis allatos in his voluminibus invenies testimonia numerosa alia, catholicorum et acatholicorum, ex litteratura gallica, anglica, germanica, slavonica, totidem indicia eruditionis rarae et plane eximiae.

18. Quibus tractatibus latino sermone conscriptis addere liceat alios quattuor, in suo quisque genere praestantes, scilicet *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche von den ersten Jahrzehnten der apostolischen Wirksamkeit an bis zum Jahre 175 n. Chr. (Mainz 1904), qui fontes eorumque testimonia systematice disponit et digerit. — *P. Batiffol* composuit historiam Ecclesiae primitivae (L'église naissante et le catholicisme [Paris 1908 ss.]), cuius laudes divulgant editiones mox sibi subsequentes atque versiones in alia idiomata (cf. *Batiffol-Seppelt,* Urkirche und Katholizismus [Kempten-München 1910], qui sequitur editionem tertiam libri primigenii). — Exigui sane ambitus, sed plenus et uber ideis etiam novis vel nove propositis est liber Die Kirche als Stiftung Jesu (Religion, Christentum, Kirche. Eine Apologetik für Gebildete III [^{5}1923] 1—163; etiam separatim prodiit), in quo *St. v. Dunin-Borkowski* breviter composuit fructus plurium studiorum et elucubrationum. — Mentionem hoc loco meretur articulus „Église" ex „Dictionnaire apologétique de la foi catholique" (I 1219—1300), quem conscripsit *Yves de la Brière.* — Alia etiam acatholicorum opera in decursu huius tractatus occasione data afferentur.

19. NOTAE. — **1** Cf. quae scripsi in Zeitschr. für kathol. Theologie XLVI (1922) 613 sqq. — **2** Cf. *A. Feder,* Lehrbuch der geschichtl. Methode, ^{3}Regensburg 1924. — **3** De quo *St. v. Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats, in Stimmen aus Maria-Laach, Erg.-Heft LXXVII (1900) 172. — **4** Cf. *H. Bruders* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXV (1911) 352 sqq. — **5** Plura ipse auctor in Zeitschr. für kath. Theol. XXXVIII (1913) 430 sqq.: Zu meinem Werk De Ecclesia Christi. — **6** Cf. Stimmen der Zeit CIII (1922) 461 sqq.; Zeitschr. für kath. Theol. XLVI (1922) 613 sqq.

TRACTATUS I.

DE REGNO DEI.

20. PRAEMITTENDA. — 1. *Ratio huius tractatus* de Regno Dei, quam in Introductione leviter attigimus, paulo fusius explicanda, forte etiam iustificanda erit.

Et ansam quidem haec nostra inquisitio desumit ex multiplici usu et consuetudine quadam, qua ipse Christus, loquens de regno suo messianico, hanc expressionem adhibuit. Prima etenim iam praedicatio Christi annuntiat initium temporis messianici tamquam adventum Regni Dei (Matth. 4, 17; Marc. 1, 15; cf. Luc. 4, 16 sqq.). Ratio vero interna, qua moti tractatui *De constitutione Ecclesiae* praemittimus alium *De Regno Dei,* in eo potissimum est, quod ipse Christus in praedicatione et doctrina de regno messianico gradatim procedit. Coepit enim Christus finem et formam huius regni, naturam eius et sortes coram populo et omnibus auditoribus suis adumbrare, ita ut summa eius capita haud obscure apparerent; postea vero paucos admodum, apostolos suos scilicet, ulterius in sui regni indolem introduxit. Haec autem diversitas provenit ex mutata populi Israel condicione: quamdiu nimirum Iudaei parati et dispositi esse videbantur, qui Christum ut Messiam agnoscerent, eius doctrinam admitterent, in eius regnum intrarent, Christus eis revelavit huius regni mysteria; quoniam autem, instigantibus pharisaeis et legisperitis, populus sese avertit a Christo atque indignum se reddidit salute messianica, regnum quidem messianicum nihilominus conditum est, sed super alio fundamento, iamiam praeviso et praeparato, scilicet super Petro et duodecim apostolis; idque vocavit Christus *Ecclesiam* suam.

Hanc partitionem secuti, nos quoque in primo tractatu agemus de Regno Dei ea intentione, ut in eo consideremus fere illud, quod in Christi instructione et doctrina de Regno Dei continetur. Videbimus hanc doctrinam complecti summatim bonum illud, quod Christus ut Messias hominibus allaturus erat, scilicet salutem tamdiu exspectatam messianicam, quae, prout varie consideratur, diversimode etiam nominatur, vel Regnum Dei, vel regnum messianicum, vel religio Christi, vel Ecclesia Christi; relationes inter

has denominationes in decursu huius inquisitionis dilucidandae erunt.

Scopus igitur et fructus huius tractatus est delineatio quaedam generalis regni messianici seu Regni Dei, quae tamen, cum Ecclesia sit Regnum Dei his in terris exsistens (cf. n. 121 sqq.), multas iam veritates de Ecclesia continet; probatis enim assertionibus huius tractatus de Regno Dei constat, Ecclesiam Christi esse secundum ipsius auctoris voluntatem veram societatem, mere religiosam, a theocratia V^{is} T^{i} diversam et distinctam, quoad tempus et locum penitus universalem.

21. 2. Iam patet ex modo expositis, inquisitionem hanc ferri imprimis *in mentem* et *intentionem Christi;* ipse enim ut auctor et fundator regni messianici et praeco divinus Regni Dei est unicus interpres authenticus voluntatis divinae, unicus igitur, qui authentice naturam et formam Regni Dei describere potest. *Aliorum* tamen *ideae messianicae* minime omittendae sunt, auditorum puta Christi, Iudaeorum, quibus Christus de Regno Dei locutus est. Ex eorum enim ideis et exspectationibus multa ex verbis Christi explicantur, quae alioquin forte obscura manent vel dubia. Ex hac consideratione fluit *partitio huius tractatus;* in priore nempe capite agimus de ideis messianicis, quae tempore Christi in populo Israel vagabantur; in altero vero de ipsius Christi mente et intentione.

22. 3. Antequam autem ad horum capitum expositionem aggredimur, *praeviae* aliquae *notitiae* de *voce* et de *conceptu Regni Dei* hoc loco videntur inserendae, quae licet partim aptius, si methodum consulimus, aliis locis explicentur, tamen initio positae multum contribuere poterunt ad faciliorem quandam rei perspicientiam; agunt enim de conceptibus atque terminis passim iam adhibendis.

a) De voce Regni Dei.

23. *In libris V^{is} T^{i}* [1] occurrit imprimis vox mèlech (מֶלֶךְ), ut plurimum de regno humano, saepius autem de Iahve et de Messia-rege; cuius derivata sunt meluchâh (מְלוּכָה sensu abstracto; regimen), mamlachâh (מַמְלָכָה sensu abstracto et concreto: regnum), mamlachûth (מַמְלָכוּת fere sicut mamlachâh), malchûth (מַלְכִּית sensu abstracto, raro concreto). — Expressio malchûth Iahvè (מַלְכוּת יְהוָה) semel invenitur in V^{c} T^{c}, scilicet 1 Par. 28, 5: „(Dominus) elegit filium meum, ait David, ut sederet in throno regni Iahve super Israel." Congruit alter textus, 2 Par. 13, 8: „Nunc ergo vos dicitis, quod resistere possitis regno Iahve (mamlacheth Iahvè ' י מַמְלֶכֶת), quod possidet per filios David . . ."; uterque textus magni

ponderis est ut Regnum Dei in V^e T^o bene intellegatur. Cf. insuper Ps. 21 (22), 29; 44 (45), 6; 102 (103), 19; 144 (145), 11 sqq.; Abd. 21.

Synonyma sunt fere haec: nagîd (נָגִיד, rex seu princeps; postea officialis minister); maschàl (מָשַׁל, regem esse, postea potestatem habere); ra'âh (רָעָה esse pastorem); schaphàt (שָׁפַט esse iudicem); et eorum derivata.

Sensus primigenius videtur esse: „regimen, potestas, maiestas regia“ [2], derivatus et secundarius: ambitus potestatis regiae vel eorum qui et quae eius regimini subsunt, „regnum“; pluries vel uterque sensus intellegitur vel difficulter sensus alteruter eliminatur.

In versione alexandrina (septuaginta interpretum quae vocatur) voce βασιλεία redduntur מְלוּכָה, מַלְכוּת, praeterea autem inveniuntur vocabula graeca δεσποτεία et δυναστεία pro מַלְכוּת Ps. 144 (145), 11 sqq.; apud Dan. ἐξουσία pro מַלְכוּת [3].

In *litteratura rabbinica* duo synonyma Regnum (Dei) Iahve (מַלְכוּת יְהוָה) et Regnum caelorum (מַלְכוּת שָׁמַיִם) idem significant, scilicet „regimen quod Deus, nomen suum et voluntatem suam manifestans, exercet in eos, qui ei adhaerent“ [4]. Et quidem Regnum Dei in huius mundi condicionibus et „in hoc saeculo“ quodammodo absconditum est, sed „in futuro saeculo“ gloriose manifestabitur atque ab omnibus gentibus agnoscetur.

24. Maioris sane momenti est *usus* N^i T^i. Et in eius quidem libris duae item expressiones habentur: Regnum Dei (βασιλεία τοῦ Θεοῦ) et Regnum caelorum (βασιλεία τῶν οὐρανῶν), ea quidem lege, ut prior vox usui sit omnibus fere sacris auctoribus et libris; scilicet EvMarc., EvLuc., EvIo., Act., Paulus, Iacobus, Petrus, Apoc. adhibent vel *Regnum Dei*, vel *Regnum Domini*, vel *regnum* sine ulteriore determinatione, cuius tamen sensus ex contextu patet. Ipse Matthaeus vero generatim utitur voce *Regni caelorum;* raro habet *Regnum Dei,* scilicet 12, 28; 21, 31 43; duobus locis: 6, 33 et 19, 24 lectio est dubia. Et in priore quidem casu, inspectis testibus ex utraque parte aeque fere bonis, difficilior est decisio, utrum τοῦ Θεοῦ sit additum an vero primigenium; Matth. 19, 24 vero plures iique optimi testes legunt *Regnum Dei,* scilicet אBCDΘ alii; *Regnum caelorum:* imprimis syr^{cur}, syr^{sin}, Clemens Alex. Praeferenda videtur prior lectio cum editione v. Soden et Vogels. Conspectu quodam usus loquendi EvMatth. ita exhiberi potest: Occurrunt

Regnum caelorum inde a 3, 2 tricies bis (ter)
Regnum Dei quinquies (ter) [6, 33;] 12, 28; [19, 24;] 21, 31 43;

Regnum (scilicet Dei) octies (septies);
Regnum Patris: (6, 13); 13, 43; 26, 29; cf. 6, 10: „Regnum tuum";
Regnum Filii hominis: 13, 41; 16, 28; 20, 21;
regnum diaboli: 12, 26;
regnum sensu profano: 4, 8; 12, 25; 24, 7.

25. Iam quaeritur, quaenam *relatio* intercedat *inter* duas istas expressiones: *„Regnum Dei"* et *„Regnum caelorum"*, et *cur nam EvMatth. praeferat* hanc prae illa.

Ad *primum* respondendum est, re quidem nullum intercedere discrimen inter utramque vocem. Tunc enim temporis iamdudum usu venerat, nomini Iahve substituere vocem caeli[5]. Exempla in ipsis evangeliis non pauca habentur. Ita Matth. 5, 34: „Ego autem dico vobis, non iurare omnino neque per *caelum,* quia thronus Dei est . . ."; 21, 25: „Baptismus Ioannis unde est? *e caelo* an ex hominibus?" (cf. Marc. 11, 30; Luc. 20, 4). Luc. 15, 18: „Pater, peccavi *in caelum* et coram te"; Io. 3, 27: „Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum *de caelo.*" Huc pertinet similis quidam usus loquendi Luc. 12, 8: „. . . Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei", qui scilicet „semper vident faciem patris mei, qui in caelis est" (Matth. 18, 10).

Antea idem usus observatur *in libris V^is T^i* et deuterocanonicis, e. g. 1 Mach. 3, 19: „de caelo fortitudo est"; 4, 10: „et nunc clamemus in caelum . . ."; cf. 9, 46; 12, 15; 2 Mach. 3, 15; 7, 11; et in protocanonicis, ut e. g. 2 Par. 32, 20; et aliis locis[6]. — Idem dicendum est de *apocryphis,* e. g. 3 Mach. 5, 56; 6, 17.

In libris denique *rabbinicis,* haec expressio „Regni caelorum" est communissima; exemplo sit tractatus *„pirqe aboth"* („dicta patrum", scilicet rabbinorum) ex *Mischna,* in quo invenitur expressio: „in nomine caeli" (Dei); effatum Rabban Gamliel: „qui inserviunt synagogae, laborent pro (eius membris) in nomine caeli" (ed. *Fiebig* I 2 c); dictum rabbi Iochanan, aequalis fere rabbi Akiba: „Omnis congregatio, quae fit in nomine caeli, stabit, quae non fit in nomine caeli, tandem aliquando peribit" (ed. *Fiebig* III c).

Argumentum vero *peremptorium,* re vera nullam esse sensus differentiam inter *Regnum caelorum* et *Regnum Dei,* habetur in *pericopis parallelis* trium evangeliorum synopticorum, in quibus Marcus et Lucas scribunt *Regnum Dei,* Matthaeus vero in eodem contextu *Regnum caelorum.* Idem probat usus loquendi Matthaei, qui promiscue adhibet utramque expressionem eodem plane sensu.

26. Quodsi quaeritur, *cur nam Matthaeus* vocem *Regni caelorum* prae altera praetulerit, responsum non est omnibus idem. Scilicet

vel evangelista hunc terminum introduxit, vel eum desumpsit ex ore Christi. Sunt qui asserant hanc expressionem fuisse sancitam usu loquendi synagogali et scholari *(Cremer)*; sunt qui teneant Matthaeum fuisse imbutum eruditione rabbinica, forte legisperitum; et fatendum est huic opinioni non leve pondus inesse, inspecta operis sui dispositione artificiosa *(Cladder)*: sunt qui provocent ad indolem et finem primi evangelii, quod, scriptum pro christianis ex Iudaeis conversis, eorum potius quam alii evangelistae modum loquendi respiciebat. At hae rationes minime ostendunt expressionem „Regni caelorum" a Matthaeo demum adhibitam esse, non vero ab ipso Christo. Aliis probabilius videtur esse hanc vocem ortum ducere ab ipso Christo, qui ea usus sit ad designandum regnum supernaturale, tantopere diversum a regno terrestri, quod finxerunt Iudaei; Matthaeum igitur servasse formam loquendi primigeniam ipsius magistri [7].

Restat ultima quaestio, *cur nam* scilicet aliquibus locis ipse *Matthaeus* habeat *Regnum Dei*. Ratio obvia possit esse ipse usus iam tunc in traditione synoptica praevalens. Insuper autem ex uno textu specialis forte ratio erui potest. Ita Matth. 12, 28 opponitur regno Satanae et Beelzebub *Regnum Dei;* immo in eodem versu est sermo de „spiritu Dei"; inde facilius intellegitur Regnum Dei. Reliquis vero in locis explicatio desideratur, nisi quis admittere velit, Matth. 12, 28; 19, 24; 21, 31 43 loqui de Regno, quod iam initium suum sumpsit *(Lagrange)* [8].

b) De conceptu Regni Dei.

27. Vocem Regni Dei vario sensu adhiberi in fontibus, iam dictum est; immo fontes N^i T^i, *usus* scilicet *ipsius Christi,* multiplicem sensum manifestant, quem hoc loco conspectu quodam exhibeamus. Simul *terminologia,* quam sequemur, iam nunc notetur; non enim omnibus est eadem.

Conceptus *regni* logice reducitur ad generaliorem *societatis* (de qua plura in secundo tractatu, in *Ass.* 11, n. 313 sqq.) et coniunctionis seu *unionis* plurium; haec autem est aliqua *relatio* et quidem, cum agatur de societate humana, relatio *moralis,* quae et quatenus fundatur in libera voluntate (hominum).

Societas, de qua in aliquo *regno* terreno agitur, est *politica* (forma videlicet societatis perfectae civilis: status) et simul *monarchica,* quae in eo est, ut potestas summa in societate seu potestas regendi resideat penes unum aliquem hominem, scilicet penes *„regem"* (de potestate monarchica plura postea *Ass.* 14, n. 362 sqq.). *Rex* autem ille tantum dicitur, qui proprio iure, non vero ex deputatione civium regit societatem civilem, ita quidem

ut potestatem regendi obtineat vel exclusive (absolute) vel non exclusive, ut in civitatibus plurimis recentioribus, constitutionales quae dicuntur.

Ex quo conceptu sponte fluunt quaedam distinctiones et divisiones, scilicet inter regnum *active* spectatum seu *regimen,* et regnum *passive* spectatum seu *regnum* sensu strictiore. Prius est ipsa potestas regendi societatem perfectam, cuius subiectum saltem principale est rex; alterum constituunt membra societatis, cives scilicet, in quantum potestati regiae subditi sunt. Sensu deinde *complexo* vox *regni* designat et regem et subditos, totam nimirum communitatem et societatem civilem, seu statum. Sensu denique *translato*, locali nempe, regnum significat *territorium* seu terrae partem, quae subest potestati politicae alicuius status[9].

28. Quae modo exposita sunt, iam *applicanda* sunt *ad Regnum Dei.*

Vi vocis Regnum Dei est societas hominum, quam Deus ut rex gubernat. Sensu quidem *generaliore* Deus regit omnia, quae creavit et condidit, legibus, quas ipse rebus indidit, sive physicis sive moralibus; hoc sensu Deus est rex hominum, quia eorum creator et dominus et finis. Hoc *Regnum Dei naturale* vocari potest.

Nos autem agimus de Regno Dei (praeternaturali vel) *supernaturali,* de eo nimirum, quod Deus condidit positiva sua voluntate, quam revelatione hominibus manifestavit, se videlicet hominum regem velle esse modo peculiari. Tale Regnum Dei *sensu stricto seu proprio* de se *vario modo* fieri potuit; historice notae sunt duae formae. Et *altera* quidem, quae proxime accedit ad conceptum regni politici humani, verificata est in *Foedere,* quod vocamus *Vetus,* scilicet quod Iahve pepigit cum singulari aliquo populo, Israel. Vi huius Foederis Israel regitur a Iahve tamquam rege suo, i. e. Deus est legislator, qui populo suo tribuit constitutionem legesque omnes, religiosas, civiles, sociales; est iudex, qui dirimit quaestiones, punit nocentes; administrat denique ipse regnum suum, munera singulis distribuens in bonum commune. Omnia autem munera, licet ab hominibus exerceantur, tamen nomine et auctoritate Dei tamquam regis administrantur, id quod clarissime apparet in institutione regis humani.

Altera autem forma, *Foederis Novi,* est in eo, ut Deus totum genus humanum omnesque gentes vocet ad Regnum suum, quod est altioris ordinis, gratiae scilicet supernaturalis. Haec iam forma, perfecta et absoluta, essentialiter superat priorem, V^{us} T^{um}, cuius est impletio. De hoc Regno Dei nobis agendum est; nam, ut ex sequentibus elucebit, hoc Regnum Christus annuntiavit.

29. Sicut conceptus regni naturalis et humani sub diversis rationibus potest considerari indeque variae surgunt *divisiones,* ita etiam in hoc *Regno Dei;* quas iam recensebimus, quo clarius ipse conceptus appareat.

Et primum quidem distinguitur *Regnum Dei active* spectatum seu Dei regimen, et *passive* spectatum seu coetus subditorum. *Regiminis* fundamentum est ipsa voluntas divina salvifica, quae omnes homines gratiae suae participes fieri vult eo, quod sese adiungant suo Regno. Ipsum vero *regimen* est ratio in mente divina exsistens, vi cuius Deus omnia ordinat in hunc finem communibus actibus obtinendum (cf. *S. Thom.,* S. theol. 1, 2, q. 93, a. 1). Eos deinde, qui iam sunt recepti in Regnum Dei, immediate regit in iis, quae ad fines Regni spectant, per munera quae instituit. Ad regnum vero *passive* spectatum pertinent homines omnes, sive de iure (quatenus ex voluntate Dei obligantur ad ingressum) sive de facto, ii nimirum, qui hunc coetum ingressi sunt (initiatione baptismi).

Altera divisio Regni Dei profluit ex natura societatis: in omni enim societate humana membris certa *bona* obveniunt, illa nimirum, ad quae obtinenda societas fundata est (bonum commune seu sociale), sed etiam certa *onera* imponuntur, quia nimirum bonum commune obtineri nequit nisi cooperatione membrorum. Simile quid obtinet in Regno Dei. *Gratia* scilicet Dei est *donum,* est bonum illud commune, ad quod adipiscendum homines hanc societatem ingrediuntur; sed haec gratia ex voluntate Dei requirit *cooperationem* hominum, imponit certas *obligationes* et *onera,* postulat difficilia, sacrificia. Aliis verbis: Regnum Dei primarie quidem est donum et gratia, sed simul est subiectio sub Dei beneplacito et impletio voluntatis divinae. Regnum Dei ut donum et fruitionem huius doni vocabimus *Regnum Dei gratiosum;* Regnum Dei ut subiectionem vocabimus *ethicum.* Et haec quidem nomina interim adhibemus, licet conscii ea non omnino apta esse.

Utrumque Regnum Dei — si ita loqui fas est — ulteriores includit divisiones. Et Regnum quidem ethicum, subiectio nempe sub voluntate Dei atque eius impletio, est imprimis *internum,* sicut ipsa gratia eiusque fruitio sunt essentialiter internae; cum tamen membra Regni Dei, homines videlicet in terra constituti, sint simul entia corporalia, visibilia, socialia, Regnum Dei *simul* induit indolem *externam,* verae scilicet societatis humanae, cuius membra inter se uniuntur vinculis externis. Ideoque distinguimus *Regnum Dei internum* et *externum.*

Bona denique Regni Dei non omnia iam hisce in terris eius civibus communicantur; alia sunt *praesentia,* ut ipsa gratia et

ius ad hereditatem; alia autem *futura,* ut gloria et visio. Hinc distinguimus *Regnum Dei praesens* et *futurum;* et praesens quidem iam nunc exsistit, in condicionibus huius vitae; futurum autem in altera vita, sive pro singulis hominibus post mortem, sive pro genere humano post iudicium ultimum. Et hoc quidem etiam *eschatologicum* vocatur, quia complectitur hominis vel generis humani res ultimas (τὰ ἔσχατα), statum definitivum. Quoniam autem Foedus Vetus, uti probandum erit, totum quantum erat promissio et praeparatio Novi Testamenti, quod cum Christo redemptionem generis humani et gratiam allaturum erat, hinc ipsum *Foedus Novum relative ad Vetus* est *futurum* et vero sensu *eschatologicum;* nam adduxit oeconomiam salutis absolutam. Ita iustificatur divisio in *Regnum Dei relative futurum* (Novum Testamentum) et *absolute futurum (transcendentale)* seu statum omni ex parte absolutum in altera vita.

Quibus explicatis iam patet has divisiones non scindere Regnum Dei in varias provincias, sed tandummodo *diversos respectus* exhibere unius eiusdemque oeconomiae salutis, quam Deus in N° T° instituit, quibus scilicet conceptus Regni Dei penitus perspiciatur. Est enim complexus[10], varias in se continens notas, quas singulas iam in sequentibus assertionibus elucidare oportebit.

30. BIBLIOGRAPHIA. — Conceptus quidem Regni Dei, sicut ipsi Christo, ita etiam scriptoribus christianis erat familiaris[11], in tractatu tamen *De Ecclesia* forte non tantopere excolebatur. Ultimis tamen temporibus etiam plura de eo scripta sunt sive monographice sive in disputationibus de Ecclesia. *Protestantes* enim ab hac voce progredientes, paulatim eo pervenerunt, ut sicut *eschatologistae* negarent non solam doctrinam catholicam de Ecclesia, sed omne eius fundamentum. Ex quibus hoc loco nominare sufficiat *I. Weiss*,* Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes, ed. 2ª, Göttingen 1900; idem aliqua de historia conceptus congessit: Die Idee des Reiches Gottes in der Theologie, Gießen 1901. — Similia profert *F. Krop*,* La pensée de Jésus sur le royaume de Dieu d'après les évangiles synoptiques, Paris. 1897. — *A. Loisy*,* L'évangile et l'église, Paris. 1902. — Alii protestantes, et *liberales,* sicut *A. Harnack*,* Wesen des Christentums, Leipzig 1901, et *conservativi,* sicut *W. Lütgert*,* Das Reich Gottes nach den synoptischen Evangelien, Gütersloh 1895, defendunt indolem mere *internam* Regni Dei.

In tractatibus *catholicis* non quidem defuerunt expositiones, quae relationes inter V^{us} T^{um} et Ecclesiam perscrutatae sunt; exemplo sit *I. B. Franzelin,* qui inter theses suas habet sequentem III: „De statu adhuc imperfecto et perficiendo Ecclesiae veteris oeconomiae" (p. 23 sqq.); large *Yves de la Brière,* „Église", in Dict. apolog. I 1219—1230; *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia, statuit primam thesim (I 13 sqq.) „De exspectatione iudaica", scilicet: „Incipiente in Iudaea Romanorum regno, cultores

religionis iudaicae, sacris suislibris edocti, eam ex spectabant divini cultus renovationem, qua inciperet in terra REGNUM DEI universale et perpetuum." — Accedunt tractatus integri ut e. g. *B. Bartmann,* Das Himmelreich und sein König. Paderborn 1904; *idem,* Das Reich Gottes in der Heiligen Schrift (Bibl. Zeitfragen V, 4./5. Heft, Münster 1912); *J. Frings,* Die Einheit der Messiasidee in den Evangelien (Katholik XCVII [1917 I] 15 sqq. 93 sqq. 173 sqq. 233 sqq.; separatim Mainz 1917); *A. Reatz,* Jesus Christus. Sein Leben, seine Lehre und sein Werk (Freiburg 1924) 167 sqq.; alii libri in decursu tractatus allegabuntur.

31. NOTAE. — **1** *Julius Boehmer*,* Der alttestamentl. Unterbau des Reiches Gottes (Leipzig 1902), affert conspectum textuum, ex libris dumtaxat protocanonicis V^{is} T^{i}, in quibus varia synonyma Regni Dei occurrunt: mèlech de regibus humanis circiter 3000 locis, de Iahve 53, de diis ethnicis 13 locis: accedunt 288 loci, in quibus inveniuntur derivata huius vocis. Dein prosequitur alias voces synonymas, supra indicatas. — **2** Cf. *F. Zorell,* Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 581 sqq.; *LG* sub voce βασιλεία. — **3** *Cremer-Kögel*,* Wörterbuch der neutestamentlichen Gräzität. ^{10}1911, s. v. βασιλεία; cf. *E. Schürer*,* Gesch. des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi II (4. ed.) 628 sq. — **4** *Strack-Billerbeck*,* Kommentar zum Neuen Testament aus Talmud und Midrasch. I: Das Evangelium nach Matthaeus (München 1922), ad Matth. 4, 17 (172 sqq.) plures textus collegit ex libris apocryphis et rabbinicis; ad Matth. 11, 29 „iugum meum" alios de varia significatione iugi (608 sqq.). — **5** Cf. *G. Dalman*,* Die Worte Jesu mit Berücksichtigung des nachkanonischen jüdischen Schrifttums und der aramäischen Sprache. I: Einleitung und wichtige Begriffe, Leipzig 1898. VIII: Vorsichtige Redewendungen von Gott 167 sqq.; in eodem libro *de Regno Dei:* I. Die Gottesherrschaft 75 sqq. — **6** *Ed. König*,* Gesch. der Alttestamentl. Religion kritisch dargestellt (^{2}Gütersloh 1915) 535 n. 4, putat voci Iahve expressionem Dei paulatim substitutam esse, crescente nimirum claritate, qua monotheismus perspectus sit: ipse tamen König non supponit monolatriam fuisse ante monotheismum. — **7** *M.-J. Lagrange* O. Pr., Évangile selon S. Matthieu (Études Bibliques, Paris. 1923) 47. — **8** *Idem* l. c 412. — **9** *G. v. Hertling* in Staatslexikon III^{3} 1190 („Monarchie"); IV^{3} 1445 („Staatsgewalt"). — **10** *St. v. Dunin-Borkowski,* Die Kirche als Stiftung Jesu (*Esser-Mausbach,* Religion, Christentum, Kirche III^{5} [1923]), ita describit Regnum Dei: „Die neue Zeit der Gnade und des messianischen Heils, welche Jesus Himmelsherrschaft nennt, ist aber in seinem Munde keine abstrakte Größe; er meint eine Zeit, wie wir von einer Zeit der Pharaonen, von einer Zeit Innozenz' III., vom Zeitalter Ludwigs XIV. und des Korsen reden. Das Gottesreich ist kein Gebiet, sondern eine Herrschaft, ein gnadenvolles Walten Gottes über Denken, Wollen und Fühlen des Menschen; es ist eine Gottesgabe, ein Heil, aber kein rein unsichtbares; denn es äußert sich in großen Gnadentaten Gottes, in der Anerkennung des Herrn und seines Gesalbten, im Aufleben einer Gemeinde von Gläubigen und Heiligen. Aber es stellt auch Forderungen an den Menschen. Es ist eine Aufgabe, die sie erfüllen sollen: eingehen und sich eingliedern in das Reich, dessen ‚Joch' sie auf sich nehmen in Unterwerfung und Hingabe. Die Gottesherrschaft umfängt Erde und Himmel, die Gegenwart und eine ewige Zukunft, die allen sichtbare Erscheinung des Gesalbten und seine einstige glorreiche Wiederkunft. Die Gottesherrschaft ist eine einheitliche Größe, in jeder ihrer Erscheinungen spiegelt sich das ganze, in Jesus Christus erschienene und der Menschheit vom Vater gesandte Heil. Sie wird von Jesus als ein Zustand

beschrieben, in welchen die Menschen gleich eintreten und den sie ewig genießen können" (p. 10). – **11** Cf. *I. Niederhuber,* Die Lehre des hl. Ambrosius vom Reiche Gottes auf Erden (Forschungen zur christl. Literatur- und Dogmengeschichte IV, 3./4 Heft), Mainz 1904; *Th. Specht,* Die Lehre von der Kirche nach dem h. Augustin (Paderborn 1892) p. 6.

CAPUT I.

QUAENAM IDEAE MESSIANICAE TEMPORE CHRISTI VIGUERINT IN POPULO ISRAEL.

32. De *fine* et *indole huius capitis* in praemissis iam fuit sermo. Quaeritur scilicet de voce et conceptu *Regni Dei,* quod est obiectum primum et principale praedicationis Christi. Undenam haec vox? Qui eius sensus? Quomodo expressio haec sensum messianicum acquisivit? Haec fere solvenda sunt in hoc capite.

Ad quem finem obtinendum fontes ex ordine interrogabimus; et primum quidem *fontes sacros populi Israel;* deinde alia documenta, quae aliquid lucis afferre poterunt de spe messianica populi Israel, sive iudaica sive ethnica; tandem fontes christianos, evangelia nimirum quae narrant historiam Christi eiusque praedicationis.

Quaestio 1. De testimonio librorum sacrorum Veteris Testamenti.

33. Cum in inquisitione historica versemur, libros omnes, ipsos quoque sacros, ut *fontes historicos* dumtaxat consideramus et adhibemus. Tempore enim Christi libri iam omnes, qui nunc in canone V^{is} T^{i} leguntur, scripti erant; immo longe maxima eorum pars pro sacris et canonicis habebatur, certe libri canonis qui *Esdrinus* seu *Palaestinensis* vocatur (39 librorum), probabiliter etiam alii ex sic dictis *deuterocanonicis*[1]. Sed missa hac quaestione, ex ipsis libris N^{i} T^{i} constat, corpus librorum V^{is} T^{i}, quale nos nunc legimus, summae auctoritatis fuisse pro vita religiosa et ideis messianicis populi Israel tempore Christi; nam plurimi libri V^{is} T^{i} *citantur* in N^{o} T^{o}; *allusiones* vero et „reminiscentiae" quae vocantur, ad omnes, protocanonicos et deuterocanonicos, libros V^{is} T^{i} habentur[2]. Nos igitur, quaerentes radicem vocis Regni Dei et indagantes in indolem spei messianicae, quae tempore Christi vigebat, iure hos ipsos fontes religiosos adimus, ex quibus vita Iudaeorum religiosa tota alebatur.

Historice porro tuto omittere possumus discussionem *quaestionum criticarum,* de origine, tempore, fide historica singulorum

librorum V^{is} T^{i}; eos nimirum in summa referre evolutionem historicam populi Israel vix iam ab ullo auctore negatur, licet in explicatione eorum, quae narrantur, maxima sit opinionum diversitas. De his autem quaestionibus conferendi sunt libri, qui introductionem in V^{us} T^{um} praebent.

ASSERTIO 1. Idea Regni Dei in libris Veteris Testamenti expressa est idea paulatim evoluta alicuius regni theocratici, quod quidem iam ut praesens exsistit, attamen eatenus est relativum, quatenus conducet ad statum futurum perfectiorem, scilicet ad Regnum Dei (relative) futurum seu messianicum.

34. Quoniam in *Praemittendis* de *Regno Dei* atque etiam de discrimine inter Regnum Dei praesens et futurum egimus (n. 29), reliquum est, ut breviter explicemus conceptum *theocratiae*. Et *Flavius* quidem *Iosephus*, loquens de constitutione politica populi sui, ita scribit: „Noster autem legislator (Moses) missis his omnibus (formis regiminis politici) theocratiam — ut voce utar paulo duriore — ut formam (nostrae) reipublicae instituit, Deo videlicet tribuens principatum et auctoritatem“ (Contra Apionem 2, 16)[3]. Loco igitur auctoritatis humanae seu regis humani ipse Deus tenet summam potestatem politicam alicuius reipublicae, i. e. Deus est et legislator, et iudex et vindex, et administrator omnium rerum, quae ad bonum civile spectant, non solum religiosarum (quae ordinant relationem directam hominis ad Deum), sed aliarum quoque, politicarum, oeconomicarum, materialium. Breviter igitur definiri theocratia potest: Regnum simul religiosum et politicum.

Ut talis theocratia verificetur, requiritur quidem, ut Deus suam voluntatem revelatione aliqua manifestet, ut legislatorem agat et populo suo constitutionem politicam tradat, ut munera creet, quae deinceps suo nomine exerceantur; sed non requiritur, ut haec munera omnia ipse administret. Sufficit, ut his muneribus, a Deo immediate institutis, homines fungantur, dummodo vices gerant Dei, eiusque auctoritate instructi in nomine ipsius agant. Atque ita fuit in V^{is} T^{i} theocratia, in qua sacerdotium et (postea etiam) potestas regia erant munera a Deo instituta, quae proinde administrari non potuerunt nisi nomine et auctoritate Dei.

35. Haec tamen theocratia et haec forma Regni Dei in V^{e} T^{o} non statim ab initio plene et perfecte aderant, sed praeparatae et paulatim evolutae sunt, et hoc quidem sub duplice respectu. Altera est *evolutio historica* et realis; *Israel* enim sese evolvit ex familia patriarchae Abrahae, quae decursu temporum crevit in tribum et in gentem et in populum, et postquam proprium territorium acquisivit, in nationem ceteris aequalem. Populus Israel,

qui habitavit terram Chanaan, constituit *Regnum Dei*. Altera evolutio est *idealis* potius dicenda; ipsa enim *idea Regni Dei* et theocratiae paulatim populo innotuit, revelationibus videlicet iteratis a Deo factis, donec conceptus clarus atque ipsa etiam vox circumscripta appareret.

Expositio iam huius assertionis sequetur hanc duplicem evolutionem, qua simul eluceat praeparatio Regni Dei, quod Christus annuntiavit, et simul sensus huius vocis patefiat. Inde etiam *ordo procedendi* determinatus est; est etenim *historicus* et *chronologicus;* prosequemur singulas periodos huius evolutionis, duas nempe praecipuas, (A) fundationis huius Regni; (B) efformationis eiusdem. Et prior quidem periodus complectitur tempus inde ab electione Abrahae usque ad foedus, quod Iahve pepigit cum Israel in monte Sinai; altera autem periodus continet efformationem et evolutionem huius foederis in *Regnum Dei* formaliter tale, scilicet (I) tempus iudicum, prophetarum, regum; (II) tempus renovationis post exsilium Babylonicum usque ad praedicationem Christi.

A. Fundatio Regni Dei Veteris Testamenti.

I. Tempus praeparationis. Foedus pangitur inter Iahve et Abraham eiusque descendentes. *Fontes:* libri Pentateuchi.

36. Postquam genealogia Abrahae inde a Sem, filio Noe, breviter delineata est (Gen. 11, 10 sqq.), narratur *segregatio* Abrahae ex familia sua et ex terra sua, Haran (12, 1 sqq.). Ipse enim et eius progenies proprium populum constituent, Iahve sacrum, hinc segregatum ex omnibus gentibus. „Proficiscere ex terra tua et ex urbe-patria tua et ex domo paterna tua ad terram, quam monstrabo tibi; ut faciam te gentem magnam et benedicam tibi . . .; et benedictae erunt in te omnes familiae terrae!“ [4] (12, 1—3.) *Terra* ista, Abrahae a Deo promissa, est Chanaan; ita Iahve ad Abraham: „Posteritati tuae dabo hanc terram“ (12, 7; cf. 13, 15; 15, 18). Ulterius dein Iahve determinat relationes inter Abraham eiusque familiam et ipsum Deum, pangens scilicet *foedus* cum Abraha, „dicens: Posteritati tuae iam do hanc terram, inde a fluvio Aegypti usque ad Fluvium magnum, fluvium Euphraten“ (15, 18). Insuper reddet Abraham *numerosum* magnopere: „Meum ecce pactum tecum (est hoc): eris pater turbae gentium . . . multiplicabo te in gentes, et reges ex te prodibunt“ (17, 4—6). Huic autem promissioni divinae correspondet *obligatio ex parte Abrahae:* „Et stabiliam pactum meum inter me et te tuamque post te posteritatem (initum) in pactum perpetuum, ut sim tibi Deus tuaeque posteritati post te. . . . Tu vicissim pactum meum *observabis*

itemque posteritas tua post te per generationes suas. Hoc est pactum meum a vobis observandum, (initum) inter me et vos tuamque post te posteritatem: *circumcidatur a vobis omnis mas*" (17, 7—10). Haec est „*via Iahve*" (18, 19). Idem porro foedus initur cum Isaac (26, 1 sqq.) et Iacob (28, 12 sqq.; 35, 9 sqq.).

37. Hisce iam *fundamenta Regni Dei* iacta sunt *futuri,* quam primum scilicet familia Abrahae in gentem creverit. *Foedus* (berîth בְּרִית) est quodammodo bilaterale, continens et imponens utrique paciscenti certas obligationes adimplendas. Ex parte tamen Dei est merum *donum* et gratia electionis unius gentis prae omnibus aliis. Progenies enim Abrahae iam nunc Iahve ut Deum colet, peculiari modo eius servitio sese devovebit, cuius signum erit externum, circumcisio nempe. Ita *Regnum* quidem *Dei* nondum sensu pleno et formali adest, attamen eius notae magna ex parte iam in hoc foedere inveniuntur verificatae: scilicet Dei *regimen,* cui congruit *subiectio* et servitium Israel (Regnum Dei active et passive spectatum), *bona* a Deo elargienda et *onera* ab Israel ferenda (Regnum Dei gratiosum et ethicum), *signum* huius foederis *externum,* quod unit omnes, qui in eo participant (Regnum Dei externum).

II. Tempus institutionis. Pangitur Foedus sinaiticum.

38. Inde iam a prima revelatione, quam Iahve Abrahae fecit, plura quidem bona ut praesentia tribuuntur; alia tamen ut *futura* promittuntur; immo ipsa *exspectatio messianica,* sin minus formalis, attamen re et veritate iam innuitur verbis Dei: „Benedictae erunt in te omnes familiae terrae" (12, 3; 18, 18), quae continent universalitatem salutis futurae et Regnum Dei (praesens) perfectum. Ita Israel evasit populus exspectationis: „Salutare tuum exspectabo, Iahve!" (49, 18.) Et promissiones quidem Iahve decursu temporum impletae sunt omnes, licet Israel deviaverit a „iustitia et iudicio" Iahve (18, 19).

In Aegypto *familia Iacob crevit in gentem numerosam* (Ex. 1, 1 sqq.), ita ut Aegyptiis metum iniceret, ne quando fieret ipsis potentior. Oppressis Hebraeis Iahve excitat prophetam (nabî' נָבִיא), per quem scilicet Deus tamquam per organum suum hominibus loquitur, *Mosen.* Mosis iam narratur ortus, salvatio, educatio et eruditio in scientiis Aegyptiorum, relationes ad populum suum, tandem vocatio per Deum (Ex. 2—3). *Iahve* nimirum *populi sui* et *pacti,* quod iniit cum eo, minime oblitus est; *per Mosen* eum *salvabit* a potestate Aegyptiorum (3, 2 sqq.). Moses autem petit a Deo signum suae vocationis divinae: „Ecce, (si) ego veniam ad filios Israel et dicam eis: ‚Deus patrum vestrorum misit me

ad vos', et dicent mihi: ‚Quodnam est nomen eius?' quid dicam ad eos? Et dixit Deus ad Mosen: ‚Sum is qui sum.' Et dixit: ‚Sic dices filiis Israel: SUM misit me ad vos; . . . Iahve, Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob, misit me ad vos; hoc est nomen meum in aeternum . . .'" (3, 13—15).

39. Moses, divina adiutus virtute, *educit Israel ex Aegypto* (5, 1 sqq.); pereuntibus Aegyptiis, populum Dei persequentibus, canit Iahvè carmen victoriae: „Iahve est *rex* in aeternum et ultra!" (15, 18.) In itinere deinde *foedus* inter Israel et Iahve *renovatur* et extenditur. Cum Israelitae in regionem montis Sinai venissent, Iahve iussit Mosen dicere populo: „Vos vidistis ea, quae feci Aegyptiis, et portavi vos super alas aquilinas et adduxi vos ad me. Nunc igitur, si bene oboedietis mihi et servabitis obligationes Foederis mei, eritis mihi peculium prae omnibus populis; mea enim est universa terra. Et vos eritis mihi regnum sacerdotum gentisque sacrae (regnum constans e sacerdotibus et gente sacra, vel regnum et gens Deo sacrata) . . Et responderunt, totus populus unanimiter, et dixerunt: ‚Omnia, quae locutus est Iahve, faciemus.'" (19, 4—8.) Moses annuntiat populo „omnia verba Iahve et omnia praecepta" (24, 3), quae audierat in monte (20, 1 sqq.). „Et postridie mane exstruxit (Moses) aram sub monte et 12 cippos (lapides memoriales) duodecim tribubus Israel. Et misit iuvenes filiorum Israel, qui obtulerunt holocausta et immolaverunt tamquam hostias šĕlamîm Iahvè vitulos. Et sumpsit Moses dimidiam partem sanguinis posuitque in phialis, et dimidiam partem aspersit super aram. Et accepit *Librum Foederis* (cf. 24, 4) praelegitque audienti populo; qui dixerunt: ‚Omnia, quae dixit Iahve, faciemus et obaudiemus.' Et sumpsit Moses sanguinem et aspersit super populum et dixit: *Ecce hic est sanguis Foederis, quod iniit Iahve vobiscum de omnibus his rebus*" (24, 4b—8).

40. *Liber* autem *Foederis* complectebatur *obligationes* varii generis, tum *religioso-morales,* ut decalogum (20, 1 sqq. Deut. 5; 6 sqq.), tum *caeremoniales,* quae spectant cultum (celebrationem sabbati ut signum Foederis: Ex. 20, 9 sqq.; 31, 13; 35, 1 sqq.), sanctuarium (25, 1 sqq.), sacerdotium (28, 1 sqq.) „sanctum Iahvè" (28, 36), tum *iudiciales, sociales* (hygienicas), *politicas* (Ex. 21, 1 sqq. Lev. 18 sqq.; 20, 24 etc.).

Iahve vicissim *promittit* populo suo auxilium suum et *benedictionem,* si Foedus observet; *comminatur poenas,* si sua praecepta transgrediatur. „Si in decretis meis ambulabitis et mandata mea observabitis et facietis ea, dabo *imbres* vestros temporibus suis dabitque *terra prorentum* suum et arbores campi dabunt

fructus suos . . . et habitabitis *securi* in terra vestra. Et dabo *pacem* in terra . . . et *delebo feras* malignas ex terra, *nec gladius* transibit per terram vestram. Atque persequemini hostes vestros, qui ante vos fugientes gladio succumbent. . . . *Convertam me ad vos,* et *fecundos* vos reddam et numerosos. . . . Et ponam *domicilium meum inter* vos nec abiciet vos anima mea. Sed ambulabo inter vos, *eroque vobis Deus* et *vos eritis mihi populus,* tam vere quam sum Iahve . . .“ (Lev. 26, 3—13).

E contra vero, si non oboedierint praeceptis Iahve neque obligationibus Foederis, quod cum Iahve inierant, steterint, Iahve *comminatur maxima mala* (26, 14 sqq.; cf. Deut. 28, 15 sqq.), famem, pestem, bella; dispersi inter gentes Israelitae affligentur atque peribunt. Sed non prorsus abiciet Iahve plebem suam; relinquit etiam punitis et dispersis *spem veniae* et gratiae; si Israel conversus fuerit, Iahve recordabitur Foederis sui (Lev. 26, 41 sqq.; cf. Deut. 28, 64 sqq.). „Quando igitur . . . te convertes ad Iahve Deum tuum eique oboedies in omnibus, quae tibi hodie mando, tu ipse ac filii tui, toto corde et animo tuo: convertet Iahve Deus tuus sortem tuam et miserebitur tui et rursus colliget te ex omnibus populis . . . et introducet te ad terram. . . . Et circumcidet Iahve Deus tuus cor tuum . . . ut diligas Iahve . . .“ (Deut. 30, 1—6).

41. Si illa, quae spectant Regnum Dei, brevi conspectu comprehendamus, haec fere dicere possumus: *Iahve revera est rex Israel,* scilicet legislator, qui populo suo dedit constitutionem politicam omnesque leges, quae ordinant vitam eius religiosam et civilem, qui iudicium suum excercet vel ipse vel per organa sua (Mosen et septuaginta seniores: Num. 11, 24 sq.; sacerdotes: Deut. 17, 9 12), qui regit et gubernat populum suum per Mosen et Aaron aliosque principes populi. *Nomen regis* occurrit in vaticinio Balaam (Num. 23, 21) et in benedictione Mosis (Deut. 33, 5); ipse populus vocatur „*regnum* sacerdotum gentisque sacrae“ (Ex. 19, 6).

Cives porro huius regni, Iahvè subditi, constituunt *nationem,* rigorose *separatam* ab aliis, finitimis etiam gentibus, ob rationes religiosas (Ex. 34, 14 sqq. Lev. 18, 1 sqq.; 20, 23 sqq.; cf. 22, 32; Num. 23, 9; 33, 50 sqq.; Deut. 7, 1 sqq.); *religiosae* sunt etiam *obligationes* praecipuae huius gentis, cultus Iahve ut unius Dei (monotheismus), cuius voluntas et „iustitia“ religiose observanda est in maximis et minimis, ex timore et in caritate (Deut. 10, 12). *Bona* deinde, civibus huius regni promissa, sunt temporalia et terrena, simul autem altioris generis: imprimis est illud, quod

Iahve Israel in suam gentem elegerit atque in medio eius sedem suam fixerit, semper pronus ad misericordiam, ad dona uberiora, universaliora, *perfectiora* (Num. 24, 17. Deut. 18, 15: „prophetam . . . suscitabit tibi Iahve") largienda.

Indoles denique *externa* huius regni clarissime apparet, quatenus Iahve iura sua regia excercet per homines, qui sua auctoritate instructi regunt populum Dei.

B. Plena evolutio et efformatio Regni Dei.

I. Tempus prophetarum et regum.

1. Aetas iudicum. — Praeparatio quaedam ad tempus regum. *Fontes:* libri Iosue et Iudicum.

42. Iosue, qui succesit Mosi in regendo populo, *introducit* Israel in Chanaan, in terram scilicet promissionis; ita *Iahve implet promissiones* suas. „Dedit Iahve Israel totam terram, quam se daturum patribus eorum iuraverat, et occupaverunt eam et habitaverunt in ea. Et tranquillitatem dedit eis Iahve undique, prorsus ut iuraverat patribus eorum. Nullus ex omnibus hostibus eorum eis restitit . . . nihil irritum fuit ex tota promissione bona . . ." (Ios. 21, 43—45). *Israel* autem cum gentibus terrae Chanaan, quas non plane exstinguebat, commixtus, earum succubuit influxui maligno, idololatriae imprimis. In poenam huius infidelitatis Iahve eum tradidit ethnicis, qui Israel opprimebant, donec resipisceret et ad Deum suum reverteretur. Iahve vocat *„iudices"*, qui scilicet iura Dei et populi sui vindicent contra inimicos Israel.

Et haec fere narrantur in libro Iudicum; de *organisatione* populi perpauca habentur; certe autem viguit persuasio *Iahve* esse vel *regem* vel saltem dominum Israel. Cum enim Israelitae dicerent ad Gedeon: „Dominare nostri, et tu et filius tuus et nepos tuus, quia salvasti nos e manu Madian", i. e. esto rex noster hereditarius, Gedeon populo respondit: „Non dominabor ego vestri, nec dominabitur filius meus vestri: *Iahve dominabitur* vestri!" (Iud. 8, 22 sq.)

At licet tunc Gedeon desiderio populi non satisfecerit iuraque divina et regia Iahve servaverit, haec populi petitio praeludit tamen institutioni regis humani, qui mox, sub iudice et propheta Samuel, a Iahve concessus est.

2. Aetas regum. — *Fontes:* libri historici (Regum et Paral.) et prophetici.

43. **a) Institutio regis.** — Desiderium populi Israel, qui sicut aliae gentes voluit a rege gubernari, iampridem excitatum, versus finem

vitae Samuel iterum prorumpebat. „Ecce, tu senuisti, et filii tui non ambulaverunt in viis tuis. Nunc constitue nobis regem, a quo regamur sicut omnes gentes!“ (1 Reg. 8, 5.) Et nunc iam Iahve iubet petitionem istam plebis impleri. „Obtempera populo in tota re (ait Iahve ad Samuel reluctantem); namque non te reiecerunt, sed me reiecerunt e regnando super eos. . . . Verum admone eos et annuntia iis morem regis, qui regnabit super eos“ (8, 7—9). Samuel igitur promulgat populo „ius regis“ (8, 11 sqq.; cf. Deut. 17, 14 sqq.).

44. *Condicio regis.* — Rex est *princeps populi Iahve,* qui eum regit auctoritate et nomine Iahve, i. e. *Iahve* est et *manet proprie rex,* cui inservire debet Israel cum rege suo (1 Reg. 12, 14). Haec autem dependentia regis a Iahve circumscribitur eo, quod (1) rex *a Iahve eligitur,* sicut Saul (9, 15 sqq.) et David (16, 3 sqq.; 2 Reg. 7, 8 18. Ps. 77 (78), 70): (2) iussu Iahve a iudice vel propheta i. e. a legato Dei *ungitur;* ita Saul (1 Reg. 10, 1), David (16, 13); inde nomen eius „*Unctus Iahve*“, Christus (χριστός), Messias (משיח יהוה), quod mox reservatur regi, licet etiam sacerdotes ungerentur. Dona quaedam charismatica regi concessa cum hac unctione videntur coniuncta fuisse: „Spiritus Iahve“ (1 Reg. 11, 6; 16, 13). (3) Ita constitutus *regnat* super Israel, in omnibus fere aequalis regibus gentium, excepta autonomia; nam potestas regia tota determinatur *constitutione theocratica* populi Dei. (4) Licet denique secundum voluntatem Iahve potestas regalis sit hereditaria, ipse tamen rex, si non ambulaverit secundum beneplacitum Iahve, munere suo *destitui potest;* ita factum est primo iam regi, Saul (1 Reg. 15, 10 sqq.), postea pluribus regibus regni septentrionalis Israel. Reges quidem regni meridionalis, Iudae, prosapia ex regia stirpe David, ipsi quoque „reliquerunt legem Altissimi“ omnes, praeter Ezechiam et Iosiam (Eccli. 49, 5 sq.); attamen propter David et promissionem ipsi a Iahve factam (2 Reg. 7, 8 sqq.) regnarunt super Iuda usque ad interitum regni Iudae; immo ex familia David prodiit „Unctus Domini“ *Messias,* qui allaturus erat salutem perfectam et definitivam. Atque haec est gloria peculiaris potestatis regiae in Israel: non ex sacerdotibus Iahve sacris, non ex prophetis a Iahve excitandis, sed e familia regia David orietur Rex magnus futurus, qui populo suo et toti mundo „iustitiam“ Iahve absolutam et plenam donabit. „Stabilis igitur erit domus tua et regnum tuum (ait Iahve ad David) in perpetuum; thronus tuus erit firmus in perpetuum“ (2 Reg. 7, 16; cf. 1 Par. 17, 7 sqq.). Ita *exspectatio* populi Israel facta est *messianica,* coniuncta scilicet cum exspectatione regis futuri ex domo David.

Iahve igitur sensu proprio et pleno *regit* populum suum; „et faciam (dicit Iahve per prophetam suum Nathan ad David), ut stet (Salomon) *in domo mea* et in *regno meo* in perpetuum, et thronus eius erit firmus in perpetuum“ (1 Par. 17, 14), ita ut Salomon „sedeat *super thronum regni Iahve super Israel*“ (28, 5).

45. **b) Munus prophetarum.** — *Regnum Dei* super Israel autem non solum exercetur muneribus illis stabilibus sacerdotii et potestatis regiae, sed insuper modo immediato per *prophetas* tamquam legatos Iahve. Sicut enim Moses erat dux populi et simul mediator inter Iahve et Israel, ita in Regno Dei alii sunt duces populi, alii mediatores, qui populo eiusque ducibus, atque imprimis regi, annuntiant voluntatem divinam. Ita ipse Moses praedixerat: „Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Iahve Deus tuus; ipsum audies!“ (Deut. 18, 15.) Per prophetam, tamquam organum (פֶּה) suae voluntatis immediatum et quodammodo os suum, Iahve annuntiat populo suo suam voluntatem. Hinc vocatur „videns“ (רֹאֶה), „vir Dei“ (3 Reg. 12, 22; 13, 1; 20, 13 22 28), vel „propheta (נָבִיא) Iahve“ (18, 22), vel „missus Dei“ (2 Par. 36, 15 sq.), et „apostolus“ (3 Reg. 14, 6), vel „custos Israel“ (Ez. 3, 17; 33, 7); „servi mei prophetae“ (Ez. 38, 17) debent „verbum Iahve“ (Mich. 1, 1. Soph. 1, 1. Agg. 1, 1 etc.) praedicare.

46. *Munus propheticum* est duplex; prophetae enim debent *conservare memoriam Foederis,* quod Israel cum Iahve iniit, atque imprimis cultus, qui debetur soli Iahvè tamquam uni vero Deo (monotheismi). Ita iussu Dei admonent populum et regem, ut obligationibus suis stent; sunt quasi conscientia semper viva et vigil populi Dei. Ita porro comminantur poenas easque indicant, sicut Samuel regi Saul, Nathan regi David, Amos et Osee regno Israel, Isaias et Ieremias regno Iudae. Ita *consolantur* populum suum afflictum; Iahve eum non derelinquit, neque si Israel eum dereliquerit; revertenti patent misericordiae Domini, imprimis autem salus messianica. Ita facti sunt legati Dei *„prophetae“ sensu strictiore,* qui et quatenus *sortem futuram* populi praedicebant et tempus salutis perfectae vaticinabantur.

Atque in hoc iam est *alterum munus* prophetarum, scilicet *praeparare* populum *Israel ad plenitudinem temporis* atque *ad adventum Messiae.* Hinc Iahve novas semper per eos revelationes mittit populo suo, plura, pleniora, perfectiora semper de Messia annuntiat, paulatim indolem benedictionis messianicae totam manifestat coloribus vividis, atque ita excitat et auget eius desiderium. Aliter enim ac Novum Testamentum, quod attulit revelationem

absolutam, Vetus Foedus erat tempus evolutionis etiam obiectivae revelationum Dei; progrediente tempore nova lux novaeque veritates populo manifestabantur.

Ut tales, ut *testes* scilicet promissionis et *exspectationis messianicae,* prophetae nostram postulant considerationem, praecipue illi, quorum vaticinia scripta sunt. Antea non quidem defuerunt prophetae; immo Samuel et Elias (3 Reg. 17—4 Reg. 1) inter maximos prophetas iure numerantur (cf. Eccli. 48, 1 sqq.). At neuter vaticinia libro scripto consignata reliquit; aliter Osee, Amos, Michaeas, Isaias et ceteri, qui constituunt corpus „prophetarum" (nebi'îm, נְבִיאִים; secundum Iudaeos „posteriores", in oppositione ad „priores": Ios., Iud., 1—4 Reg.)[5].

47. Horum iam, si placet, summas saltem *ideas messianicas* prosequamur, et quidem, quantum fontes permittunt, ordine chronologico.

Amos, circa medium saeculum octavum mandato Iahve e Iuda venit in regnum Israel, annuntians poenas, simul autem salutem messianicam, et quidem per Messiam e domo David: „Illo die erigam tugurium David collapsum et reficiam fissuras eius, et ruinas eius stabiliam ac reaedificabo, sicut (fuerant) diebus pristinis, ut possideant reliquos de Edomitis et omnibus gentibus, super quos vocatum erit nomen meum, fatur Iahve, qui facturus est haec" (9, 11). Eodem fere tempore propheta *Osee* comminatur regno septentrionali iudicium Dei, qui tamen ut „pastor" populi sui (4, 16) denuo pactum feriet cum Israel: „Desponsabo te mihi per fidelitatem et cognosces Iahve" (2, 22). „Postea revertentur filii Israel et quaerent Iahve, Deum suum, et David, regem suum. Et anxie accurrent ad Iahve et ad bona eius in fine dierum" (3, 5).

Quibus in vaticiniis elucet *conceptus* quidam *Regni Dei altioris generis,* quatenus bona imprimis spiritualia praedicantur ut messianica, quatenus porro salus Iahve promittitur iam omnibus gentibus, licet per interventionem Israel. Clarius etiam et clarissime haec enuntiantur ab *Isaia,* „evangelista V^{is} T^{i}" qui vocari potest. Imagini Messiae atque regni eius, quam ipse depingit, ex sequentibus prophetis pauca tantummodo addi debent, ut integra fere habeatur idea messianica, quae in sacris libris V^{is} T^{i} continetur[6].

48. Et primum quidem *relatio inter Iahve et Israel* describitur ut *regis* ad populum suum: „Nam Iahve est iudex noster, Iahve est legislator noster, Iahve est rex noster; ipse nos salvabit!" (33, 22; cf. 24, 23; 41, 21; 43, 15; 44, 6.) „Quam iucundi sunt super montes pedes boni-nuntii, proclamantis pacem, nuntiantis

bonum, proclamantis salutem, dicentis Sion: Iam regnat Deus tuus!" (52, 7.) *Regnum* autem *Dei* est regnum *gratiae* et misericordiae; Iahve est *pastor* populi sui, qui in brachio suo portat agnos suos (40, 11), est eius *pater* (63, 16; 64, 8), immo cum materna cura Iahve ipse comparat caritatem suam (46, 3; 66, 12 sq.); ipse erit *salvator* Israel (44, 6; 45, 15 sqq.; 47, 4; 48, 17; 49, 26 etc.). — Israel autem est populus Iahve, eius hereditas (19, 25) eiusque vinea (5, 1 sqq.).

Foedus deinde, quod Iahve pepigit cum patribus, adhuc viget, immo renovabitur et confortabitur, extendetur et perficietur. Nam et eius *bona* et eius *obligationes* inculcantur imprimis spiritualia et religiosa. „Lavate vos! Mundate vos! Auferte malitiam facinorum vestrorum a conspectu oculorum meorum! Desinite malefacere, discite benefacere. . . . Tum venite, quaeso, et iudicium instituamus, dicit Iahve. Si sint peccata vestra (rubra) sicut coccinum, tam alba fient quam nix. . . . Si obtemperabitis et obaudietis, bona terrae comedetis; sin renitemini et rebellabitis, gladio vorabimini!" (1, 16—19.)

Eodem porro gradu *exspectatio messianica* erigitur et perficitur. *Messias* est *Filius David,* „surculus de trunco Iesse, et flos de radicibus eius" (11, 1), rex Israel (32, 1; 33, 17), unctus non solum dignitate regia sed *„Spiritu Iahve"*: „Et requiescet super eum Spiritus Iahve, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et timoris Iahve; . . . eritque iustitia cingulum lumborum eius, et veritas cingulum coxarum eius" (11, 2—5). Dein sequitur descriptio temporis messianici, eius scilicet pacis (11, 6—8) et innocentiae: „Non malefacient nec quemquam perdent in universo monte sancto meo; nam plena erit terra studio cognoscendi Iahve velut aquis quae maris fundum tegunt. Eritque illo tempore surculus radicis Iesse, qui stabit tamquam vexillum populorum. Ipsum gentes quaerent, eritque mansio eius gloriosa" (11, 9 sq.). Hisce iam tota *gloria* regis Messiae describitur, nondum autem eius *regimen;* est enim *„servus Iahve"* (42, 1 sqq.), plenus misericordiae, adeo usque ut ipse languores et dolores populi sui in se suscipiat tamquam propitiatio pro peccatis Israel (53, 1 sqq.). Regnum igitur Messiae fundatur in eius *passione et morte* expiatoria.

Salus autem, quam hoc regnum messianicum afferet, non restringitur ad solos Iudaeos; Isaias saepius et clarius forte quam alii prophetae *universalitatem salutis* effert. „Fiet in postremitate temporum: Stabilitus erit mons aedis Iahve ut caput montium, et excelsior erit collibus. Et confluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem

Iahve, ad aedem Dei Iacob, ut erudiat nos de viis suis, et ambulemus in semitis eius" (2, 2 sq.; cf. Mich. 4, 1 sq.). Servus Iahve erit „lumen gentium" et „salus usque ad finem terrae" (49, 6); domus Iahve in monte Sion erit „domus orationis omnibus populis" (56, 7); immo ex alienigenis assumentur „ad munus sacerdotum et levitarum" (66, 21).

Ex quibus intellegitur indoles Foederis (novi), quod Iahve cum Israel panget, „gratias David fideles" (55, 3; cf. 61, 8), *Foederis* nimirum *veniae* et *gratiae*.

49. Ex prophetis posterioris temporis pauca quaedam adiungantur; nam plurima, quae de *Regno Dei* vaticinantur, eadem sunt ac verba Iahve apud Isaiam. *Ieremias* et *Ezechiel* praeter originem davidicam Messiae (Ier. 23, 5 sq.; 30, 8 sq.; 33, 15. Ez. 37, 23 sq.) et universalitatem salutis (cf. Ier. 33, 9; Ez. 17, 22; 37, 28) imprimis *Foederis renovationem et aeternitatem* exhibent. „Pangam eis Foedus aeternum ... et timorem meum indam cordibus eorum, ut non discedant a me. Et gaudebo super eos benefaciendo eis ..." (Ier. 32, 40 sq.). „Et mundabo eos ab omni delicto eorum, quo peccaverunt in me, et condonabo omnia delicta eorum ..." (33, 8; cf. 50, 20). Ita *Ieremias; Ezechiel* vero: „Et dabo eis cor unum et spiritum novum indam pectori eorum; et removebo cor lapideum ex carne eorum et dabo eis cor carneum, ut ... sint mihi populus, et ego sim illis Deus" (11, 19 sq.; cf. 36, 22 sqq.). „David, servus meus, erit princeps iis in aeternum. Et pangam eis foedus pacis, foedus aeternum erit cum eis; et ... ponam sanctuarium meum in medio eorum in aeternum" (37, 25 sq.).

50. Ipsi quoque prophetae *temporis postexilici* fovent spem Messiae e domo David (Zach. 12, 9) et universalitatem salutis eius (Agg. 2, 7. Mal. 1, 10 sq. Zach. 2, 15), praedicant spiritum novum venturum: „Et effundam super domum David et super incolas Ierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me, eum quem confixerunt, et plangent de eo, velut planctu de mortuo primogenito ..." (Zach. 12, 10). „Illo die erit fons patens domui David et incolis Ierusalem pro abluendo peccato et immunditia" (13, 1). Oblatio munda et nova Deo offeretur in toto mundo „in gentibus" (Mal. 1, 11). Iam tempus Messiae appropinquat; templum, post reditum ex captivitate Babylonica exstructum, videbit Messiam. „Maior erit gloria huius aedis posterioris quam prioris, dixit Iahve Sabaoth, et in hoc loco dabo pacem, fatur Iahve Sabaoth" (Agg. 2, 9). Praecedet eum legatus Dei, „qui praeparet viam mihi venturo, et subito veniet ad tem-

plum suum is dominus, quem quaeritis, et legatus Foederis, quem gratum habetis; ecce venturus est, dicit Iahve Sabaoth" (3, 1); et hic praecursor erit Elias (4, 5 sq.).

51. Restat unicum vaticinium *Danielis*, quod *genere* suo excellit prae aliis atque hinc seorsim ab aliis consideretur. Visio illa nocturna (7, 1 sqq.), magnifice descripta, plena maiestate divina, et de Messia et de eius regno plura habet, quae penitus solvere videntur quaestionem, quae in hac assertione solvenda est, de conceptu et de voce nempe *Regni Dei*. Nam in hoc vaticinio occurrit ille terminus, qui nostrae inquisitioni ansam dedit, *„Regnum Dei"*, simul cum voce „Filii hominis", quam quasi nomen proprium Christus de se adhibet[7]. In explicatione somnii Nabuchodonosor (2, 1 sqq.) Daniel praedicit, post quattuor regna terrena novum regnum oriturum esse, *Regnum* scilicet *Dei*. „In diebus autem regnorum illorum suscitabit *Deus caeli regnum*, quod in aeternum non dissipabitur; et *regnum eius* alteri populo non tradetur . . . et ipsum stabit in aeternum" (2, 44). Similiter in verbis regis: *„regnum eius* (Dei) regnum sempiternum" (3, 100; cf. 4, 31 34). Diserte regnum futurum *messianicum* vocatur *Regnum Dei* in visione nocturna, quam Daniel sibi factam describit (7, 1 sqq.). Quattuor bestiae, symbola quattuor regnorum terrenorum, ascendunt e profundo maris; sed cum sint iniqua et Deo infensa, iudicantur et condemnantur et dissipantur a Deo (7, 9 sqq.). Eorum autem loco novum regnum, *Regnum* scilicet *Dei*, conditur. „Videbam in visione nocturna, et ecce cum nubibus caeli (quidam) *velut filius hominis* veniebat et usque ad Grandaevum pervenit, et in conspectum eius adduxerunt eum. Et ei datum est imperium et honor et *regnum*, ut omnes populi, nationes et linguae ipsi serviant. Imperium eius (futurum erat) imperium aeternum, inamovibile, et *regnum eius* incorruptibile" (7, 12); „et *regnum* et imperium et dominium in regna sub omni caelo datum est populo sanctorum Altissimi; *regnum* eius (erit) *regnum* aeternum et omnes imperatores ipsi servient et oboedient" (7, 27).

Haec autem Danielis prophetia maximum influxum exercuit in ideas messianicas efformandas, sicut ostendunt et libri apocryphi et ipsa evangelia. Ratio videtur esse potissimum in eo, quod vaticinium istud et forma sua litteraria ac stilistica et conexione cum factis historicis (regnis terrenis) plus ceteris alliciebat mentes Iudaeorum.

52. Conspectum nostrum de prophetis et prophetiis de Regno Dei absolvere non possumus, quin mentionem saltem faciamus carminum sacrorum, quae et ipsa sunt magna ex parte prophe-

tica, nempe *psalmorum;* immo psalmos prae omnibus aliis libris V^is^ T^i^ considerari oportet ideo, quod per usum liturgicum et cotidianum Israelitis erant maxime familiares, et ipsi et eorum ideae messianicae: In psalmis erudiebantur et excolebantur Iudaei inde ab adolescentia[8].

Accedit quod psalmi continent fere omnia, quae annuntiata ab aliis prophetis vidimus. *Regnum Iahve universale* plurimis in locis praedicatur. „Omnes populi! plaudite manibus! Iubilate Deo voce exsultationis! Nam Iahve altissimus est verendus, rex magnus super omnem terram. . . . Psallite Deo nostro! psallite! Psallite regi nostro! psallite! Quoniam rex totius terrae est Deus! Psallite hymnum!“ (Ps. 46 [47], 2 3 7; cf. 144 [145]; 92 [93]; 95 [96] sqq.) Idem Deus est *pastor* populi sui (Ps. 22 [23]) et *salvator* (e. g. Ps. 45 [46]).

Plurima sane et pulcherrima inveniuntur in psalmis de *Regno Messiae; promissio* scilicet *David facta* (Ps. 88 [89]), cuius impletionem psaltes optat: „Deus, iudicium tuum regi da et iustitiam tuam regis filio! . . . Floreat in diebus eius iustitia et multitudo pacis! . . . Atque imperet a mari usque ad mare et a fluvio usque ad extremos limites terrae! . . . Et adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei! . . . Sit nomen eius aeternum! Dum lucebit sol, floreat nomen eius! Et benedicant sibi in ipso toto die, ipsum beatum praedicantes! — Benedictus (sit) Iahve, Deus Israel, qui facit mirabilia solus!“ (Ps. 71 [72] 1 7 8 11 17 18.) *Gloriam regis = Messiae* annuntiat Ps. 44 [45]; *victoriam* eius Ps. 2: „Collocant se reges terrae et principes secreto consiliantur simul contra Iahve et contra Unctum eius. . . . Atqui ego (Iahve) constitui regem meum super Sion, montem mihi sacrum. . . . Iahve dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me, et dabo gentes hereditatem tuam. . . .!“ (Ps. 2, 1 6 7 8.) Messias autem non solum erit rex, cuius „sceptrum potestatis extendet Iahve ex Sion: dominare inter medios hostes tuos“ (Ps. 109 [110], 2), sed simul *sacerdos:* „Iuravit Iahve nec paenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech!“ (109 [110], 4), immo *patiens* et *moriens,* qui precatur Deum: „Conserva me, Deus, nam confugio ad te . . . non relinques animam meam orco neque sines [me] pium [servum] tuum experiri corruptionem“ (Ps. 15 [16], 1 10), atque ad ipsum ex profundo dolore clamat: „Mi Deus, mi Deus! quare me dereliquisti! longe absunt ab [obtinenda] salute mea verba rugitus mei! . . . Velut aqua effusus sum, et distenta sunt omnia ossa mea!“ (Ps. 21 [22], 1 15.)

II. Tempus reorganisationis nationalis et religiosae.

53. 1. Anno 597 Nabuchodonosor, rex *Babyloniae,* regem Iudae Ioachim cum civibus nobilibus transtulerat Babylonem; deleta Urbe, anno 586, plurimi alii Iudaei transmigrare iussi sunt; remansit in Iuda solus populus miser et pauper. Regimen babylonicum secutum est regnum *Persarum,* cuius ditioni etiam Iudaei subiciebantur (539—331). Primus rex e dynastia Persica, Cyrus (Kurusch, Koresch), permittebat Iudaeis reditum in terram promissam. At non omnes revertuntur; reduces inveniunt magna obstacula; prophetae propterea in id incumbunt, ut animum erigant, populum ad cultum vero Deo dignum reducant, spem foveant messianicam. Initio quidem occurrunt inter duces populi etiam descendentes e familia regia David, Sassabasar (Schechbassar) et Zorobabel (Serubabel); at mox familia David disparet ex libris sacris Israelitarum. Dignitas regia abolita est; loco regis theocratici summus sacerdos sub ditione Persarum regit Israel in rebus religiosis, probabiliter etiam in rebus civilibus plurimis. Licet testimonia positiva huius temporis desint, certo quodam iure tamen admittitur, tunc iam temporis efformatum esse modum gubernii, qui aetate adhuc Christi vigebat (cf. *Ass. 11,* n. 323 sqq.).

Ex hac periodo *pauca testimonia,* si abstrahamus a prophetis Zacharia, Aggaeo, Malachia, *vitae religiosae* et spei *messianicae* exstant, siquidem libri historici, libri Esdrae qui vocantur, id fere unice exponunt, quomodo observatio Legis innovata sit in Israel; cum Lege quidem et libris sacris etiam vaticinia messianica populo servata atque in memoriam revocata sunt.

Esdras ipse vocatur „*scriba* velox in lege Moysi" (γραμματεὺς εὐφυὴς ὢν ἐν τῷ Μωυσέως νόμῳ 1 Esdr. 7, 6), „eruditus in sermonibus et praeceptis Domini et caerimoniis eius in Israel" (7, 11); similiter *Nehemias* est zelator Legis (2 Esdr. 8, 9; 13, 1 sqq.). Esdras quidem, sicut Sadoc „scriba" (13, 13), erat sacerdos; postmodum vero legisperiti seu scribae, qui iam in Ecclesiastico ut proprius ordo et status apparent (38, 24 sqq.), ut plurimum *laici* erant, et cum sacerdotibus et senioribus populi in synedrium cooptati regebant tempore posteriore Israel[9].

54. 2. Dario Codomanno devicto, *Alexander Macedo* obtinuit cum successione in regno Persarum etiam regimen populi Israel (336). Post eius mortem 323 Iudaea primo per saeculum fere pertinuit ad regnum *Aegypti,* sub Ptolemaeis deinde vero (198) ad regnum *Seleucidarum Syriae,* donec, ultimo rege Antiocho XIII depulso, Romani sub Pompeio Syriam suo imperio adiunxerint; exinde Iudaea de facto erat sub ditione *romana,* licet ultimus

Hasmonaeorum, Hyrcanus II, et deinde domus Herodiana eam gubernarit; anno 6 p. Chr. Archelaus, filius Herodis I, a Romanis depositus eique procurator romanus, dependens a praeside Syriae, substitutus est.

Haec periodus historiae Israel certe inter eas computanda est, quae *maximi momenti* fuerunt pro *Regno Dei,* imprimis pro *Regno* futuro *messianico.* Nam inde a victoriis Alexandri *cultura graeca* partes mundi orientales invadere atque cum occidentalibus unire coepit vinculo unius linguae (κοινή) atque eiusdem culturae (Hellenismi). Floruit Hellenismus magnopere in coloniis graeco-macedonicis et urbibus maioribus, dum rure linguae et mores et cultus nationales integri fere manent, immo decursu temporum, occidentem versus progredientes, imperium romanum et totam fere culturam graeco-romanam sibi vicissim subiugant. *Religio* quoque *Israelitica duplicem experta* est *influxum* huius Hellenismi, alterum quidem infestum et adversum, alterum vero prosperum, qui summopere favebat extensioni verae religionis.

55. a) Ex tendentiis nimirum expansivis Hellenismi, qui etiam inter Iudaeos suos asseclas invenit, orta sunt *bella Iudaeorum cum Seleucidis,* praecipue cum Antiocho IV (175—164), quae duce familia *Machabaeorum* seu Hasmonaeorum, per 25 annos gesta, tandem eo duxerunt, ut Simon, filius natu minimus Mathathiae, agnitus sit a Seleucidis et Romanis tamquam summus sacerdos et ethnarcha populi sui, atque propriam dynastiam condiderit, cui Aristobulus (104—103) titulum regium acquisivit. Initia horum litium descripta sunt in *libris* canonicis *Machabaeorum,* qui proinde testes nobis sunt conceptus *Regni Dei,* tunc temporis vigentis. Iudas adhortatur suos, ut dimicent „usque ad mortem pro legibus, templo, civitate (Hierosolymis), patria, civibus" — περὶ νόμων, ἱεροῦ, πόλεως, πατρίδος, πολιτείας (2 Mach. 13, 14; cf. 1 Mach. 1, 46 sqq.); bona autem, quibus, parta demum victoria, Iudaei sub Simone principe fruebantur, enumerantur 1 Mach. 14, 8 sqq., pax nempe et tranquillitas, gloria bellica, splendor cultus, fama et honor apud exteras nationes. Neque *spes Regni Dei futuri* exstincta est; ita enim scribunt Iudaei palaestinenses iis qui commorantur in Aegypto: „Deus autem, qui liberavit populum suum et reddidit hereditatem omnibus et regnum et sacerdotium et sanctificationem, sicut promisit in lege, speramus, quod cito nostri miserebitur et congregabit de sub caelo in locum sanctum" (2 Mach. 2, 17 sq.).

56. b) Congregatio quidem ista dispersorum filiorum Israel enumeratur inter bona temporis futuri; attamen ipsa haec *dispersio*

haud parum *favebat dilatationi religionis* V^{is} T^{i}. Deportati a regibus Assyriorum et Babyloniorum plurimi Iudaei in *partes orientales* ibidem condiderunt colonias Iudaeorum postmodum maxime florescentes; alii iam pridem in *Aegyptum* migrarunt, ubi saeculo sexto exstabat colonia ad Nilum superiorem, Elefantine. Iudaei quoque constituerunt partem incolarum urbium, quas Alexander et eius successores condiderunt, Alexandriae, Seleuciae, Antiochiae, aliarum, ita ut tempore Christi longe maxima pars Iudaeorum extra Palaestinam degeret. In quorum numero plurimi *proselyti* (advenae, προσήλυτοι) continentur, qui saeculis adventum Christi praecedentibus religioni Israeliticae sese adiunxerunt, permoti sive ipsa excellentia huius religionis sive propaganda Iudaeorum. Huic autem *propagandae* maxime *profuit Hellenismus;* Iudaei enim degentes in urbibus hellenisticis et ipsi graecam linguam loqui eamque litterarie etiam excolere coeperunt. Ita orta est *litteratura* amplissima *hellenistica Iudaeorum,* imprimis Alexandriae, quae contendit vel defendere religionem mosaicam vel eam commendare ut optimam, antiquissimam atque omnis sapientiae et scientiae fontem. Praeter versionem V^{is} T^{i} alexandrinam huc spectant ex libris canonicis V^{is} T^{i} versio libri Iesus Sirach et Sapientiae liber; ex aliis plurima scripta historica, philosophica, religiosa varii generis, quae recensenda manent assertioni sequenti.

In his testimoniis *Lex* et *Foedus Vetus,* revelationis divinae gloria, effertur; religio scilicet Iudaeorum est ipsa sapientia. Ideas *Regni Dei* congestas fere aspicimus apud *Ecclesiasticum:* „Salva nos, Deus omnium, et immitte timorem tui super omnes gentes . . . ut cognoscant, sicut nos cognovimus, quod non exsistit Deus praeter te! . . . Congrega omnes tribus Iacob, ut sua possideant sicut tempore pristino. Miserere populi, appellati nomine tuo, Israel, quem primigenitum cognominasti. Miserere civitatis tuae sacrae, Ierusalem, domicilii residentiae tuae. Reple Sion maiestate tua et gloria tua templum tuum! Da . . . ut prophetae tui veridici inveniantur. Audi orationem servorum tuorum . . . ut cognoscant omnes fines terrae te esse Deum saeculorum“ (36, 1 5 13—22). De *Messia* sermo est raro, e. g.: „Et testamentum David regi, filio Iesse ex tribu Iuda, hereditas ipsi et semini eius“ (Vg. 45, 31). „Dominus . . . exaltavit in aeternum cornu eius et dedit illi testamentum regni et sedem gloriae in Israel“ (47, 13). „Deus autem non (ob peccata Salomonis) derelinquet misericordiam suam . . . neque perdet a stirpe nepotes electi sui . . .“ (47, 24). Ante Messiam veniet *Elias,* „qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium et restituere tribus Iacob“ (48, 10).

57. Commune autem cum libris Machabaeorum est his testibus expressio et descriptio clarior *alterius vitae, resurrectionis mortuorum* (2 Mach. 7, 14; 12, 43 sqq.). „Et duodecim prophetarum ossa efflorescant ex loco suo; consolati sunt Iacob et redemerunt eos (Israelitas) per fidem spei" (Eccli. 49, 10 [12]). *Vitam aeternam,* sortem scilicet infelicem impiorum, piorum et iustorum felicem, pingit Sapientia (5, 1 sqq.). Iniusti deficient; iustus autem „accensitus est filiis Dei, et inter sanctos sors eius est" (5, 5); „iusti vero in aeternum vivunt, et in Domino est merces eorum, et cura eorum est apud Altissimum. Ideo accipient regnum decentiae et diadema pulchritudinis ex manu Domini" (5, 16 sq.).

Quibus expositis ilico elucet *hac in periodo* novas lineas imagini Regni Dei fere non esse illatas, nisi quod *Regnum Dei absolute futurum* — ut utamur terminologia antea indicata — clarius describatur. Tempore vero praecedenti, *prophetarum* videlicet, *idea Regni Dei* iam plene efformata est, scilicet et *praesentis,* in constitutione theocratica Israel, et *futuri, messianici* nimirum; porro describitur ut Regnum imprimis *religiosum,* ea quidem lege, ut *bona Regni futuri* fere non sint nisi mere religiosa: cognitio Iahve, eiusque gratia, utraque effusa super Israel et amplius super *omnes gentes.*

58. NOTAE. — **1** De canone V^{is} T^{i} cf. *R. Cornely,* Hist. et crit. introductio in U. T. lib. sacr. I[2] 40 sqq.; cf. eiusdem auctoris Compendium[8/9] n. 13 sqq.; *Kaulen-Hoberg,* Einleitung n. 22 sqq. — Quaestiones criticas remittimus ad tractatum Introductionis in V^{us} T^{um}; cf. *M. Hetzenauer,* Theologia Biblica I, Friburgi 1908; *Zschokke-Döller,* Historia sacra V^{is} T^{i}, Vindobonae 1920. — Ex protestantibus conservativis e. g. *E. König*,* Gesch. des Reiches Gottes bis auf Jesus Christus, Braunschweig 1908; *idem,* Gesch. der Alttestamentlichen Religion, [2]Gütersloh 1915; *idem,* Theologie des Alten Testamentes kritisch und vergleichend dargestellt, Stuttgart 1922 (simul cum eiusdem auctoris commentario „Der jetzige Zustand der alttestamentl. Theologie": Biblica III [1922] 74 sqq.). — De statu nunc vigente quaestionis criticae Pentateuchum quod attinet, optime scripsit *A. Bea,* Deutsche Pentateuchforschung und Altertumskunde in den letzten 40 Jahren (Stimmen der Zeit XCIV [1918] 460 sqq.), et: Neue Wege in der Pentateuchforschung (ib. 585 sqq.). — Ex exegetis protestantibus de quaestione simili *R. Kittel*,* Die Zukunft der alttest. Wissenschaft (Zeitschr. für alttest. Wissenschaft XXXIX [1921] 84 sqq.). — **2** In N° T° citantur libri V^{is} T^{i} protocanonici omnes praeter Ios., Iudic., 4 Reg., Abd., Ion., Soph., Cant., Ruth, Lam., Eccle., Esth., Esdr., Neh., 1, 2 Par.; numerantur citationes disertae 286, e quibus 175 messianicae; allusiones vero et reminiscentiae habentur ad omnes libros V^{is} T^{i}, et protocanonicos et deuterocanonicos; universim numerantur 3578 (*E. Hühn*,* Die alttest. Zitate und Reminiszenzen im N. T., Tübingen 1900; *W. Dittmar*,* Vetus Testamentum in Novo, Göttingen 1903; *Th. Häring*,* Das Alte Testament im Neuen, in Zeitschr. für neutest. Wissensch. XVII [1916] 213 sqq.). — **3** Verba Flavii Iosephi sunt haec: ὁ δὲ ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δ' ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, Θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Θεῷ τὴν

ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς. — **4** Versio textuum ex V^e T^o est litteralis e textu primitivo hebraeo, quam confecit *F. Zorell.* Pauci admodum textus citantur secundum versionem Vulgatam. — **5** Plurima, quae hac in assertione exponuntur, inveniuntur apud *Ch. Pesch,* Praelectiones dogmaticae I, n. 212 sqq.: De vaticiniis messianicis V^{is} T^i; *F. Selbst,* Die Kirche Jesu Christi nach den Weissagungen der Propheten, Mainz 1883; *M.-J. Lagrange,* Le Messianisme chez les Juifs, Paris. 1909; *A. Schulte,* Die messianischen Weissagungen des A. T., Paderborn 1908; *I. Felten,* Neutestamentl. Zeitgeschichte II 133 sqq. — Ex acatholicis: *E. König*,* Gesch. des Reiches Gottes bis auf Jesus Christus, Braunschweig 1908; *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes II⁴, § 29; *W. Baldensperger*,* Die messian.-apokalypt. Hoffnungen des Judentums, ³Straßburg 1903. — **6** Quaestiones, quae moveri solent a criticis de vaticinio Isaiae (Proto-Deutero-Trito-Isaias) et de Danielis tempore, inquisitionem nostram non attingunt. — **7** De „Filio hominis" cf. *K. Zenner* in Zeitschr. für kath. Theol. XVI (1892) 567 sqq.; *F. Tillmann,* Der Menschensohn (Bibl. Studien XII, 1./2. Heft [1907]); *idem,* Jesus, der Menschensohn (Bibl. Zeitfragen I, 11. Heft, ³Münster 1910). — **8** De usu liturgico psalmorum cf. *R. Cornely,* Introductionis compendium n. 398 sqq.; *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes II⁴ 350 sq. — **9** De scribis (soferim, rabbi, γραμματεῖς, νομικοί, νομοδιδάσκαλοι, πατριῶν ἐξηγηταὶ νόμων) vide *I. Felten,* Neutest. Zeitgeschichte I 337 sqq.; *M. Hagen,* Lexicon Biblicum III 918 sqq.; *E. Schürer** l. c. 363 sqq.

Quaestio 2. De testimoniis librorum Iudaeorum extracanonicorum et ethnicorum.

59. Testimonium librorum *canonicorum* V^{is} T^i, quantum ad ideas messianicas tempore Christi vigentes attinet, est potius *indirectum,* quatenus constituit fontem, ex quo ideae religiosae omnes populi Israel promanarunt. Cui in hac assertione adiungimus *testimonium directum,* depromptum videlicet ex *libris non-canonicis,* originis sive *iudaicae* sive *ethnicae.* Testimonia quidem ethnica, si comparaveris cum iudaicis, fere non computantur; confirmationi tamen inservire possunt. Iudaici autem libri plurimi, e quibus sat multi ad nostra usque tempora servati sunt, testimonium reddunt idearum religiosarum et messianicarum aetatis ipsius Christi, temporis praecedentis et subsequentis; atque ita idonei sunt, qui compleant testimonium librorum sacrorum.

60. Libri porro *Iudaeorum* ad *varia genera litteraria* pertinent. Et alii quidem sunt *historici,* sicut *Demetrii* (sub Ptolemaeo IV. 222—205), *Eupolemi* (sub Demetrio I., rege Syriae 162—150), *Artapanis, Aristaeae, Cleodemi, Anonymi* cuiusdam Samaritani (ante annum 80 a. Chr.). Huc spectat *Iason Cyrenaeus,* qui teste 2° libro Machabaeorum scripsit bellum Iudaeorum gestum cum Antiocho (2 Mach. 2, 24); huc *Flavius Iosephus* (37/8—post 100), qui viginti libris scripsit *(Antiquitates)* historiam populi Israel ab initio usque ad Bellum Iudaicum, aliis deinde septem libris ipsum *Bellum*

Iudaicum (66—71), addens postea defensionem operis sui contra *Iustum Tiberiensem* (Flavii Iosephi *Vita*) et religionis iudaicae *contra Apionem* grammaticum[2].

Philo autem, qui et ipse aliqua historica congessit (Ad Flaccum, De legatione ad Gaium), imprimis *philosophum* egit, atque conatus est cum religione paterna coniungere philosophiam graecam, imprimis stoicam. Natus circa annum 20 vel 10 a. Chr. et mortuus post annum 40 p. Chr., coaetaneus igitur ipsius Christi, oriundus e familia nobili alexandrina, scriptor fertilitatis extraordinariae, in nostra tamen quaestione est minoris momenti, quia neque ipse ideas Regni Dei prosequitur, neque dicendus est testis idearum in tribulibus suis vigentium. Aliorum philosophorum iudaeorum opera, ut *Aristobuli* (sub Ptolemaeo VI. 181—145), non iam exstant, nisi in citationibus aliorum scriptorum. Libri canonici *Iesus Sirach* et *Sapientiae* influxum philosophiae graecae modo suo loquendi clare manifestant; clarius etiam *liber IV Machabaeorum* qui vocatur, apocryphus, scriptus forte saeculo demum primo post Christum natum.

Ad genus *poeticum* quodam iure trahi possunt *interpolationes* et *falsificationes poetarum graecorum,* puta *Aeschyli, Sophoclis, Hesiodi, Homeri,* aliorum; immo libri integri sub nomine *Phocylidis,* qui vixit saeculo sexto a. Chr., et *Menandri* prodierunt, qui continent doctrinam Iudaeorum. Longe maioris influxus quam isti libelli facta sunt *Oracula Sibyllina,* collectiones scilicet versuum hexametricorum, qui se ortos esse fingunt a *Sibylla* hebraea, babylonica, aegyptiaca. Praedicant veritatem religionis Iudaeorum, praedicunt eventus futuros, promittunt bona, minantur mala. Exstat collectio librorum XIV, e quibus tamen desunt libri IX et X, *originis* partim *iudaicae* partim *ethnicae,* maxima autem ex parte *christianae.* Partes iudaicae ortae putantur inde a saeculo II a. Chr. usque ad saeculum III p. Chr.

61. Et haec quidem opera magni emolumenti esse possunt ad cognoscendas ideas messianicas, quae variis temporibus et regionibus sparsae erant; maioris autem momenti sunt *scripta religiosa,* quae magna ex parte ad *apocrypha* pertinent; aliqua deinde ex *rabbinicis* addenda erunt. Iam videndum erit, quo sensu intellegamus libros *apocryphos* et quinam libri ad nostram rem conferant.

De notione libri *apocryphi.* — Liber *apocryphus* imprimis dicitur *in oppositione* ad *canonicum.* Iamvero liber *canonicus* vi nominis est liber, qui correspondet alicui canoni seu alicui regulae normanti; est proinde liber *normatus.* Cum autem libri normati ipsi vicissim normam constituant,

e. g. doctrinae admittendae religiosae, hinc liber canonicus secundarie intellegitur liber *normans,* i. e. constituens regulam doctrinae vel fidei religiosae. Ut talis est *in usu publico* alicuius scholae (philosophicae) vel alicuius religionis. Ita libri canonici Ecclesiae collecti in corpore V^{is} T^{i} et N^{i} T^{i}, utpote a Deo scripti seu inspirati et ab eodem Ecclesiae ad usum publicum traditi, agnoscuntur ut fontes doctrinae christianae et revelationis divinae. Et hi quidem sunt *varii generis litterarii,* didactici, iuridici, historici, poetici, prout forma fert, quae tamen ipsum factum inspirationis nullo modo aufert vel alterat. Neque divisio librorum V^{is} T^{i} et N^{i} T^{i} in *proto-* et *deuterocanonicos* ullum discrimen indicat ratione inspirationis vel canonicitatis, sed tandummodo *temporis,* quo singuli libri ut sacri *universim cogniti* et *agniti* sunt. In dogmate enim canonicitatis et inspirationis, sicut in ceteris, progressus (subiectivus; cf. n. 815 sqq.) fieri potuit et factus est; alii libri mox ab omnibus agnoscebantur ut canonici, alii demum post discussiones amplioris vel brevioris temporis. Libri deuterocanonici V^{is} T^{i} enumerantur sequentes: Tobiae, Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici (Iesus Sirach), Baruch cum epistula Ieremiae (= Baruch 6), 1 et 2 Machabaeorum, partes Daniel et Esther.

Apocrypha documenta sunt illa, quae sub aliquo respectu sunt abscondita seu occulta, scilicet vel quoad *originem* vel quoad *usum* vel quoad utrumque. Et *quoad originem* quidem eo, quod auctor ignotus sit, seu etiam quod liber falso alicui ut auctori attribuatur, sicut e. g. evangelia apocrypha dicuntur esse Petri vel alius apostoli. Hoc sensu apocryphus liber fere est liber spurius vel non-genuinus, vel pseudonymus sive pseudepigraphus. *Quoad usum* autem liber aliquis potest esse absconditus, quia vel ob dignitatem eximiam non omnibus traditur (ut e. g. scripta gnosticorum plura), vel ob defectum auctoritatis et veritatis non publice legitur, vel etiam ut nocivus prohibetur; ita in *Fragmento Muratoriano* quod vocatur de *Pastore Hermae* dicitur: „Legi eum quidem oportet, se publicare vero in ecclesia populo, neque inter prophetas ... neque inter apostolos ... potest." De scriptis vero haereticis *Valentini* et aliorum ita habet: „Nihil in totum recipimus" (*K* 162 sq.).

In concreto apocryphi (religiosi) ii *libri* vocantur, qui, *ab auctoribus ignotis* conscripti, *praetendunt pro auctore habere* vel *hagiographos* vel saltem *viros eximios* historiae sacrae (patriarchas, ut Abraham, prophetas, ut Isaiam, iustos, ut Henoch, hagiographos, ut Mosem etc.). Inde pervenitur ad *sensum* libri apocryphi paulo *arctiorem,* scilicet libri, qui *aequiparari vult canonicis* neque vero canonicus est. Libri igitur apocryphi hoc sensu fingunt antiquitatem, imponunt sibi nomen auctoris clarissimi, agunt de argumentis similibus ac ipsi libri canonici, imitantur saepe formam eorum scribendi. *Finis* quem prosequuntur est religiosus, generatim didacticus vel moralis; ita libri apocryphi V^{is} T^{i} exponunt et extollunt Legem, revelationem nimirum Veteris Foederis, eiusque excellentiam prae aliis religionibus, eius nobilitatem et antiquitatem; dein vero, morem secuti librorum canonicorum, addunt adhortationes, promissiones, comminationes[3].

Valor, quem habent, diversimode diiudicatur, prout considerantur vel ut opera *litteraria,* vel ut documenta *religiosa,* vel ut fontes *historici,* e

quibus elucet sensus religiosus alicuius aetatis seu regionis seu factionis religiosae. Ut tales, ut fontes nempe *historici,* qui testantur *ideas messianicas* aetatis Christi, nobis sunt valoris eximii; sunt enim testimonia virtualia et obiectiva.

Hoc loco saltem notetur *differens modus loquendi auctorum catholicorum* et *protestantium. Protestantes* enim vocant libros *apocryphos* illos, quos nos *catholici* nominamus *deuterocanonicos,* quibus autem addunt *III Esdrae, III Machabaeorum, Orationem Manasse.* Nostros autem libros *apocryphos* vocant *pseudepigraphos*[4].

62. *Divisio* apocryphorum V^{is} T^{i} desumi potest ex diverso *genere litterario.* Exstant nimirum libri apocryphi didactici, poetici (in versione V^{is} T^{i} alexandrina additur psalmus 151, apocryphus), historici, atque haec dein genera saepe coniuncta cum *forma,* quae vocatur *apocalyptica.* Apocalypsis vi vocis est revelatio (cohaerens cum prophetia), quae profertur in somniis vel visionibus, in imaginibus et comparationibus saepe obscuris. Agit de arcanis vel mundi vel historiae vel providentiae divinae, imprimis vero de eschatologia, de Regno messianico vel de fine mundi, ea quidem intentione, ut Iudaei in iis consolationem inveniant in malis huius vitae. —

Iam brevi conspectu chronologico recenseamus illos libros apocryphos atque alios quoque auctores, qui de exspectatione *Regni Dei* et *Messiae* testimonium reddere poterunt.

Commune omnibus scriptis mox enumerandis est hoc, quod sint conscripta, in oppositione ad scripta hellenistica, ab Hebraeis, i. e. a Iudaeis, qui utebantur lingua vel hebraica vel aramaica, et maxima etiam ex parte in Palaestina habitabant.

Ita *liber Henoch* (aethiopicus qui vocatur ex lingua qua integer servatus est), generis didactici apocalyptici, scriptus est in idiomate hebraico vel aramaico, a pluribus, ut admittitur, auctoribus, assidaeis vel pharisaeis palaestinensibus. Et librum quidem primigenium attribuunt tempori Machabaeos antecedenti (c. 12—36; 90, 1—10; 91, 12—17); alias partes postea additas esse censent, partim tempore Iudae Machabaei (c. 83—90), partim saeculo primo ante Christum (c. 72—82), partim tempore Herodis (37 a. Chr. ad 4 p. Chr.). Praeter versionem aethiopicam exstant fragmenta graeca et latina.

63. *Liber Iubilaeorum* inde nomen habet, quod ea, quae Gen. 1 usque ad Ex. 12 continentur, narrat per iubilaea disposita; aliud nomen *Leptogenesis* seu parva Genesis eiusdem affinitatem ad Genesim exprimit. Est opus didactico-apocalypticum, ortum tempore Machabaeorum ab eorum assecla et amico, scriptum primitus hebraice, servatum aethiopice et partim latine. Simul cum libro Henoch erat liber magnae auctoritatis apud iudaeos et christianos.

Testamenta XII Patriarcharum, exhortationes videlicet, quas duodecim filii Iacob praebent, est eiusdem generis litterarii ac libri praecedentes, ita quidem, ut praevaleant partes paraeneticae prae propheticis. Ortus libri plane similis est origini libri Iubilaeorum, et quoad tempus (probabiliter versus finem saeculi II a. Chr.) et quoad auctorem (forte

pharisaeum, certe amicum Hasmonaeorum) et quoad linguam. Servatum est lingua graeca, armeniaca, versione latina et slavica iuniore, fragmentis aramaicis. Non desunt interpolationes christianae.

Psalmi Salomonis (Psalterium Salomonis) sunt poetico-apocalyptici, universi 18, compositi inde ab occupatione Urbis Sanctae per Romanos usque ad tempus Herodis, complectentes annos fere 63—37 a. Chr., ab auctore pharisaeo (?), palaestinensi, lingua hebraica. Servati sunt lingua graeca et syriaca.

Statuta Novi Foederis seu *Fragmenta operis sadokidici* est libellus quidam parvus, referens constitutionem et sortes sectae cuiusdam Iudaeorum, qui transmigrasse dicuntur in regionem damascenam. Exstat hebraice duabus recensionibus. De tempore libri nullus consensus habetur; nam alii circa 170 a. Chr. (Ed. Meyer), alii circa 63 (Bertholet), alii ante vel circa Christi nativitatem (Charles), alii circa annum 56 (Juster), alii circa tempus belli Barkocheba (Lagrange), alii saeculo septimo p. Chr. (Bousset) scriptum eum esse censent[5].

Ascensio (Assumptio) Mosis est apocalypsis, orta post mortem Herodis (anno 4 a. Chr.), scripta a Iudaeo (pharisaeo? esseno?) palaestinensi. Ex lingua primigenia (hebraica?) profluxit graeca versio, cuius fragmenta exstant; maior pars servata est in versione latina antiqua.

Posteriore tempore, delcta scilicet Urbe, ortae sunt duae apocalypses similes et cognatae inter se, liber *IV Esdrae* qui vocatur, et *Apocalypsis Baruch* (syriaca, in oppositione ad graecam). *Prior* scripta est tempore Domitiani (81—96), lingua hebraica, a Iudaeo pio, fortasse pharisaeo, ad consolandos Iudaeos de sorte Ierusalem. Exstant versiones latina, syriaca, aethiopica, arabica, armeniaca. Capita duo priora (1 et 2) et ultima (15 et 16), quae in versione latina, multis Vulgatae editionibus appendicis gratia adiecta, leguntur, pro interpolatione christiana habentur. — Paulo postea videtur scripta esse *Apocalypsis Baruch* syriaca, ultimo scilicet decennio saeculi I p. Chr., a Iudaeo forte palaestinensi, lingua graeca vel hebraica. Servata est lingua syriaca; versionis (vel textus primitivi) graecae pauca exstant fragmenta.

64. Hisce iam scriptis apocryphis accensenda sunt pauca alia *documenta,* nimirum *liturgica* sicut *Schemone Esre* (oratio 18 precationum), quae ortum ducit a saeculo I p. Chr., *rabbinica* sicut *Mischna,* codex scilicet iuris Iudaeorum, qui in formam hodiernam redactus est saeculo II, at compositus ex effatis et decretis multo antea exsistentibus. Tandem accedunt aliqua testimonia *christiana,* imprimis *Iustini* Dialogus cum Tryphone, scriptus circa annum 160 et, breviter sententiam Iudaeorum sui temporis complectens, *Hippolyti Romani* († 235) in opere suo, quod inscribitur *Philosophumena.* Testimonia *ethnicorum* sunt perpauca; idem fere dicendum est de *factis historicis,* quae intellegi possunt ut sequelae quaedam spei messianicae viventis atque aliquando prorumpentis. Quibus ita expositis iam ad assertionem ipsam accedamus.

ASSERTIO 2. Ideam Regni Dei tempore Christi inter Iudaeos viguisse, et ut plurimum quidem sensu etiam messianico, ostendunt documenta tum Iudaeorum tum ethnica et christiana.

In hac assertione, si placet, ita progrediemur, ut primo exponamus, quid singuli fontes modo recensiti de *Regno Dei* et *Messiae* edicant; dein conspectu comprehendamus *idearum,* quae inter Iudaeos vigebant, *diversitatem* eiusque *radices,* textus videlicet ex libris V^{is} T^{i}, in quibus fundantur.

I. Quidnam singula documenta contineant.

65. 1. Ex *Oraculis Sibyllinis sufficit* allegare textus quosdam e *tertio* libro, orto saeculo I a. Chr. *Regnum Dei* sese manifestabit, „quando Roma etiam Aegypto dominabitur" (3, 46); tunc enim „*Regnum* maximum (βασιλεία μεγίστη) regis immortalis hominibus apparebit. Veniet autem *princeps sanctus,* sceptra tenens universae terrae in omnia aeva temporum decurrentium. Tunc Latinorum (Romanorum) ira implacabilis; tres Romam perdent . . ." (3, 48—51). Haec scripta sunt annis circiter 40—30 a. Chr., et ostendunt *Regnum Dei* coniunctum cum *messianico,* si „princeps sanctus" est Messias. — Versus sequentes 97—829 attribuunt tempori anteriori, annis nempe 140—80 a. Chr.; in istis clare describitur *Regnum Messiae et Dei* simul. „Et tunc Deus caelestis (caelitus?) mittet regem, qui iudicet omnes homines in sanguine et flamma ignis. Est autem stirps quaedam regia, cuius genus numquam cadet; et ipsa decursu temporum regnabit et eriget novum sanctuarium Dei. Et contribuent omnes reges Persarum . . ." (3, 286—291). Ipse autem rex imprimis *Iudaeis* mittitur, ut virtute Dei victoriam et pacem eis reddat. „Et tunc omnes insulae et urbes praedicabunt, quantopere Deus immortalis istos viros (filios magni Dei) diligat . . ." et dicent: „Venite, procidentes in terram supplices precemur regem immortalem, Deum magnum aeternum; mittamus (dona) ad eius templum; nam ipse solus est dominus; consideremus legem Dei altissimi, utpote iustissimam ex omnibus, quae super terram sunt" (3, 710 sq. 715—720). — In *quinto* autem libro, scripto inter annos 70 et 100 p. Chr., *adventus Messiae* ita describitur: „Venit enim *e firmamento caeli* vir beatus, sceptrum in manibus suis tenens, quod Deus ei dedit, qui omnibus potitus restituit omnibus bonis divitias, quas pristini viri eis abstulerant. . . . Et civitatem, Deo desideratam, ipsam reddidit splendidiorem stellis ac sole et luna . . . et aedificavit turrim (πύργον), quae pertingit usque ad nubes et ab omnibus conspici potest, ita ut omnes fideles et iusti videre possint glo-

riam Dei aeterni, imaginem desideratam" (5, 414—427). Tunc erit finis temporum, „ultimum tempus sanctorum" (5, 432).

Regnum Messiae est *Regnum Dei per Messiam adductum, his in terris exsistens.*

66. 2. In *libro Henoch* alia et alia occurrit idea *messianica* et *Regni Dei.* In partibus *antiquioribus,* scriptis tempore Machabaeorum, *Regnum* quidem *Dei* magnopere praedicatur; „Benedictus sis tu, Domine, Rex magnus et potens in tua magnitudine, Dominus totius creaturae caeli, Rex regum et Deus universi mundi. Potentia tua et regimen tuum et magnitudo tua manent in omnes aeternitates . . ." (84, 2; Oratio Henoch). In *visione* dein *decem hebdomadarum* dicitur novum caelum oriturum esse, secuturum tempus pacis et libertatis a peccato (91, 15 sqq.); de *Messia non est sermo.* In *visione* praecedenti, *animalium,* mentio quidem fit *Messiae,* sed ipse Deus iudicium fert de pastoribus (Israel) infidelibus (90, 20 sqq.); ipse quoque erigit novam domum, in qua ipse (Deus) moratur, atque omnes oves congregatae sunt, sive dispersae sive etiam occisae. Tunc demum nascitur *Messias,* qui ut iuvencus albus describitur, sed in *Regno Dei* novo non est nisi ornamentum quoddam. —

Aliter in *libro Parabolarum* (37—71), quae compositae sunt saeculo ultimo, forte ultimis decenniis ante Christum natum. Henoch vidit Deum, „caput dierum", et cum eo alium quendam, cuius facies erat humana et cuius pulchritudo angelica. Hic est *„Filius hominis",* secundum explicationem angeli Henoch factam, „qui tenet iustitiam, . . . et manifestat omnes thesauros eius, quod fuit absconditum; nam Dominus spirituum ipsum elegit . . ." (46, 1—3). Henoch deinde videt „fontem iustitiae inexhauribilem" et multos „fontes sapientiae"; audit nomen „Filii hominis, quod nominatum est ante Deum, priusquam sol et signa (zodiaci) nominata sunt. . . . Ipse erit baculus iustorum et lumen gentium et spes moerentium". Coram illo procident omnes populi; „ad hunc enim finem fuit *electus* ab eo (Deo) et *absconditus,* antequam mundus creatus est, et (erit) ante eum in aeternum. Sapientia Domini spirituum revelavit eum sanctis et iustis; . . . nam in eius nomine salvabuntur; ipse est vindex vitae eorum" (48, 6 sq.). Qui autem negaverint Deum et *„Unctum"* (Messiam) eius, punientur (48, 10). Sequitur resurrectio mortuorum (51 sqq.); „haec omnia, ait angelus ad Henoch, quae vidisti, inserviunt *regimini Uncti* eius (Dei), ut sit fortis et potens in terris" (52, 4). *Regnum messianicum in terris* erit victoriosum et gloriosum; impii punientur; ultimum quidem impetum facient in Ierusalem, sed peribunt

in inferno, non victi a Messia, sed confecti proprio gladio (56). *Messias* autem habebit *ultimum iudicium*. „Ipse (Filius hominis) consedit in throno maiestatis suae; traditum est ei summum iudicium; delet peccatores et omnes, qui mundum seduxerunt, a facie terrae . . . omne malum disparebit ante faciem eius . . . sed verbum illius Filii hominis validum erit ante Dominum spirituum" (69, 27—29).

67. 3. *Liber Iubilaeorum,* ortus tempore Machabaeorum, sicut capita 83 sqq. libri Henoch, *Messiam* vix ac ne vix quidem novit. Populus quidem, si se converterit ad Deum et „neomenias, sabbatum, festa, iubilaea, ordinem" (1, 14) iterum observaverit, a Deo congregabitur ex dispersione. „Si me (Deum) quaesierint ex toto animo suo et ex tota mente sua, aperiam eis plenitudinem salutis in iustitia. Et mutabo eos in plantam iustitiae . . . et erunt in benedictionem. . . . Et aedificabo sanctuarium meum in medio eorum et habitabo cum eis et ero eorum Deus, et ipsi populus meus mihi erunt in veritate et iustitia" (1, 15—17). „Et dabo eis spiritum sanctum et mundabo eos, ut non iam se avertant a me . . .: et implebunt mandatum meum et ero ipsis pater, et ipsi erunt mihi filii . . ." (1, 23 sq.). „Et Deus se manifestabit oculis uniuscuiusque, et omnes cognoscent me esse Deum Israel et patrem omnium filiorum Iacob, et regem in monte Sion in aeternum; et Sion et Ierusalem erunt sancta" (1, 28). In benedictione Iudae forte allusio invenitur ad *Messiam*-regem: „Esto princeps, tu es unus e filiis tuis, super filios Iacob. Nomen tuum et nomen filiorum tuorum exeat et divulgetur super universam terram, in (omnibus) gentibus. Tunc timebunt populi faciem tuam. . . . Et si sederis super thronum gloriae iustitiae tuae, regnabit pax profunda super totum semen filiorum dilecti" (31, 18 20). Israel hereditabit totam terram in aeternum (32, 18 sq.).

68. 4. Plura sane de *Messia* inveniuntur in *Testamentis XII Patriarcharum,* sed incertum manet quandoque, quaenam sint originis iudaicae, quaenam christianae. In testamento *Levi,* sacerdotalis tribus, narrantur scelera sacerdotum eorumque poenae. „Tunc . . . Dominus suscitabit *novum sacerdotem*, cui revelabuntur omnia verba Domini; ipse iudicium veritatis feret in terra plurimis diebus. . . . Fulgebit sicut sol in terris et auferet omnes tenebras a terra, eritque pax in universa terra. Caeli exsultabunt in eius diebus . . . et cognitio Domini effundetur super terram sicut undae maris. . . . Non habebit successorem . . . peccatum non iam erit. . . . Ipse aperiet portas paradisi. Beliar alligabitur; filiis suis (sacerdos) potestatem dabit conculcandi spiritus malignos" (18). Sed

simili modo etiam ex *Iuda Messias* oriturus dicitur. Orietur enim stella ex Iacob; aperientur caeli et profluent benedictiones „patris sancti", spiritus veritatis. Exiet surculus ex Iacob et sceptrum regni, sceptrum iustitiae pro gentibus, quo iudicet et liberet omnes, qui eum invocaverint (24). Regnum igitur *messianicum in terris,* ut videtur, universale.

69. 5. Sicut liber Iubilaeorum, Testamenta Patriarcharum, partes antiquiores libri Henoch ostendunt *spem messianicam* parum vivam, ita *Psalmi Salomonis* (cum Parabolis libri Henoch) *vivide pingunt adventum Messiae;* sunt etenim ex eodem fere tempore, ex medio saeculo I antechristiano. Praeter facta historica (ut ingressum Pompei in templum, Ps. 8, eiusque mortem in Aegypto, Ps. 2), praeter increpationes in sadducaeos (Ps. 4), preces et actiones gratiarum Deo directas (cf. Ps. 13 et 16) plura de *Regno Dei* et *Messiae* inveniuntur, vehemens desiderium coniunctum cum petitione ardenti ad Deum, ut adducat tempus *Messiae.* Ita in Ps. 11: „Canite tuba in Sion . . . Deus Israel misertus visitavit eum! . . . Faciat Dominus Israel et Ierusalem, quod promisit! Erigat Dominus Israel per nomen suum gloriosum! Domini est miseratio super Israel in omnem aeternitatem!" *Psalmi* deinde *17* et *18* sunt *messianici. Deus* quidem est *rex Israel:* „Domine, tu ipse es rex noster in omnem aeternitatem. . . . Nos autem speramus in Deum salvatorem nostrum, nam . . . *Regnum Dei* nostri (βασιλεία τοῦ Θεοῦ) aeternum (est) super gentes in iudicio" (17, 1—3). Sed Deus populo suo promisit *Messiam* ex stirpe David. Populus quidem peccavit; impii (Machabaei) usurparunt et vastarunt thronum David (17, 6); sed Deus populi sui ab hostibus oppressi miserebitur (17, 7—20). „Vide Domine et suscita eis *regem* eorum, *filium David,* tempore a te statuto, ut regnet super Israel, puerum (tuum), et accinge eum potentia, ut confringat principes iniustos, purget Ierusalem a gentibus . . . et congreget populum sanctum . . . et iudicet tribus populi sanctificati . . ." (17, 21—29). Omnes gentes debent ipsi servire, sed in terra sancta habitabunt soli Iudaei, quos reget in iustitia, doctus ipse a Deo, in quo solo fiduciam suam ponit. Nam „*Dominus* ipse est *eius (Messiae) rex,* spes eius, qui fortis est in spe divina" (17, 34). „Verba *(Messiae)* sunt puriora quam aurum primum; in conventibus (συναγωγαί) iudicabit tribus populi sanctificati. Verba eius sicut verba sanctorum in medio populorum sanctificatorum" (17, 43). „Acceleret Deus misericordiam suam super nos! Redimat nos ab immunditia inimicorum impiorum! *Dominus* ipse est *rex noster* in aeternum et ultra!" (17, 45 sq.) Et Ps. 18 addit: „Beatus, qui vivet

in illis diebus et videbit *salutem Domini,* quod dabit generationi venturae sub sceptro *Uncti Domini* in timore Dei sui, in sapientia spiritus et iustitiae et fortitudinis" (18, 7 sq.).

Idea atque ipsae expressiones spei *messianicae* prorsus similes sunt illis, quas mox in evangeliis inveniemus.

70. Alius generis, videlicet cognata libro Henoch, Iubilaeorum, Testamentorum sunt *Instituta Novi Foederis* et *Assumptio Mosis;* et prius quidem documentum *excludit Messiam* ex stirpe *David,* alterum autem *nullum* novit *Messiam,* sed solum *Regnum Dei* a Deo immediate adductum.

6. *Statuta Novi Foederis,* e *Sadok* nominata (qui iubente David unxit Salomonem regem: 3 Reg. 1, 8 26, ad quem deinde transiit sacerdotium summum ex linea aaronitica Ithamar: cf. 2 Reg. 8, 17; 3 Reg. 2, 35), cuius genus usque ad Machabaeos obtinuit sacerdotium summum (cf. Ez. 40, 46; 44, 15; Eccli. 51, 12 secundum textum hebraicum), exspectant quidem *Regnum Dei* atque etiam *Messiam;* at non ex stirpe David, sed *e familia Aaron,* e qua Sadok ortus est. In fine temporum „Deus visitavit residuum (populi Israel) et suscitavit radicem (ex Israel et Aaron), plantam, quae possideat terram suam" (1, 7). Plurimi quidem ex Israel dereliquerunt Foedus Domini; „sed in illis, qui servarunt mandata Dei, Deus foedus suum pepigit sempiternum cum Israel, ut eis revelaret ea, quae Israel errans deseruit: sabbata sua sancta, festa sua gloriosa, mandata sua iusta, vias suas veraces, postulata suae voluntatis. . . . Et Deus aedificavit illis *domum aeternam* (securam) in Israel, qualis antea non fuit usque hodie; et qui manent in ea, accipient vitam aeternam omnemque gloriam humanam" (3, 12—20). Verba prophetae *Amos:* „Suscitabo tabernaculum *David,* quod cecidit", interpretantur de Lege: „Libri Tora sunt tabernaculum regis . . . rex est coetus (populi); . . . stella est ille, qui studet Tora, qui exiit Damascum (ubi secta habitare dicitur), sicut dicitur ‚stella orietur ex Iacob et sceptrum elevatur ex Israel'" (Num. 24, 17). In legibus huius Novi Foederis ambulent omnia membra eius, „donec veniat *magister iustitiae* in fine dierum" (6, 11), i. e. *Messias, „Unctus Aaron et Israel"* (19, 10). „Sed omnes qui perseveraverint in his legibus . . . et audierint vocem magistri iustitiae . . . neque deviaverint ab institutis iustitiae . . . laetabuntur et exsultabunt . . . et videbunt salutem eius (Dei); nam speraverunt in nomine sancto eius" (20, 27—34).

Cognatio idearum cum libro Iubilaeorum et Testamento Levi negari vix poterit; num autem ex hoc quaestio temporis, quo haec Statuta scripta sunt, solvi possit, incertum manet.

71. 7. In *Assumptione Mosis* describuntur persecutiones magnae, quae praecedunt adventum *Regni Dei;* sat clare indicantur tempora Herodis et Quinctilii Vari, qui post mortem Herodis (anno 4 a. Chr.) Urbem expugnavit, templum partim devastavit, multos Iudaeos crucifixit. Tunc sacerdos quidam ex tribu Levi cum septem filiis suis se abscondit in spelunca quadam, in qua ieiunantes exspectant mortem: „Moriamur potius, quam praetereamus mandata domini dominorum, dei parentum nostrorum. Hoc enim si faciemus et moriemur, sanguis noster uindicabitur coram domino" (9, 6 sq.). Nomen huius levitae est *Taxo;* num proprium an pseudonymum an typicum et allegoricum, non constat.

„Et tunc parebit *regnum* illius in omni creatura illius, et tunc zabulus (diabolus) finem habebit, et tristitia cum eo adducetur. Tunc implebuntur manus nuntii, qui est in summo constitutus, qui protinus uindicabit illos ab inimicis eorum (Michael? Messias? Elias?). (Sur)get enim caelestis a sede *regni* sui et exiet de habitatione sancta sua. . . . Et tremebit terra . . . sol non dabit lumen . . . et (luna) tota conuertit se in sanguine(m), et orbis terrarum conturuauitur . . . quia exsurgit summus deus aeternus solus, et palam ueniet, ut uindicet gentes, et perdet omnia idola eorum. Tunc felix eris tu, Istrahel, et ascendes super ceruices et alas aquilae et implebuntur . . . (?). Et altauit te deus, et faciet te haerere caelo stellarum, loco habitationis eorum, et conspi(ci)es a summo et uides inimicos tuos in terram et cognosces illos et gaudebis et agis gratias et confiteberis creatori tuo" (10, 1—10)[6].

Regnum igitur *Dei* parebit virtute divina sola, *absque Messia,* ut videtur; si autem quis ad eius adventum contribuit, non est Messias e domo David, sed levita e familia *Aaron,* neque vi armorum, sed oratione et sacrificio propriae vitae; idea similis erat familiaris rabbinis temporis Christi. *Regnum* dein *Dei* describitur ut transcendentale, super terram elevatum.

72. 8. In fine eiusdem saeculi primi, in cuius initiis scripta est Assumptio Mosis, duae apocalypses *Esdrae* et *Baruch* imaginem prorsus aliam pingunt de *Regno Dei* et *Messiae.* Licet intime inter se cohaereant, exsistunt tamen aliquae inter eas differentiae; praestat *liber IV Esdrae* et modo artificioso compositionis ac dictionis, et idearum claritate, quapropter hodie quoque invenitur in editionibus Vulgatae, non quidem ut liber canonicus, sed ut dignus qui legatur. Sufficiat adumbrare doctrinam libri de *Regno messianico. Messias* vocatur *„filius meus"* (7, 29; 13, 32 37 52; 14, 9), sensu non metaphysico sed morali, ut videtur;

describitur ut *ascendens e corde maris:* „Vidi, et ecce, ventus ille adduxit e corde maris *aliquem velut hominem;* conspexi, et ecce, homo ille volavit cum nubibus caeli“ (13, 3); est ex semine *David,* sed simul *praeexsistens:* „Leo (sub hac imagine introducitur Messias in quinta visione) . . . est *Christus,* quem Altissimus servavit in finem dierum, qui orietur ex semine David . . .“ (12, 31 sq.); vir exsurgens e corde maris est „ille, quem Altissimus servat per diuturna tempora, per quem *redimere* vult *creaturam*“, sine gladio et armis; spiritu potius et halitu oris sui interficiet hostes suos (13, 25 sqq.; cf. 13, 52; 14, 9). Ipse erit *iudex* malorum quos perdet (12, 33; 13, 3 sqq.), *salvator* populi sui (12, 34; 13, 26), quem congregabit (13, 12 sq.) in Ierusalem novum, praeexsistens (13, 36; cf. 7, 26; 10, 54 sq.). *Regnum messianicum* his in terris durabit 400 annis: „Nam filius meus Christus se manifestabit cum omnibus, qui cum eo sunt, et dabit residuis (superstitibus) gaudium per 400 annos; post hos annos *morietur* filius meus Christus, omnesque qui habent spiraculum humanum“ (7, 28 sq.). Post dies septem silentii et quietis sequitur *resurrectio* mortuorum, *iudicium* universale (7, 31 sqq.; 8, 61; 14, 35); hoc autem iudicium erit *Dei:* „Creata sunt (omnia) per me solum et non per alium, ita et finis per me et nullum alium“ (6, 6); „Altissimus parebit in throno iudicii“ (7, 33). Sequitur gaudium aeternum bonorum, tormentum malorum (8, 52 sqq.; 7, 36 sqq.).

Ex hac expositione elucet auctorem non solum fuisse Iudaeum, sed eum scribere ex certa quadam *oppositione* ad religionem *christianam,* quae Iesum Christum agnovit ut Filium Dei sensu proprio et Filium hominis venientem desuper, non ex corde maris.

73. 9. In *Apocalypsi Baruch* apparet *Regnum Dei* maxime ut iudicium Dei super Israel et universum mundum; aliae gentes sunt instrumenta in manu Dei ad puniendum Israel, in eius tamen salutem. *Regnum Dei futurum* est duplex: alterum quidem *messianicum* his in terris, alterum autem *absolutum* in altera vita.

Messias quidem sese revelabit post tribulationes plurimas et gravissimas, quae affligent universam terram; sed cum Messia felicitas omnimoda in terra apparebit (29, 1 sqq.). „Et postea, impleto tempore adventus Messiae, cum gloria in caelum redibit. Tunc omnes, qui in eum sperantes mortui sunt, resurgent (simul omnes) . . . et primi gaudebunt et ultimi non lugebunt“ (30, 1 sqq.). — *Plenius Regnum Messiae* describitur in *visione cedri, silvae, vitis* (35 sqq.). Post quartum regnum impium apparebit *„regimen Messiae“* (39, 7), qui ultimum regem adduci iubet, iudicat, occidit. „Et regimen eius (Messiae) erit aeternum in saecula, donec con-

summetur mundus corruptibilis, et donec impleantur tempora antea assignata" (40, 3). — Tertio agit de Messia in explicatione *visionis aquae nigrae.* Veniet confusio et perturbatio super mundum; bella sequentur terrae motus, ignis, fames; omnes gentes autem tradentur manibus Messiae; populi, qui Israel persecuti sunt, peribunt; illi autem, qui ei pepercerunt, et ipsi cum Israel vivent (69—72). „Et postquam omnia, quae in mundo sunt, humiliavit, et in pace sedit in solio aeterno regni sui, deliciae sese manifestabunt, apparebit tranquillitas . . . sanitas . . . laetitia. . . . Nemo ante tempus morietur . . ."; omne malum aufertur e mundo (73). — Postea autem — ita supponere fas est — erit resurrectio mortuorum (30, 1 sqq.); terra reddet mortuos quos recepit, qui deinde mutabuntur; boni in gloriam, mali in foeditatem (50 sq.). „Eritque ibi sententia (*Dei*) in perniciem, ac via quae ducit in ignem, et semita ad gehennam" (85, 13; cf. 24, 1).

Ideae igitur *Regni Dei* et *Messiae* plane similes sunt ac in libro IV Esdrae.

74. 10. Hoc loco inserendos censemus *Philonis* et *Flavii Iosephi* scripta et testimonia de *Regno Dei* et *Messiae.* — Et *Philo* quidem, philosophia alexandrina imbutus, allegorismum, cui indulsit, etiam ingessit in explicationem *Regni Dei* et *Messiae.* Deus aliquando congregabit Israelitas, seu potius omnes qui sese converterint ad Legem Dei, non virtute aliqua physica, sed miro suo lumine, quo illuminat dominos illorum, ita ut quasi ex condicto servis suis libertatem dent. Liberati vero, ducti aliqua visione supernaturali, cuius naturam Philo non ulterius describit, properabunt in terram sanctam, aedificabunt civitates destructas, colent terram desertam (De exsecrationibus § 8; ed. *Cohn-Wendland* V 374). Erit deinde tempus pacis, tum hominum cum feris, tum hominum inter se. Qui autem pacem turbaverit, exstinguetur. „Nam exibit *vir,* ait sapientia (Num. 24, 7 sec. LXX), qui bella geret et populos magnos et numerosos vincet, quia Deus ipse adiuvabit sanctos suos" (De praemiis et poenis § 16; ed. *Cohn-Wendland* V 357). *Messias* igitur, licet nullius fere necessitatis in *Regno Dei* futuro, tamen nominatur; Philo enim scripsit primis decenniis aerae christianae, quando vigebat idea messianica.

Flavius Iosephus agnovit *Regnum Dei* eatenus, quatenus ipse constitutionem populi sui nominat *theocratiam* (Contra Apionem 1, 16; cf. n. 34); at ideam *Messiae* fere non habet, vaticinia messianica fere omittit. Ipse tamen aliquibus locis testatur, suo tempore viguisse *spem messianicam.* Ita enim scribit: „Sed quod maxime eos (Iudaeos) ad bellum excitaverat, vaticinium erat am-

biguum, in sacris libris repertum, illis circiter temporibus quendam ex ipsorum finibus orbis terrarum imperio potiturum. Id enim illi quidem quasi sibi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Significabat nempe oraculum Vespasiani principatum, qui in Iudaea declaratus est Imperator" (Bell. Iud. 6, 5, 4). Ita ipse Iosephus iamdudum, prophetam gestiens, Vespasiano praedixerat: „Tu Caesar eris, Vespasiane, et Imperator; tu et filius iste tuus (Titus, qui erat praesens)" (3, 8, 9). Ex *vaticiniis* messianicis allegat duo imprimis atque ut vera et veridica praedicat; alterum *Balaam,* qui eventus futuros praedixerit; „hinc licet concludere, quod in reliquum tempus alia similiter eventura sint" (Antiquitates 4, 6, 5); alterum *Danielis,* cuius prophetiam enarrare ideo declinat, quia praeterita, non vero futura litteris consignare debeat. „Si quis autem veritatis avidus . . . (plura) scire desideret, det operam, ut Danielis librum perlegat, quem in sacrorum librorum codice inveniet" (Ant. 10, 10, 4).

Ex libro Iosephi videntur *scriptores romani, Tacitus* (Hist. 5, 13; *K* 35) et *Suetonius* (Vita Vespasiani 4; *K* 42; cf. Vita Neronis 40, 2) hausisse. Testimonium Iosephi *de Christo* (Ant. 18, 3, 3; *K* 7) num sit genuinum, interpolatum, falsificatum, multum disputatur; verba autem eius de *Ioanne Baptista* (ib. 18, 5, 2; *K* 8) et *Iacobo,* fratre Iesu (ib. 18, 9, 1; *K* 9), a pluribus ut genuina agnoscuntur[7].

75. 11. Ultimo loco consideranda est sententia *rabbinorum* de *Regno Dei* et *Messiae,* quae erui potest imprimis ex ipsis *scriptis rabbinicis,* dein vero etiam ex aliis fontibus, inter quos eminent duo christiani: *Iustini* Dialogus cum Rabbi Tryphone et testimonium *Hippolyti* de spe messianica suo tempore inter Iudaeos vigente. Praemittimus his textibus duo testimonia virtualia, scilicet *liturgica.* Alterum est *Schema,* constans ex Deut. 6, 4—9; 11, 13—21; Num. 15, 37—41, in quibus locis inculcatur, Iahve esse solum Deum Israel; recitandum est bis quotidie ab omnibus viris. Alterum est *Schemone esre,* oratio principalis Israelitarum, ab omnibus recitanda ter quotidie. Origo eius est pervetusta; nam cum in *Mischna* citetur, atque in formam hodiernam iam annis circiter 70—100 p. Chr. redacta sit, ipsa oratio ulterius etiam ascendit. Constat 18 (19) benedictionibus, e quibus plures mentionem Messiae faciunt. 1: „Benedictus sis, Deus noster et Deus patrum nostrorum . . . qui . . . recordaris promissionum tuarum, quas patribus fecisti, et dabis salvatorem filiis eorum propter nomen tuum in caritate. O rex, qui affers auxilium et

salutem, scutum tuorum. Benedictus sis, scutum Abrahae!" 14: „Revertere in Ierusalem, civitatem tuam, plenus misericordia; habita in medio eius, sicut dixisti; aedifica eam in diebus nostris in aedificium aeternum; erige thronum David celeriter in medio eius! Benedictus sis, Domine, qui aedificas Ierusalem! 15: „Fac ut germinet germen ex David servo tuo, et exalta cornu eius adiutorio tuo; nam in tuam salutem speramus omnibus diebus. Benedictus sis, Domine, qui germinare facis cornu salutis!" 19: „Affer magnam salutem super Israel, plebem tuam, in sempiternum; tu enim es Rex, Dominus totius salutis. Benedictus sis, Domine, qui benedicis populo tuo Israel in salute!" — Hae deprecationes supponunt destructionem Urbis sanctae; redactae sunt igitur post annum 70.

In *Mischna* nomen *Messiae* non occurrit. Saepe quidem loquitur de Regno Dei (cf. supra n. 23 25); hortatur — imprimis in tractatu *pirqe abôth* seu *Effata patrum* — ut omnes addiscant et sedulo observent Legem. „Verte eam (*Tora*) huc vel illuc: Omnia enim in se continet." Quinque sunt res, quas Sanctus (Deus) vocavit suam proprietatem: Tora — caelum et terram — Abraham — Israel — domum sanctuarii; ita in fine huius tractatus; *Messiae* eiusque Regni futuri non fit mentio. Ad quid enim veniet? In *Talmud,* explicatione ulteriore et posteriore libri *Mischna,* de *Messiae* munere agitur: „Non est differentia inter dies nostros et *Messiae,* nisi in eo quod reges ei servient" (ita in Talmud babylonici tractatu berakhôth 34b); in *midrasch* quodam saeculi VI dicitur: „Israel non indiget instructione Messiae-regis; nam legitur: ‚Gentes (gojim) eum quaerent'" (Is. 11, 10). Haec testimonia posterioris temporis caute adhibenda erunt, attamen forte inserviunt ad intellegendum spiritum rabbinicum[8]. Ex eodem spiritu intellegitur, aliquoties in *Mischna Eliam* nominari, imprimis in tractatu *edujoth* (8, 7)[9]; Elias enim paces componet (Mal. 3, 23 sq.), lites discernet; numquid etiam Legem interpretabitur? *Lex* pro rabbinis fere erat summum, cui ipse *Messias* addere nil potuit.

76. Quae modo dicta sunt, partim confirmantur, partim vero complentur iis, quae in *Dialogo Iustini* cum *Tryphone* leguntur de spe messianica. Iustinus fingit dialogum cum Iudaeo, legisperito, imbuto litteris hellenisticis, qui propter bellum Barkocheba fugerit ex Palaestina (c. 1). Revera exstitit rabbi quidam nomine *Tarphon,* coaetaneus *Akiba.* Tryphon haec fere de exspectatione messianica habet: Totus populus exspectat *Messiam,* et quidem propter plurima vaticinia V^{is} T^{i} (89), qui erit merus homo seu „homo ex homini-

bus" (48 sq.; 67); reicitur ut blasphema praeexsistentia (38; cf. 56), incarnatio et nativitas ex virgine (67); erit aliquo modo Messias patiens (propter Is. 53; Dial. 36; 39; 68; 89 sq.), sed non crucifigetur (89 sq.). Aut nondum exsistit, aut est absconditus atque inscius dignitatis suae messianicae et sine ulla potestate, donec veniat *Elias* et ungat eum eumque omnibus manifestaverit (8; 49)[10].

Hippolyti demum testimonium est hoc: „Omnes autem (Iudaei) simili modo *Christum* exspectant, cum . . . tempus eius adventus non agnoverint; . . . generationem eius futuram esse dicunt ex genere *David,* non autem e Virgine et Spiritu Sancto, sed e muliere et viro . . . hunc futurum esse regem super ipsos, virum belligerantem ac potentem, qui, ubi congregaverit universum populum Iudaeorum omnesque populos bello persecutus fuerit, instaurabit iis Hierosolyma, urbem regiam, in quam congregabit universum populum et rursus ad priscos mores reducet fungentes regio et sacerdotali munere et habitantem in confidentia per satis longa tempora; tum insurrecturum esse bellum contra eos congregatos. In illo bello casurum esse *Christum* per gladium. Tum haud ita multo post successuram esse consummationem et deflagrationem universi, et ita, quae de resurrectione opinantur, perfectum iri mercedesque cuique prout egerit tributum iri" (9, 30; *MSG* 16 c 3409 sqq.)[11].

Ideas messianicas apud *Iustinum* et *Hippolytum* depictas, iamiam passas esse influxus *christianos,* illico apparet; et influxus quidem partim positivos (de Christo patiente), partim negativos (in oppositione ad doctrinam christianam).

77. 12. *Facta historica,* quae ostendunt spem messianicam tempore Christi ferbuisse, sunt fere haec: *Bellum Barkocheba* (132—135) et *Iudaicum* (66—73) fuisse partim saltem coniuncta cum ideis messianicis, supra iam vidimus (n. 74; cf. 80). Ante bellum Iudaicum plures *pseudo-messiae* prodibant, sicut *Aegyptius,* qui colligebat multitudinem hominum, quam eduxit in montem Oliveti, ut inde verbo oris sui moenia Ierusalem destrueret et Romanis devictis summa potestate potiretur (Act. 21, 38; Ios. Bell. Iud. 2, 13, 5; Ant. 20, 8, 6). A romano procuratore Felice (52—60) asseclae eius dispersi sunt. — Paulo antea, post annum 44 p. Chr., sub procuratore Cuspio Fado, *Theudas* quidam, alius ac ille qui in Actibus (5, 36) a Luca nominatur, promisit se solo verbo undas Iordani divisurum, in signum suae legationis divinae. A militibus Fadi caesus est (Ios. Ant. 20, 5, 1). — Anno 35 sub Pontio Pilato vir quidam seduxit multos homines, quibus promisit se ipsis ostensurum *in monte Garizim* sacra *vasa a Mose istic de-*

fossa atque recondita. Pilatus vero homines partim interfecit, partim captivos abduxit (Ios. Ant. 18, 4, 1 sq.). — Anno 6 vel 7 p. Chr. census alter Quirinii[12] excitavit populum, ex quo tunc ducibus *Iuda Galilaeo* et *Saduk* sacerdote (et *Theuda:* Act. 5, 36) oriebatur factio *zelotarum* (Ant. 18, 1, 1). — Post mortem Herodis (anno 4 a. Chr.) Varus legatus Syriae debuit reprimere varios motus, *Iudae Galilaei, Simonis Peraeensis,* pastoris cuiusdam *Athrongis,* qui homines collegerunt, quibus vim politicam Iudaeorum acquirerent, titulumque regium sibi attribuerunt (Ios. Ant. 17, 10, 5 sqq.). — Immo vivo adhuc Herode *pharisaei* „praedixerunt, fore ut Herodes eiusque progenies Dei decreto regimen amitteret, idque ad ipsam (coniugem Pherorae, fratris Herodis) et ad Pheroram ipsorumque liberos deferatur". Herodes autem necavit pharisaeos simulque *Bagoam* spadonem, quia nominabatur a pharisaeis „pater et benefactor (beneficus)" eius, qui ut *Rex venturus universae terrae* (Messias?) omnium rerum potestatem habiturus esset (Ios. Ant. 17, 2, 4). Et haec sunt, quae commemoranda occurrunt; simul cum testimoniis litterariis ostendunt, *spem messianicam* tunc temporis fuisse vivam, sicut evangelia eam nobis depingunt.

II. Quaenam sint horum fontium ideae messianicae quaeque earum radices in libris sacris Veteris Testamenti.

78. 1. *Quaenam ideae messianicae inveniantur.* In omnibus testimoniis supra allatis invenitur idea *Regni Dei,* et quidem *praesentis,* quod scilicet in populo Israel iam verificatur et exsistit, et *futuri,* quod venturum esse exspectatur atque populo Dei allaturum salutem Dei, tempus beatum.

Huic ideae, omnino praevalenti, subordinatur alia, *messianica* nempe, ita quidem, ut *Messiae* vel *nulla mentio* fiat, vel ut describatur tamquam *secundarium* quid ad ornamentum potius inserviens *Regno Dei,* vel ut consideretur ut *rex futurus,* attamen Deo prorsus subordinatus eiusque instrumentum.

Messias porro exspectatur vel e domo *David;* ita generatim; vel e stirpe sacerdotali *Aaron,* vel etiam ut *praeexsistens* et absconditus. *Bona messianica* sunt vel terrena (materialia et politica) vel spiritualia (ut cognitio Dei et libertas a peccato) et transcendentalia (ipsa vita aeterna); destinata sunt vel soli populo Israel vel simul aliis et omnibus populis; hic autem universalismus salutis raro vel numquam consideratur ut perfectus et adaequatus; Israel manet populus praedilectionis divinae.

79. 2. Haec *diversitas* opinionum *explicatur* ex *diversitate condicionum* populi vel factionum in populo. Ante motum Machabaeorum (175—165 a. Chr.) spes *messianica* parum viva videtur

fuisse; tempus autem Machabaeorum, quo populus a iugo Seleucidarum liberatus pace et prosperitate fruebatur, aliis potuit videri ut initium quoddam aetatis messianicae (cf. 2 Mach. 14), aliis autem ut defectio ab idea genuina *Regni Dei,* sicut assidaeis. Quibus idea transcendentalis *Regni Dei* (resurrectionis, iudicii, caeli, inferni) tantopere prae terrenis praecellebat, ut de *Messia* iam non cogitaverint. Irruente autem potestate Romanorum (et Idumaeorum: Herodis) spes messianica denuo fervere coepit; cuius signa sunt ipsae seditiones sibi succedentes usque ad bellum Iudaicum (66—73). Deleta Urbe sancta exspectatio Messiae quidem deleta non est, sed profugit ad Messiam aliquo modo praeexsistentem, saltem absconditum, qui suo tempore apparebit; legisperiti e contra, cum in Lege omnia se invenire et possidere opinati sint, Messiam fere non nominant.

80. 3. Accedit *fundamentum* diversitatis, *in ipsis libris sacris* V^{is} T^{i} repertum. *Radix* quaedam communis sunt *promissiones,* quas Iahve populo suo fecit; si Israel fideliter Deo servierit, implebitur benedictionibus divinis (Lev. 26, 40 sqq. Deut. 28—30).

Mox haec exspectatio divinae benedictionis futurae coniungitur cum homine aliquo particulari individuali; Moses videlicet promittit, Israel semper habiturum esse *prophetam* ad instar Mosis ipsius (Deut. 18, 15 18 sq.). Hinc explicari forsan poterit forma spei messianicae, quae vigebat inter *Samaritanos,* exspectantes *Taheb* (restitutorem? cf. Io. 4, 25), „magister sapientiae": *Statuta Novi Foederis,* „propheta": Io. 1, 25; 6, 14; 7, 40 (?); Act. 3, 22; 7, 37.

In vaticinio *Balaam* (Num. 24, 17) sermo est de „*stella* ex Iacob", cuius mentio fit in *Testamento Iuda* (24; cf. n. 68). In ultimo bello Iudaico *Barkocheba,* dux seditionis, interpretabatur *„filius stellae"* a rabbi Akiba; in nummis eius apparet stella super templum[13]. Huc spectat interrogatio *magorum,* quae narratur in evangelio Matthaei (2, 2). — *Philo* sequens versionem alexandrinam, loquitur de „homine qui veniet e radice Iacob" (cf. n. 74).

Spes populo evasit *messianica* inde a promissione regis futuri e domo *David* (2 Reg. 7, 12 sqq. 1 Par. 17, 11 sqq.). *„Filius David"* occurrit in *Oraculis Sibyllinis* (n. 65), in Apocalypsi *Henoch* (n. 66), in IV libro *Esdrae* (n. 72), in *Schemone Esre* et apud rabbinos (n. 75; de evangeliis in *Ass. 3,* n. 85 sqq.).

Messias e tribu *Levi* exspectari potuit vel ex eo, quod Iahve pactum sempiternum cum Aaron pepigit (Ex. 28, 1 sqq.; 29, 9. Deut. 33, 8. Ier. 33, 18 sqq. Neh. 13, 29. Mal. 2, 4 5 8. Eccli.

45, 25 sqq.), vel ex influxu Machabaeorum, qui erant generis sacerdotalis, vel ex influxu sacerdotum summorum ex familia Sadok (*Statuta Novi Foederis* n. 70).

Messias patiens describitur ab Isaia (53), occurrit in libris N^i T^i (cf. etiam Act. 8, 28 sqq.) et in scriptis rabbinicis (n. 76).

Messias praeexsistens seu *Filius hominis* vaticinii Danielis (7, 13 sqq.) maximum influxum exercuit, cuius testes sunt liber *Henoch* (n. 66), *Oracula Sibyllina* (n. 65), apocalypses *IV Esdrae* (n. 72) et *Baruch* (n. 73) et evangelia. — Expressio *Regni Dei* ad ipsum Danielem potissimum refertur. — *Eschatologia* stricte dicta seu transcendentalis (Dan. 12, 1 sqq.) exemplo fuit simili descriptioni in libris *Esdrae IV* et *Baruch* syriaci.

Elias, ut praecursor Messiae annuntiatus a Malachia (3, 1; 4, 5 sq.; cf. Eccli. 48, 1 sqq.), ut talis commemoratur in libris *rabbinicis* (n. 75), apud *Iustinum* et *Hippolytum* (n. 76). Fortasse etiam pseudopropheta *Theudas,* de quo Iosephus (Ant. 20, 5, 1), ad exemplum Eliae voluit dividere undas Iordani (n. 77).

Nullum Messiam in descriptione *Regni Dei* habent *Assumptio Mosis* (n. 71) et *liber Iubilaeorum* (n. 67).

81. NOTAE. — **1** Testimonia collegit *C. Müller,* Fragmenta hist. graec. III 207. — **2** De fontibus Iosephi cf. *R. Laqueur*,* Der jüdische Historiker Flavius Josephus, Gießen 1920; *W. Weber*,* Josephus und Vespasian. Untersuchungen zu dem Jüdischen Krieg des Flavius Josephus, Berlin 1921; *A. Schlatter*,* Der Bericht über das Ende Jerusalems. Ein Dialog mit W. Weber (Beiträge zur Förderung christl. Theologie XXVIII, 1), Gütersloh 1923. — **3** Librum utilissimum composuit *St. Székely,* Bibliotheca apocrypha I: Introductio generalis, Sibyllae et apocrypha V^{is} T^i antiqua, Friburgi 1913 (alterum volumen, continens apocrypha V^{is} T^i recentiora atque N^i T^i, nondum apparuit). Si quid desideratur, est forte additio textuum integrorum loco excerptorum. — Collectiones pararunt: *E. Kautzsch*,* Die Apokryphen und Pseudepigraphen des A. T. II: Die Pseudepigraphen, Tübingen 1900; *I. P. Migne,* Dictionnaire (collection) des apocryphes, Paris 1856—1858; *R. H. Charles*,* The Apocrypha and Pseudepigrapha of the Old Testament in English, Oxford 1913. — Doctrinam de Regno Dei et Messia vide *H. Felder,* Jesus Christus I (1911) 186 sqq.; *I. Felten,* Neutestamentl. Zeitgeschichte I (1910) 524 sqq.; *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes II^4 579 sqq.; *idem* de litteratura apocrypha III^4. § 32, 188 sqq.; prae aliis *M.-J. Lagrange,* Le Messianisme chez les Juifs, Paris 1909. — **4** Usum loquendi protestantium vide e. g. apud *E. Kautzsch** l. c. I XI sqq.; *E. Hennecke*,* Neutest. Apokryphen (Tübingen 1904) 3* sqq.; ^{2}1924, 28* sqq.; *idem,* Handbuch zu den neutest. Apokryphen (Tübingen 1904) VII sqq.; *Th. Zahn*,* Grundriß der Gesch. des neutest. Kanons (Leipzig 1901) 1 sqq. — **5** *S. Schechter*,* qui invenit manuscriptum in genisah synagogae urbis Kairo, Aegypti, statuta edidit: Documents of Jewish sectaries. Vol. I: Fragments of a Sadokite work, Cambridge 1910. — Ex bibliographia hoc loco notentur haec: *M.-J. Lagrange,* Rev. Bibl. 1912, 213 sqq. 321 sqq.; *J. Juster*,* Les juifs dans l'empire romain I (1914) 26 sqq.; *Ed. Meyer*,* Die Gemeinde des Neuen Bundes im Lande Damaskus. Eine jüd. Schrift aus der Seleukidenzeit (Abhandl. der

preuß. Akad. der Wissensch. 1919, Nr. 9), Berlin 1919; *A. Bertholet**, Zur Datierung der Damaskus-Schrift (34. Beiheft zur Zeitschr. für alttest. Wiss.), Gießen 1920, 31 sqq.; *W. Staerk**, Die jüd. Gemeinde des N. B. in Damaskus (Beiträge z. Förderung christl. Theol. XXVII, 3), Gütersloh 1923. — **6** Secundum textum recensitum a *C. Clemen**, Die Himmelfahrt des Mose (Kleine Texte für theol. Vorlesungen u. Übungen n. 10), 1904. — **7** Plura de relatione inter opera Flavii Iosephi, Taciti, Suetonii scripsit *W. Weber**, Josephus u. Vespasian; de recenti controversia de testimonio Iosephi cf. *A. Seitz* in Hist. Jahrbuch XXXV (1914) 821 sqq. — **8** Cf. *E. König**, Prophetenideal, Judentum, Christentum (Leipzig 1906) 32 sqq. 46. — **9** De Elia cf. *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes II[4] 610 sqq. — **10** Textus congessit *A. Harnack**, Judentum und Judenchristentum in Justins Dialog mit Trypho (Texte u. Unters. XXXIX), Leipzig 1913. De *Messia patiente: G. Dalman**, Der leidende und sterbende Messias der Synagoge im ersten christl. Jahrtausend, Karlsruhe 1887; *M.-J. Lagrange*, Le Messianisme 236 sqq. — **11** *E. Schürer** l. c. 608. — **12** Cf. *A. Wikenhauser*, Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert (Neutest. Abhandl. VIII, 3.—5. Heft), Münster 1921, 316 sqq.; *H. Dieckmann*, Das Jahr 9 v. Chr., in Stimmen der Zeit CIV (1923) 231 sqq. — **13** *E. Schürer** l. c. I[3/4] 682 sqq.

Quaestio 3. De testimonio evangeliorum.

82. Testimonia allata in assertione praecedente ostendunt, ideam et exspectationem *messianicam* tempore Christi fuisse maxime variam; in universum loquendo, defecit ab altitudine illa, quam prophetae in suis vaticiniis delineaverunt. Fines *Regni Dei* secundum hos fontes profanos sunt potissimum terreni, politici, materiales; de redemptione a peccatis, de interna mentis renovatione vix est sermo. Quaeritur iam, quidnam *evangelia*, utpote fontes, qui de vita et imprimis de doctrina Christi agunt — nam εὐαγγέλιον seu bonus nuntius est primarie ipsa praedicatio Christi — de exspectatione *messianica* tempore Christi in populo vigente asserant. Quodsi confirmant imaginem ab aliis fontibus adumbratam, non solum probant veritatem huius imaginis, sed etiam explicant condicionem et modum procedendi Iesu Christi, qui scilicet in oppositione ad ideas vulgares clare exponere debuit, quo modo ipse *Regnum Dei* et *Messiae* munus interpretaretur.

83. De *evangeliorum canonicorum*, quae nempe scripta a Matthaeo, Marco, Luca, Ioanne in canonem N^i T^i recepta sunt, indole, integritate, genuinitate, fide historica nobis hoc loco non est disputandum. Non quidem negamus, plurimos criticos iam ex eo assertionibus istis de *Regno Dei* et *Ecclesia Christi* fidem non adhibituros esse, quia de fontium, evangeliorum nimirum, charactere historico minime constet; sed has quaestiones criticas, generatim saltem, in *Introductione in N. T.* solutas esse supponimus (cf. n. 15); in singulis vero casibus, in quibus ob eximium valorem alicuius effati Christi eius genuinitas et litteraria et historica probanda

videtur, propria inquisitio adicietur. Hoc vero loco sufficiat aliqua leviter tangere, quae spectant ad *valorem historicum* evangeliorum.

Evangelia scilicet tria, Matthaei, Marci, Lucae, utpote arcte inter se cohaerentia et argumento quod continent et ordine quo procedunt et modo narrandi et loquendi, vocantur ob idipsum *synoptica;* quartum, a Ioanne apostolo Christi conscriptum, non solum partim alia dicta et facta Christi refert, sed etiam modo loquendi satis ab iis differre dicitur; attamen nullam inter Ioannem et evangelia synoptica intercedere oppositionem, ostenditur in *Introductione*[1]; immo Ioannem in id incubuisse, ut more historico compleret narrationes aliorum evangelistarum.

84. De *tempore compositionis* evangeliorum non est eadem omnibus sententia; probabilis interim videtur esse illa, quae asserit inter annos circiter 50 et 62 priora tria evangelia conscripta esse, Ioannis vero evangelium inter annos 90 et 110. Et de evangelio Ioannis non est tanta dissensio; temporis vero evangeliorum synopticorum assignatio inde procedere poterit, quod Actus circa annum 63 a Luca scripti fuerunt; antea igitur eiusdem auctoris evangelium absolutum erat; forte circa annum 60/61. Marcus autem et Matthaeus secundum testimonium antiquitatis ante Lucam scripserunt; cumque Matthaeus, primus omnium, vix videatur opus suum perfecisse ante annum 50[2], inde concludimus tria priora evangelia probabiliter attribui posse decennio sexto p. Chr.

Ex quo tempore assignato solo iam aliquod argumentum *fidei historicae* horum librorum inveniri potest. Nam evangelia synoptica scripta sunt vel ab apostolis Christi vel eo tempore, quo adhuc plurimi *testes immediati* vitae et doctrinae Christi viverent, sicut Paulus scribit de testibus Iesu Christi resuscitati, quem viderunt plus quam quingenti fratres simul, „ex quibus multi manent usque adhuc“ (1 Cor. 15, 6); nec solum christiani erant testes, sed etiam inimici religionis christianae, sicut Iudaei, qui divulgarunt calumniam, apostolos furatos esse corpus Christi mortui (Matth. 28, 12 sqq.). Ulterius autem cum facta et data sive historica sive geographica sive socialia et oeconomica, quae ab evangelistis narrationi inseruntur, vera certaque esse constet, praesumere necesse erit, eosdem auctores in ceteris non errare nec fallere. Et his iam testimoniis, maxime consensu primae christianitatis, cuius praeco nobis est Paulus, qui diserte provocat ad doctrinam sibi iam traditam (e. g. 1 Cor. 15, 3), eandem scilicet, quam docent omnes apostoli (1 Cor. 15, 11) et universa Ecclesia, refutatur etiam theoria nostris diebus praevalens, scilicet *„theo-*

logiae cuiusdam *primitivae*", quae efformata sit primis annis post Christi mortem, antequam Paulus Ecclesiam ingressus sit. Huic iam omnia tribuuntur, quae videntur habere vel supponere indolem supernaturalem, ut miraculorum relationes, *messianitas* et *filiatio* Christi divina, institutio *Ecclesiae* et *primatus* et alia huiusmodi. Quae omnia sub influxu vel V^is^ T^i^ vel etiam aliarum religionum intra unum dumtaxat decennium evoluta esse contendunt. Exemplum huius evolutionis exponendum et discutiendum erit in assertione de genuinitate textus primatialis Matth. 16, 18 sq. (*Ass. 13;* n. 345 sqq.).

In quaestione illa, quam in hac assertione tractamus, dubitationis nullus est locus, cum agatur de testimonio evangeliorum virtuali vel indirecto. Hagiographi etenim varias ideas messianicas describunt eatenus tantum, quatenus Christo praedicanti occurrunt et ab eo vel approbantur vel reiciuntur. Ceterum ipsa consonantia inter imaginem, quam pingunt evangelia, cum illa, quae elucet ex fontibus iudaicis, comprobat fidelitatem evangeliorum.

Quibus praemissis iam accedamus ad assertionem tertiam.

ASSERTIO 3. Secundum evangelia *Regnum Dei* a Iudaeis intellegebatur sensu messianico, qui tamen non fuit omnibus unus, sed aliis alius, ita quidem, ut praevaleret exspectatio Regni religioso-terreni.

Prior pars assertionis est quasi fundamentum alterius: connectit enim ideas *Regni Dei* et *Messiae* inter se, ita ut, quae de alterutro affirmantur, valeant de utroque. Et haec quidem pars probatione vix indiget. Altera dein parte recensentur variae opiniones, quae secundum testimonium evangeliorum tempore Christi in populo Israel dispergebantur.

I. Expressio *Regni Dei* intellegebatur sensu messianico.

85. 1. Ante Christum *Ioannes Baptista* annuntiavit, *Regnum Dei* proxime instare: „Resipiscite! appropinquavit enim *Regnum caelorum!*" (Matth. 3, 2.) Quo autem sensu voluerit intellegi, indicat et modo sese gerendi, quoniam indutus erat sicut propheta antiquus (Matth. 3, 4), et verbis etiam disertis: „Ego quidem baptizo vos in aqua in paenitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni . . . congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet . . ." (3, 11 sq.; cf. Marc. 1, 7 sq.; Luc. 3, 16 sqq.; Io. 1, 19 sqq.). Dubium igitur Iudaeorum, qui ex omnibus partibus Palaestinae confluebant ad Iordanem (Matth. 3, 5)

atque Ioannem de munere suo interrogabant (sacerdotes et levitae ex Urbe sancta, missi scilicet a synedrio: Io. 1, 19 sqq.), non versabatur circa indolem praedicationis Ioannis, sed circa *personam:* „ne forte ipse (Baptista) esset Christus" (Luc. 3, 15). Interrogantibus sacerdotibus hierosolymitanis (pharisaeis: Io. 1, 24): „Tu quis es?" Ioannes respondit se non esse Christum, sed „vocem clamantis in deserto: Parate viam Domini!" — „Quid ergo, ita illi, baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?" Dein Baptista asserit se esse praecursorem *„venturi"* (Io. 1, 26 sq.); missum se esse ante *Messiam,* tamquam amicum *sponsi,* qui gaudens audit vocem sponsi (3, 28 sqq.), et proprios discipulos adducit *„agno Dei"* (1, 29 sqq.).

86. 2. Eodem porro sensu ipse *Christus,* quem Ioannes annuntiaverat, loquitur de *Regno Dei;* id quod iam ex eo elucet, quod verba praecursoris excipit eaque authentice interpretatur: „Impletum est tempus (ὁ καιρός) et appropinquavit Regnum Dei; paenitemini et credite evangelio (εὐαγγέλιον)!" (Marc. 1, 15.) Haec verba annuntiare *Regnum Dei messianicum,* nullum ex auditoribus potuit fugere. Tota dein *doctrina,* quam Iesus profert, sive de sua *persona* sive de *Regno* a se condendo, est messianica. Et de *messianitate* quidem ipsius *Christi* actum est in tractatu *De Christo Legato divino,* quem absolutum supponimus (cf. n. 4); sufficit proinde in memoriam revocare titulos, quos Christus vel sibi ipse attribuit (imprimis *„Filii hominis"*, quam vocem ipse solus de se solo adhibet [3]), vel dari sibi permittit (*Christi, regis, filii David;* cf. e. g. Matth. 16, 13 sqq.). De *Regno* autem *Dei* sensu *messianico* agendum erit in hoc nostro tractatu, qui probat, Christum abrogato Foedere Vetere pepigisse Novum, quod considerat tamquam impletionem Veteris eiusque vaticiniorum; hoc Foedus *Novum,* seu *regnum suum,* seu *Ecclesia* sua est *Regnum Dei,* inde ab initio a Christo praedicatum.

87. 3. Ita denique, si scilicet *Regnum Dei* fuerit *messianicum,* tota condicio populi, pharisaeorum, discipulorum Christi perspicitur facile, commotio nimirum vere *messianica,* quae sequebatur primam praedicationem Christi, inimicitiae *procerum* populi ob ideas messianicas diversas a Christi doctrina, persuasio *apostolorum,* Christum ut Messiam restituere regnum Israel, quam usque ad Christi ascensionem tenuerunt (Act. 1, 6). Multiplicatio panum prior renovat enthusiasmum pristinum populi (Io. 6, 14 sq.), ingressus triumphalis in Ierusalem (Matth. 21, 1 sqq. Marc. 11, 1 sqq. Luc. 19, 28 sqq. Io. 12, 12 sqq.) est eiusdem ultimum testimonium. Licet populus numquam ad plenam persuasionem pervenerit, Christum

esse Messiam, verba tamen Christi et miracula eius iterum atque iterum id saltem effecerunt, ut haud pauci suspicarentur et desiderarent, fore ut ipse esset Messias.

II. Variae opiniones de Messia futuro in populo divulgatae.

88. In hac altera parte conabimur statuere *varias classes* hominum vel opinionum, ea tamen restrictione, ut ultro fateamur, eas non semper clare et nitide inter se distingui. Consideramus potius ideas quasdam praedominantes, quae forte mixtae sunt aliis, ita ut transitus de una ad aliam classem minime excludatur.

Obvia est *distinctio* aliqua, quae in ipsis evangeliis invenitur, inter *vulgus* et *duces* populi, ad quos pertinent praeter sacerdotes (sadducaeos) legisperiti, qui maxima ex parte erant *pharisaei*. Attamen diversitas idearum religiosarum et messianicarum inter populum eiusque duces nequit esse neque est essentialis, in quantum duces etiam erant magistri populi. Maior dissensio exsistit intra ipsum populum eiusque exspectationes messianicas. Alii scilicet exspectabant *Regnum Dei* et *Messiae* religiosum quidem, sed simul vel praecipue *terrenum*, politicum, materiale; alii vero, secuti vaticinia prophetarum, bona praesertim altiora, spiritualia, exspectabant, inter quae eminet redemptio a peccatis. Iam de singulis quae afferri possint, videamus. Agemus prius de ultima ex enumeratis classibus, scilicet de iis, qui exspectabant bona messianica altiora, quos nominabimus *„iustos“*; hoc enim nomine plures eorum ab ipsis libris sacris insigniuntur; dein transeamus ad ideas *populi;* tandem ad eas, quae vigebant inter *duces* et *proceres* populi.

1. Ideae messianicae iustorum.

89. Prima capita evangelii secundum Lucam exponunt fere ideas messianicas, quae fovebantur inter *iustos*, in familia scilicet Zachariae sacerdotis et in domo nazarethana Iosephi et Mariae et inter eos, qui frequentantes templum, sicut Simeon et Anna, „exspectabant redemptionem Israel“ (2, 38). Lucas duo priora capita, quae continent historiam infantiae ipsius Christi, optime *disposuit*. Post prologum totius operis (1, 1—4) sequuntur tres pericopae inter se conexae, scilicet annuntiatio nativitatis Ioannis Baptistae (1, 5—25), annuntiatio nativitatis Iesu (1, 26—38), visitatio Mariae in domo Elisabeth, ubi primum conveniunt Messias eiusque praecursor (1, 39—56). Dein narratur eodem ordine nativitas Ioannis (1, 57—80), nativitas Iesu Christi (2, 1—20), eiusque circumcisio (2, 21) et praesentatio in templo (2, 22—40). Accedit iter hierosolymitanum pueri duodecennis Iesu (2, 42—52).

Postquam porro relata sunt praedicatio Ioannis eiusque captivitas (3, 1—20), baptismus Iesu Christi narratur, in quo secundo conveniunt Messias eiusque praeco (3, 21 sq.). Tunc sequitur liber generationis Christi (3, 23—38). Tribus vel quattuor hymnis ideae quaedam principales comprehenduntur, videlicet in „Magnificat" (1, 46—55), „Benedictus" (1, 67—79), „Gloria" (2, 14), „Nunc dimittis" (2, 29—32). Haec iam singillatim consideranda erunt.

90. a) Et primum quidem videamus, quaenam ideae messianicae appareant in *annuntiatione Ioannis* praecursoris. Zachariae munere suo sacerdotali in templo fungenti apparuit angelus, qui ei indicat Elisabeth parituram esse filium, in cuius nativitate multi gauderent. Ratio huius gaudii est munus huic infanti a Deo commissum: erit nempe Elias a propheta Malachia praedictus tamquam praecursor Messiae (Mal. 3, 1; 4, 5 sq.): abstinebit a vino, erit plenus Spiritu Sancto, praecedet ante Dominum „in spiritu et virtute Eliae . . . parare Domino plebem perfectam" (Luc. 1, 17). De *Messia* non est sermo nisi indirecte, quatenus Ioannes erit eius praecursor secundum textum allegatum ex Malachiae vaticinio et secundum sensum totius annuntiationis. Praeparatio autem, qua Ioannes plebem adducere debet ad Dominum, est religiosa et moralis, qualem prophetae praedicant; ipse Ioannes iam exemplo suo erit praedicatio viva et urgens. Haud obscure innuitur poenitentia tamquam dispositio, conversio integra ad Deum (1, 15 sqq.).

91. Et haec quidem sunt *verba angeli;* numquid licebit ex iis inferre indolem spei messianicae ipsius Zachariae? Licebit utique, quia verba angelica supponunt similem ideam Messiae in eo, ad quem loquitur; maxime vero ex eo, quod ipse Zacharias, quid de Messia eiusque munere sentiat, aperit in cantico „Benedictus" post nativitatem pueri (1, 57 sqq.). Haec enim nativitas pluribus gaudio et admirationi fuit, non ideo solum, quod Deus misericordiam suam ostenderit erga Elisabeth, sed etiam propter divinam confirmationem nominis Ioannis, quod parentes, mandato angelico obsecuti, puero imponebant: Zacharias recuperavit facultatem loquendi et benedixit Deo in Spiritu Sancto (1, 67). Hoc iam *canticum* totum est *messianicum*. Tempus exspectationis impletum est; Deus visitavit Israel, ut eum redimeret. Hymnus *priore parte* describit *salutem messianicam,* altera dein munus praecursoris. *Messias* (1, 69—75) est e domo David, secundum vaticinia antiqua; ut rex potens populum suum liberabit e manu hostium, ut possit Deo in pace et tranquillitate servire, et quidem in omni sanctitate et iustitia. Liberatio igitur ab hostibus sive

terrenis sive spiritualibus non est nisi conditio praerequisita ad servitium Dei perfectum: *Regnum Dei* et *Messiae* est primarie *religiosum;* immo ex altera parte elucet bona eius essentialia esse exclusive spiritualia. In hac enim parte (1, 76—79) describitur *munus pueri nati;* erit propheta, immo praecursor Domini, qui doceat populum scientiam salutis, quomodo scilicet perveniat ad remissionem peccatorum, ad redemptionem a prophetis annuntiatam. Et his quidem verbis clarissime proprius finis *Messiae* indicatur; erit redemptor, sicut eum praenuntiarunt prophetae (cf. *Ass. 1,* n. 47 sqq.). Ultimis dein verbis Zacharias videtur indicare salutem *messianicam* non solum populo Dei orituram esse sed etiam gentibus, quae „in tenebris et in umbra mortis sedent" (1, 79), similiter ac Matthaeus eundem textum Isaiae (9, 1 sq.) adhibet (4, 14 sqq.).

Regnum igitur *messianicum* est *essentialiter religiosum,* quod forte ut secundarium quid praecedet liberatio ab hostibus externis, quo scilicet securius eius bona hominibus pateant.

92. Hoc loco apte inseremus ea, quae de *doctrina messianica Ioannis* praecursoris in fontibus inveniuntur. Ioannes annuntiatus est et apparuit ut *Elias,* alter scilicet Elias in spiritu et fortitudine. *Elias* est propheta „quasi ignis" (Eccli. 48, 1), qui temporibus difficillimis regni septentrionalis tuebatur religionem veram et iura Iahve (3 Reg. 16, 29 sqq.; 17, 1 sqq.). Idem autem utebatur summa familiaritate cum Deo ad montem Horeb (3 Reg. 19, 1 sqq.), quare cum Mose comparatur (Mal. 4, 4 sqq.). Tandem in turbine vehebatur in caelum (4 Reg. 2, 11), iterum mittendus, „antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate" (Mal. 4, 5 sq.). Ut talis praedicatur in libro *Iesu Sirach* (Eccli. 48, 1—11) et in verbis *Mathathiae* ad filios suos (1 Mach. 2, 58). Eandem persuasionem, Eliam scilicet praecessurum esse adventum Messiae, invenimus in litteratura Iudaeorum *extracanonica* (*Ass. 2,* n. 75 79) et in ipsis *evangeliis* (cf. Matth. 17, 10 sqq.; 16, 14).

Ioannes vero, praenuntiatus ut praecursor Domini (Luc. 1, 17), iam *habitu suo* similis erat Eliae; „habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos suos" (Matth. 3, 4; cf. Marc. 1, 6), sicut describitur Elias (4 Reg. 1, 7 sq.; cf. textum hebraicum); ut talis *praedicat* velut ignis ardens sine metu hominum nec regum (Matth. 11, 7 sqq.); ut talis *habetur a populo* (Io. 1, 24. Matth. 16, 14 [?]), asseritur *ab ipso Christo* (Matth. 11, 14; 17, 10 sqq.). Ergo de *munere* eius *messianico* nullum erat dubium.

Quaeritur iam, quomodo ipse suum munus consideraverit atque *qualem Messiam ipse* exspectaverit.

Regnum Dei, quod annuntiat (Matth. 3, 2), est dies iudicii divini, imprimis pro iis, qui ut duces populi debent eum ad Messiae adventum praeparare, pharisaei et sadducaei (Matth. 3, 7 sqq.). Nam consanguinitas cum Abraham non sufficit, ut quis evadat iram Dei; requiritur conversio animi ad Deum. Postulat Ioannes misericordiam et iustitiam (Luc. 3, 10 sqq.). Hoc *Regnum Dei* porro est *messianicum* (Matth. 3, 11 sqq.); ipse enim non est nisi praecursor venturi, maioris et dignioris, qui baptizabit in Spiritu Sancto et ipse iudicium exsequetur in sua area. *Regnum* ergo *Dei messianicum* non erit nationale, sed spirituale et, quantum videtur, mere *religiosum*. Et hoc quidem egregie confirmatur ex evangelio secundum Ioannem. „Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat" (1, 15). Iam adest Messias, ignotus et absconditus (1, 26), sed verus „agnus Dei, qui tollit peccatum mundi" (1, 29 36), baptizans nempe in Spiritu Sancto (1, 33), ipse Filius Dei (1, 34). *Messias* ergo est quidem homo, sed praeexsistens (Filius Dei sensu metaphysico?), unctus Spiritu Sancto (1, 32), cuius *Regnum* erit *religiosum,* regnum gratiae omnibus qui fuerint bonae voluntatis.

93. b) Secundo loco considerare oportet *personas* istas, quae ipsi *Christo* sunt *proximae,* videlicet matrem eius et patrem nutritium, Mariam et Ioseph, quid senserint de munere *messianico* Christi.

Textus, qui in quaestionem veniunt, sunt hi: Luc. 1, 26 sqq. (de annuntiatione Christi); 1, 39 sqq. (de visitatione Elisabeth cum cantico *„Magnificat"*); Matth. 1, 18 sqq. (de dubio Ioseph); Luc. 2, 1 sqq. (de nativitate Iesu cum cantico angelico).

Et primum de *annuntiatione* Beatae V[i] Mariae facta. Initio emphatice effertur origo davidica Ioseph, cui Maria desponsata est (Luc. 1, 27). Maria concipiet filium, quem nominabit Iesum („Iahve est salus"), qui erit magnus, Filius Altissimi, simul ut filius David rex ille promissus i. e. Messias, qui „regnabit in domo Iacob in aeternum" (1, 33). Ulterius autem eius natura superhumana exponitur verbis angeli sequentibus; conceptionem scilicet huius infantis fieri obumbratione Spiritus Sancti, ideoque „sanctum", quod ex Maria nascitur, vocari Filium Dei. Verba ista clare alludunt ad vaticinium Danielis (7, 13 sqq.).

Tamquam signum veritatis angelus affert conceptionem Ioannis (1, 36), quae Mariae ansam praebet itineris in montana accelerati. Elisabeth in Spiritu Sancto cognoscit „matrem Domini sui" (1, 43),

i. e. (saltem) Messiae: „Benedictus fructus ventris tui!“ Tunc Maria et ipsa, exsultans in Domino, praedicat misericordias Dei in hymno *Magnificat* (1, 46—55). Pars eius prima (46—50) exprimit gaudium superabundans ob gratiam sibi a Deo praestitam; secunda (51—53) modo generali enumerat beneficia Dei; tertia denique (54 sq.) loquitur de salute, quam Israel recepit, terminis minus determinatis; nam haec omnia referri ad mysterium incarnationis divinae, ex iis quae praecedunt apparet.

Eandem originem supernaturalem et divinam, quam describit Lucas verbis angeli, nativitatem Christi praenuntiantis, *Matthaeus* narrat, cum refert *dubium Iosephi* (1, 18 sqq.). Inscius scilicet mysterii istius Iosephus voluit occulte dimittere Mariam; at angelus apparens eum monet, ut accipiat Mariam coniugem suam; „quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum“ (1, 20 sq.). Ex qua pericopa elucent et *messianitas* Iesu et origo eius supernaturalis et munus eius mere religiosum.

Quae confirmantur *verbis angelicis,* quae audiunt pastores nocte *nativitatis* Christi: „Quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David“ (2, 11). „Signum“ illis sit infans pauper, cui tamen angelorum agmina canunt hymnum: „*Gloria* in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis!“ (2, 14.) Adventu igitur *Messiae,* e domo David, veri hominis modo nati, *Regnum Dei* perfectum erigitur, et *activum:* Dei etenim gloria est; et *passivum:* pax hominibus, summa omnium bonorum *messianicorum.* Neque soli Israel haec bona elargientur, sed omnibus, quotquot, homines beneplaciti divini, sese disponunt atque pertinent ad *Regnum Dei* in tota terra.

94. c) Similem atque aeque perfectum conceptum de *Regno messianico* invenimus in *Simeone* et *Anna,* qui in infante Iesu agnoscunt *Messiam.* Et Simeon quidem, ardenti voto desiderans salutem Israel, ab ipso Spiritu Sancto acceperat promissionem, se visurum esse Christum Domini (2, 26); ab eodem deinde Spiritu edoctus est de natura huius Messiae, quem, puerum parvulum et pauperem, excepit in ulnas suas, „salutare“ Dei (2, 30). Haec autem *salus messianica* est simul „gloria plebis Israel“, et simul „lumen ad revelationem gentium“, paratum ante faciem omnium populorum. Et his quidem verbis *universalitas Regni Dei* messianici clare exprimitur, natura autem eiusdem *religiosa* in verbis, quae dirigit ad matrem pueri. *Messias* enim erit populo suo vel in resurrectionem vel in perditionem, prout singuli eum exceperint

et ita cogitationes suas et ideas messianicas revelaverint; immo erit „signum, cui contradicetur". Igitur *Messias* certe non erit terrenus, gloriosus, politicus; neque salus est exclusive israelitica, ita ut sufficiat descendentia ex stirpe Abrahae, ut quis eius fiat particeps, neque ceterae gentes excluduntur; sed regnum erit religiosum, erigendum contra partes proprii populi[4].

Anna autem, ait Lucas (2, 38), loquebatur de Iesu omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel. Non igitur deerant, qui dispositi erant, ut reciperent Messiam redemptorem, qui redimeret a peccatis. Simile quid narratur de pastoribus, ita ut omnes, qui eos audierint, mirati sint (2, 18); simile quid refertur etiam de amicis et vicinis Zachariae: „Super omnia montana Iudaeae divulgabantur omnia verba haec" (1, 65). Maria autem, mater Iesu, „conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo" (2, 19; cf. 2, 33 51).

2. Ideae messianicae vulgi.

95. Ideae messianicae, quas invenimus apud *„iustos"* modo consideratos, sunt eaedem ac illae, quas *prophetae* mandato Dei divulgarunt. Longe aliter dicendum erit de ideis, quae sparsae erant in *vulgo,* in iis scilicet, qui vivebant sub influxu pharisaeorum; videbimus, eas proxime cognatas esse cum exspectationibus illis, quas ex litteratura *apocrypha* novimus.

Et primum quidem videndum erit, *quinam* constituant *vulgus.* In evangeliis saepe vocantur turbae (οἱ ὄχλοι) sensu indeterminato: multitudinis seu catervae hominum; aliquoties autem distinguitur plebs (ὁ ὄχλος) vel a *primoribus* (ut Matth. 14, 5 a rege Herode), vel a *legisperitis* et *pharisaeis* (ut Matth. 15, 10: postquam Christus respondit pharisaeis, convocat turbas ad se; vel 21, 26: in quaestione de indole baptismi Ioannis pharisaei declinarunt responsum, quia timuerunt turbam; et 21, 46: „quaerentes [pharisaei] eum [Iesum] tenere, timuerunt turbas"). Clarissime haec divisio apparet ex verbis ipsorum pharisaeorum: „Quaerebant ergo eum apprehendere . . . et miserunt principes et pharisaei ministros, ut apprehenderent eum" (Io. 7, 30 32). Sed ministri non ausi sunt Iesum apprehendere. „Quare, aiunt pharisaei, non adduxistis illum? — Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. — Responderunt ergo eis pharisaei: Numquid et vos seducti estis? Numquid ex *principibus* aliquis credidit in eum, aut ex *pharisaeis?* Sed *turba* haec, quae non novit legem, maledicti sunt (ἀλλὰ ὁ ὄχλος οὗτος, ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπάρατοί εἰσιν)" (Io. 7, 47 sqq.). Ex quibus verbis tota contemptio pharisaeorum erga turbam elucet. Hanc de facto viguisse testantur libri *rabbinici.* Plebs erat iis am-haares (עַם הָאָרֶץ), gens terrae seu plebs in terra degens, quae non accurate novit et implet legem, i. e. non portat „onera gravia, et importabilia", quae alligant legisperiti et imponunt in humeros hominum (Matth. 23, 4).

Quibus expositis iam patet, quinam opponantur vel sese opponant *vulgo;* sunt videlicet pharisaei et simul, quia longe maior pars scribarum erant pharisaei, ipsi hi legisperiti. *Pharisaei* significant „separatos" (peruschîm vel aramaice perischîn פְּרוּשִׁים vel פְּרִישִׁין), qui ut tales formabant sectam (αἵρεσις: Act. 15, 5; 26, 5) quandam; segregati nempe erant non solum ab aliis gentibus, sed etiam ab omnibus Israelitis, qui legem et traditiones veterum (legisperitorum), ut lavare manus ante mensam et alia huiusmodi, non adeo observabant. Inter se se vocabant chaberîm (חֲבֵרִים) seu socios, quo scilicet magis efferretur divisio a vulgo. Ex hac eorum indole explicantur superbia illa atque inde secuta hypocrisis, quam Christus tam severe carpit (cf. Matth. 15, 3 sqq.; 23, 1 sqq.); inde etiam inimicitiae pharisaeorum et legisperitorum contra Iesum, qui et doctrinam in multis contrariam protulit, et auctoritate sua influxum eorum infringere potuit. — Altera factio religiosa inter Iudaeos temporis Christi exsistens erat *sadducaeorum,* qui (nominati forte ex Sadduk vel Sadok, summo sacerdote tempore Davidis regis; cf. n. 70) asseclas suas habuerunt inter nobiles et divites populi, maxime in familiis sacerdotalibus illis, e quibus prodibant summi sacerdotes. Repudiabant tum traditiones veterum tum doctrinam de resurrectione corporum, immo immortalitatem animae atque exsistentiam spirituum. Ipsi quoque Christo infensi erant, licet rarius ut adversarii Christi appareant, quia influxu minore gaudebant in populum. Synedrium, summa auctoritas et tribunal supremum Iudaeorum, compositum erat ex sadducaeis (sacerdotibus), scribis (pharisaeis), senioribus populi, qui omnes paucis exceptis Christo minime favebant[5].

96. De *opinionibus* iam si quaerimus, quae in *vulgo* de *Messia* venturo spargebantur, ex evangeliis haec fere dicenda erunt: Vulgus *non pervenit* ad plenam cognitionem, multo minus ad agnitionem *Iesu* ut *Messiae. Ratio* autem est duplex: altera, *externa,* est influxus pharisaeorum Christo adversus; altera, *interna,* sunt *ideae messianicae* doctrinae Christi contrariae.

Vulgus partim saltem et pro tempore agnovit quidem Christum ut *prophetam,* e. g. post resuscitationem adolescentis in Naim (Luc. 7, 16). Sed neque in eo omnes consenserunt, quinam qualisve propheta sit, num *Elias* an *Ioannes Baptista,* an alius quis (Marc. 6. 15. Luc. 9, 8 sq.; cf. Matth. 14, 2). Aliquando Christum acclamarunt *„filium David";* sed haec vox vel profertur *a paucis,* auxilium Christi implorantibus (a duobus caecis: Matth. 9, 27; 20, 30 sq.; a muliere chananaea: Matth. 15, 22), vel *a vulgo* quidem, sed sub impetu alicuius motus extraordinarii, subitanei, mox exstincti. Postquam Iesus sanaverat daemoniacum caecum et mutum, stupebat populus et admiratione nimia correptus exclamavit: „Numquid hic est *filius David?*" Sed statim pharisaei scintillam cognitionis nascentis exstinguunt: „Hic non eicit daemones nisi in Beelzebub, principe daemoniorum!" (Matth. 12, 23 sq.)

Alia occasione, ingressu scilicet sollemni in Ierusalem, maior etiam fuit enthusiasmus populi. Discipuli Christi, gaudio et admiratione pleni ob „omnes, quas viderant, virtutes“ (Luc. 18, 37), imprimis autem ob resuscitationem Lazari (Io. 12, 17 sq.), coeperunt laudare Deum et acclamare Iesu; quibus se iunxerunt plurimi ex peregrinis, qui ascenderant Ierusalem, ut festa ibi paschalia peragerent (Matth. 21, 9. Marc. 12, 9). Immo tota civitas commota est, dicens: „Quis est hic?“ Responderunt: „Hic est Iesus, *propheta* a Nazareth Galilaeae!“ (Matth. 21, 10 sq.) Et ex his quidem verbis vulgi non elucet Christum ut *Messiam* agnitum esse; at salutatio et acclamatio, qua in ingressu ipso utebantur, id saltem ostendit, multos cogitasse vel sperasse, fore ut Iesus esset Messias: „Hosanna *filio David!* Benedictus, qui venit in nomine Domini! Hosanna in altissimis!“ (Matth. 21, 9.) Quae verba sine dubio sunt *messianica*. Hosanna forte significat „Salvum fac“, orationem nempe continet pro *Messia, filio David* [6]. Cum autem pueri in templo eadem verba proferunt, principes sacerdotum et scribae indignabundi Christo dicunt: „Audis quid isti dicunt?“ (Matth. 21, 15.) Iterum igitur influxus inimicorum irritum reddit consilium Christi. Vespere „circumspectis omnibus“ (Marc. 11, 11), „relictis illis abiit foras extra Civitatem in Bethaniam, ibique mansit“ (Matth. 21, 17); populus enim qua talis ad agnitionem missionis et dignitatis Christi messianicae non pervenit: „abscondita sunt (haec) ab oculis tuis“, ait ipse Christus (Luc. 19, 42).

97. Ergo etiam in fine vitae publicae Christi verum manet quod apostoli Christo interroganti: „Quem dicunt homines esse Filium hominis?“ respondent: „Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam aut unum ex *prophetis*“ (Matth. 16, 13 sq.). Legisperiti et pharisaei fecerant quod in ipsis erat, ut praevenirent agnitionem *messianicam* Christi. Sed et ipsae *ideae messianicae in vulgo vigentes,* prohibebant, quominus Christus ut Messias admitteretur. Et has ideas aliquatenus expositas invenimus tum in evangeliis synopticis tum in evangelio secundum Ioannem.

In *evangeliis* enim *synopticis* narrantur *tentationes* Christi (Matth. 4, 1—11. Marc. 1, 12 sq. Luc. 4, 1—13), quae recte ut *messianicae* considerantur, in quibus nimirum Christus reicit ideas falsas et perversas, quae in populi parte saltem fovebantur [7]. Nam praeterquam quod evangelistae atque imprimis Matthaeus describunt Christum *Messiam* eiusque opus et regnum *messianicum,* contextus proximus *indolem messianicam* huius pericopae manifestat. Ioannes Baptista Christum annuntiat et in baptismo agnoscit (Matth. 3, 13 sqq. Marc. 1, 9 sq. Luc. 3, 21 sq.) ut *Messiam;* post

Iesu baptismum vox de caelo facta est: „Tu es *filius meus* dilectus, in te complacui mihi!“ (Luc. 3, 22.) Spiritus autem Sanctus, qui simul super eum descenderat, ipse duxit Iesum in desertum, „ut tentaretur a diabolo“ (Matth. 4, 1). Intime ergo inter se hae pericopae conectuntur; utraque est *messianica.* Diabolus porro ideo Iesum tentat, quia est *filius Dei:* „Si *filius Dei* es . . .“ (Matth. 4, 3 6), i. e. saltem sensu theocratico, Messias. Ipsae denique tentationes sunt eiusmodi, ut relationes habeant ad *munus messianicum;* atque revera Christo proponunt bona illa, quae alioquin, ex libris extracanonicis imprimis, novimus ut *bona messianica* in vulgo Israel agnita et desiderata.

Bona autem illa sunt haec tria. (1) „Dic ut lapides isti panes fiant“ (Matth. 4, 3). *Prosperitas terrena,* abundantia bonorum temporalium sine labore et periculo, erat pars imaginis *messianicae* in apocryphis depictae (cf. n. 65 sqq.); ipsa evangelia narrant multiplicationem panum priorem excitasse vulgum, ut Christum faceret regem (Io. 6, 14 sq.). (2) Diabolus adhortatur Iesum collocatum super pinnaculum templi: „Si Filius Dei es, mitte te deorsum!“ (Matth. 4, 6.) Fuerunt Iudaei, qui exspectabant *Messiam* sese manifestaturum *in monte Sion,* super tectum templi. Ita liber *IV Esdrae:* „Ipse (Messias) autem stabit super cacumen montis Sion; Sion autem apparebit et ostendetur omnibus perfecte aedificata . . .“ (13, 35 sq.). Similiter in litteratura *rabbinica* docetur Messiam super *tectum templi* appariturum et tempus salutis annuntiaturum atque ad lumen provocaturum esse, quod super eum oriatur: „Ecce lumen meum, quod oritur super vos!“ [8] Hoc lumen est fortasse *signum* illud, quod petebant pharisaei increduli a Christo (Matth. 12, 38 sqq.; 16, 1), quibus respondet Christus: „Non venit Regnum Dei *cum observatione*“ (Luc. 17, 20), quasi visum caeleste, nisi *in fine* dierum, quando apparet *„signum Filii hominis“* (Matth. 24, 30), splendor regius et lumen maiestatis eius in ultimo iudicio (25, 31), quod velut *fulgur* „exit ab oriente et paret usque in occidentem“ (24, 27)[9]. Similem manifestationem ac describunt libri apocryphi et rabbinici, diabolus hisce verbis suis videtur a Christo postulare, gloriosam scilicet et miraculosam. (3) Tertia tentatio continet ideam latissime sparsam inter Iudaeos, *Messiam* nempe debere esse *politicum,* liberare populum suum de Romanorum iugo eique subdere totam terram omnesque gentes. Ita sparsim in libris extracanonicis Iudaeorum. „Haec omnia (regna mundi et gloriam eorum) tibi dabo, si cadens adoraveris me!“ (Matth. 4, 9.) Ergo *regnum satanae* (cf. Matth. 12, 26) agnoscendum ab ipso Messia postulatur. Christus e contra statuit *Regnum Dei:* „Dominum Deum tuum adorabis et illi soli

servies!" (4, 10.) Tunc angeli Dei serviunt Christo, qui reiciens falsas ideas messianicas unice iura et Regnum Dei tuetur. Non prosperitas terrena, non apparitio gloriosa et miraculosa regni messianici, non imperium politicum totius terrae pertinent ad bona, quae ut Messias afferet, sed unice *„Regnum Dei"*. Ideas proinde populi, in quantum coincidunt cum tentationibus diaboli, ipse oppugnabit, atque populi, qui hisce ideis indulget, non poterit esse Messias.

98. In *evangelio* secundum *Ioannem* tentationes quidem Christi non narrantur; aliis autem in locis pingitur populi *idea messianica*. *Samaritani*[10] exspectant *Messiam,* qui eis „annuntiabit omnia" (4, 24), agnoscunt Christum ut *„salvatorem mundi"* (4, 42). — Post multiplicationem panum Iudaei propter *„signum"* istud dixerunt: „Hic est vere propheta (ὁ προφήτης) venturus"; hinc voluerunt Iesum *regem* facere (6, 14 sq.). — In collocutione in templo, habita festo scenopegiae, dissensio oritur inter auditores Christi. Et alii quidem dicunt: „Bonus est!" alii vero: „Seducit populum!" (7, 12.) Nequit esse *Christus,* nam scimus, unde Iesus sit; „Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit" (7, 27; cf. n. 72 sqq.). Alii autem: „Hic est vere propheta" (ὁ προφήτης); rursus alii: „Hic est Christus!" (7, 41.) Obiciunt alii originem davidicam Messiae: „De Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus" (7, 42); quomodo igitur Iesus, Galilaeus cum sit, poterit esse Messias? *Pharisaei* dein finem imponunt his quaestionibus: „Scrutare scripturas, aiunt Nicodemo, et vide, quia a Galilaea propheta non exsurgit!" (7, 52.)

Erant qui propter testimonium Baptistae crediderunt in Iesum, scilicet eum esse saltem prophetam, fortasse *Messiam.* „Quia Ioannes quidem *signum* fecit nullum; omnia autem, quaecumque dixit Ioannes de hoc, vera erant" (10, 41); ita Iudaei in Peraea. — Post ingressum triumphalem in Ierusalem (12, 12 sqq.) loquitur Christus in templo de sua exaltatione in cruce (12, 32 sq.). „Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia *Messias* manet *in aeternum.* Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari *Filium hominis?* Quis est iste *Filius hominis?*" (12, 34.) Evangelista autem addit: „Cum autem tanta *signa* fecisset coram eis, non credebant in eum . . . (vel, si crediderunt, ut multi ex principibus, saltem) propter pharisaeos non confitebantur . . .; dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei" (12, 37 42 sq.).

Rex e stirpe *David,* forte iam exsistens sed *absconditus,* patrans *signa messianica* (terrena), *regnaturus in aeternum:* haec fere sunt, quae ex textibus allatis colliguntur. Simul elucet influxus funestus *pharisaeorum* in populum.

99. *Apostolos* et *discipulos* Christi ideis partim *similibus* imbutos fuisse ac populum, non est dubium. Ipsi quidem pervenerunt ad *plenam agnitionem messianitatis,* immo et *divinitatis* Iesu Christi (Matth. 16, 13 sqq. Marc. 8, 27 sqq. Luc. 9, 18 sqq. Io. 6, 68 sq.); sed simul multa retinuerunt, quae sapiunt *Messiam terrenum,* ut *contentiones* de primo loco in Christi Regno (Matth. 18, 1 sqq.; 20, 20 sqq. Luc. 22, 24), horrorem *Messiae morientis* (Matth. 16, 21 sqq.; 17, 22 sq.; 20, 17 sqq.); exspectationem *regis politici,* sicut post priorem multiplicationem panum, quando Iesu debuit suos discipulos „compellere", ut ascenderent in naviculam et eum trans fretum praecederent (Matth. 14, 22). Discipuli Emmaus euntes clare exprimunt hanc persuasionem: „Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel", neque vero moriturus (Luc. 24, 21). In ipso die ascensionis apostoli loquuntur „de restitutione *regni Israel*" (Act. 1, 6). Hae ideae, ortae ex conceptu messianico vulgi, paulatim dumtaxat potuerunt exui.

3. Ideae procerum et ducum populi.

100. „Caeci sunt et duces caecorum", dixit Christus de pharisaeis (Matth. 15, 14), indicans, undenam ideae falsae messianicae et undenam inimicitiae contra ipsum Christum. In his quidem inimicitiis uniti erant sadducaei et pharisaei, alioquin sibi adversantes. De *sadducaeorum* autem ideis *messianicis* ex evangeliis parum constat. In adventu magorum, qui venerant adorare regem natum, Herode iubente cum scribis scrutantur scripturas, (Matth. 2, 4), ut inde eruerent locum, ubi Messias nasceretur; ipsi vero infantem non quaesierunt. Utrum hoc omiserint metu Herodis an impietate sua, qua parvi fecerint exspectationem Messiae vel Messiam infantem, an vero aliam ob causam, difficulter dici potest. Verbum autem *Caiphae:* „Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo et non tota gens pereat" (Io. 11, 50), simul cum aliis: „Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem" (11, 48), exprimere videntur sensum sadducaei, qui auctoritatem suam atque totam condicionem suam socialem conservare maluit, quam accipere Messiam (cf. Act. 5, 28). Sed haec incerta manent.

101. *Pharisaeorum* autem ideas clarius perspicimus, et quidem tum ex iis, propter quae Iesum persequuntur odio implacabili, tum ex modo, quo ipsi Messiam depingunt.

Et Christo quidem *vitio vertunt,* quod non observet Legem (Matth. 12, 1 sqq.; 15, 1 sqq.) et praecipue traditiones veterum (15, 2 sqq.; 23, 1 sqq.), quod conversetur cum vulgo, immo cum peccatoribus (Matth. 9, 11 sqq. Luc. 7, 39), atque adeo ipse pec-

cata dimittat (Matth. 9, 3 sq.) ut filius Dei (cf. Matth. 21, 45 sq.; 26, 63 sqq.), quod non reiciat iugum Romanorum (Matth. 22, 15 sqq.: de tributo pensando; cf. Luc. 20, 20). *Messias* autem, quem ipsi exspectant, est e stirpe David (Matth. 2, 5; 22, 41 sqq.: „Quid vobis — interrogat eos Iesus — de Christo videtur? Cuius filius est? — Dicunt ei: David"); propheta, sed non e Galilaea (Io. 7, 52, cf. 1, 25), qui signo aliquo, lumine ut videtur caelesti, ut talis cognoscitur (Matth. 12, 38 sqq.; 16, 1 sqq. Luc. 17, 20; cf. Io. 10, 24) et observari potest (cf. n. 97), qui populo Israel eique soli praebet bona omnia („Beatus qui manducabit panem in Regno Dei!" Luc. 14, 15), eaque maxime temporalia, ob quae pharisaei amittent ipsum *Regnum Dei;* invitati sese excusant a coena regis vel propter villam, vel propter quinque iuga boum, vel propter uxorem: „Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam!" (Luc. 14, 24.)

Hinc *reiciunt* Christum, sicut *Ioannem Baptistam* (Matth. 3, 9: „Patrem habemus Abraham!"; 17, 12: „Fecerunt in eo, quaecumque voluerunt"; Luc. 7, 30: „Pharisaei autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipso, non baptizati ab eo"; cf. Matth. 21, 25 sqq.: „Baptismus Ioannis unde est? E caelo an ex hominibus?" interrogat Iesus pharisaeos, qui ob timorem populi responsum declinant). Ipsius autem *Christi* destruunt auctoritatem et famam in populo (Matth. 9, 34; 12, 24: in Beelzebub Iesum eicere daemonia), parant ei insidias verbis (Matth. 21, 23 sqq.: quaestio de potestate in qua agat; 22, 15: de censu; 22, 34 sqq.: de maximo mandato), ipsam mortem (Matth. 12, 14. Marc. 3, 6; 11, 18: post purgationem templi; Matth. 21, 46: post parabolam de vinitoribus; 26, 4 sq.: consilium mortis sub Caipha; cf. Io. 5, 16 sqq.; 7, 20 sqq.; 8, 59; 10, 31; 11, 53: consilia et tentamina mortis). Inde intelleguntur derisiones et contumeliae Christo in passione illatae (Matth. 26, 68: „Messias, quis est qui te percussit?"; Luc. 23, 2: accusatio coram Pilato, Christum esse rebellem; Io. 19, 7: Debet mori, „quia *filium Dei* se fecit"; 19, 15: „Non habemus *regem* nisi Caesarem!" Matth. 27, 37: inscriptio crucis; 27, 39 sqq.: derisio in cruce pendentis: *„rex Israel"*, salvator, *„filius Dei"*).

Sciebant igitur pharisaei et legisperiti et sacerdotes omnes, quidnam Iesus de se dixerat deque suo munere messianico deque sua natura divina; agnoverunt veritatem historicam signorum Christi. At quia non consensit cum ideis ipsorum terrenis, nationalibus, materialibus, legalibus[11], religiosis, quia eorum auctoritatem non agnovit, quia docebat vulgus et suscipiebat peccatores, debuit mori.

102. *Non omnes pharisaeos* Christo infensos fuisse elucet ex verbis Ioannis citatis (n. 98), multos scilicet ex principibus credidisse quidem in Christum, sed ob metum eum non confessos esse (Io. 12, 42); inter quos erat *Nicodemus*; „ex pharisaeis . . . princeps Iudaeorum" (3, 1), qui agnoscit Iesum ut magistrum divinitus missum et miraculis probatum (3, 2), qui ipse desiderabat *Regnum Dei*, sed ut videtur nationale, cui Christus opponit regenerationem „ex aqua et Spiritu Sancto" (3, 5 sq.), qui postmodum loquitur pro Iesu (7, 50 sq), atque post mortem Christi eius funus parat simul cum *Ioseph de Arimathaea* (19, 38 sq.). Hic erat etiam membrum synedrii (Marc. 15, 43. Luc. 23, 51) et dives, discipulus quidem Christi (Matth. 27, 57), sed occultus (Io. 19, 38), exspectans et ipse *Regnum Dei* (Marc. 15, 43).

Postmodum vero, Ecclesia primitiva nascente, etiam ex pharisaeis non pauci sese converterunt ad Christum (Act. 15, 5). Maximus autem ex omnibus, qui, pharisaei cum essent, nomen religioni christianae dederant, fuit *Paulus*, „secundum Legem pharisaeus" (Phil. 3, 5).

103. NOTAE. — **1** Cf. libros *Introductionis* qui dicuntur: e. g. *Cornely-Hagen*, Compend. Introductionis ([8] Paris. 1914) 539 sqq.; *Schaefer-Meinertz*, Einleitung in das Neue Testament ([3] Paderb. 1921) 284 sq. 300 sq.; *H. I. Cladder*, Unsere Evangelien (Freiburg 1919) 189 sqq.; *M. Lepin*, La valeur historique du quatrième évangile (Paris 1910), 2 vol.; *I. Höpfl*, Introductio in sacros utriusque Testamenti libros III (Roma 1922) 172. — **2** *Knabenbauer-Merk*, Commentarius in evangelium sec. Matthaeum I ([3] Paris. 1922) 53; *M.-J. Lagrange*, Évangile selon S. Matthieu (Paris 1923) VI sqq. — **3** *K. A. Zenner* in Zeitschr. für kath. Theol. XVI (1892) 567 sqq.; *F. Tillmann*, Der Menschensohn (Bibl. Studien XII, 1./2. Heft, Freiburg 1907). — Textus principales: Matth. 24, 30; 25, 31; 26, 64; — 16, 27; 17, 9. — **4** *I. Frings*, Die Einheit der Messiasidee in den Evangelien (Katholik XCVII [1917 I] 93 sqq.). — **5** *M. Hagen*, Lexicon Biblicum III (Paris. 1905—1911) 584 sqq. 833 sq.; *I. Felten*, Neutest. Zeitgesch. I 371 sqq.; *E. Schürer**, Geschichte des jüdischen Volkes II [4] 447; *E. König**, Prophetenideal 31 sqq. — **6** *F. Zorell*, Lexicon graecum sub voce „ὡσαννά". — **7** Quaestiones criticas, quae spectant ad *genuinitatem litterariam* et *historicam* huius pericopae, non solvimus hoc loco. De genuinitate quidem litteraria nulla est ratio dubitandi; si vero critici contendunt tentationes Christi fuisse meras illusiones et alucinationes seu experientias internas, haec affirmatio quidem ex suppositis naturalismi et rationalismi procedere deprehenditur; sed valori testimonii non derogat. — **8** *Strack-Billerbeck**, Kommentar zum Neuen Testament aus Talmud und Midrasch. I: Das Evangelium nach Matthäus (München 1922) 151 (ad Matth. 4, 5). — **9** *Strack-Billerbeck** l. c. 640 sqq.; 726 sqq.; 954 sqq.; 974. — **10** Cf. *A. Merx*, Der Messias oder Ta'eb der Samaritaner (Beiheft zur Zeitschr. für die alttest. Wissensch. XVII, Gießen 1909). — **11** Pharisaei quidem *Regnum Dei* exspectabant et desiderabant, adducendum tamen non vi armorum, sed interventu Dei miraculoso vel per eius Messiam, qui halitu oris sui vel solo verbo interficit inimicos populi Dei (cf. n. 69 sqq.;

M.-J. Lagrange, Le Messianisme 228 235). Factio zelotarum, qui etiam armis et vi utebantur ad liberandum populum, orta est anno 6 p. Chr., quando Archelaus depositus fuit a Romanis (*Lagrange* l. c. 19 sq.).

CAPUT II.

QUONAM SENSU IPSE CHRISTUS REGNUM DEI A SE PRAEDICATUM INTELLEXERIT.

104. 1. Fontes omnes, et Iudaeorum libri extracanonici et ipsa evangelia in hoc consentiunt, ut testentur *multiplices* et *varias* fuisse *ideas* et *exspectationes messianicas,* tempore Christi in Israel vigentes. *Forma* tamen quaedam *praevalens*, influxu scilicet pharisaeorum, fuit haec: *Regnum Dei* futurum est quidem *messianicum,* ita tamen, ut Deus ipse salvet populum suum. *Messias* fere non est nisi *instrumentum Dei;* ceteroquin autem describitur ut *rex,* qui e regia stirpe *David* oriundus, fortasse iam exsistit sed *absconditus* et reservatus in tempus a Deo constitutum, qui *manifestabitur a Deo* signo aliquo miraculoso, probabiliter luminoso et caelesti, qui virtute praeditus divina restituet *libertatem* et *vitam nationalem* populi Israel eique *subiugabit totum mundum,* qui Deo et Foederi eius summopere deditus *Legis* observationem perfectam tuebitur, ad normam scilicet et secundum rigorem legisperitorum et pharisaeorum.

Regnum Dei igitur illud messianicum erit *terrenum,* quatenus exsistit in terra, licet in condicionibus, quae introductae sunt modo miraculoso; non autem est *transcendentale,* i. e. extra terram (in caelo seu in altera vita), neque sub condicionibus plane mutatis (e. g. in mundo aliquo transformato) his in terris. *Assumptio* quidem *Mosis* videtur aliam sententiam tenere; nam (cf. n. 71) Messias non nominatur; Regnum vero Dei, pertinens ad solum Israel, collocatur in „caelo stellarum", ergo non in terra; sed incertum manet, num haec tropice et allegorice an vero stricte intellegenda sint[1]. Ceterum hoc documentum, unicum cum sit atque sat obscurum, non infringit consensum aliorum.

Quibus expositis patet, *Regnum Dei* a Iudais longe plurimis exspectatum tempore Christi fuisse *religiosum* quidem sed simul *nationale* et *politicum,* essentialiter idem ac in V^e T^o, veram aliquam *theocratiam.* Simul autem exstitisse conceptum *puriorem* et *perfectiorem,* haustum ex prophetis V^{is} T^i, eumque inter eos praecipue, qui Iesu Christo erant propinqui, ex evangeliis haud difficulter eruitur.

105. 2. Et hae quidem inquisitiones non erant nisi praeviae. Nostra videlicet non tantopere interest indagare in conceptum Iudaeorum, quin potius *ipsius Christi,* praeconis Regni Dei eiusque fundatoris, sententia inquirenda est; ipse enim solus, Legatus Dei atque adeo Filius eius cum sit, poterit authentice declarare *sensum Regni Dei.* Quonam igitur sensu Iesus Christus locutus est de *Regno Dei?* Quonam modo *voluit intellegi* ab auditoribus suis? Quonam modo ipse consideravit ideas in populo divulgatas? Numquid eas approbavit? Numquid eas reiecit? Quasnam reiecit? Quasnam admisit? Hae fere sunt *quaestiones* in capite altero huius tractatus a nobis *solvendae.*

106. 3. In sequentibus igitur inquisitionibus nostris eruendus erit unice *sensus* et *intentio Iesu Christi.* Hinc illi *fontes* sunt interrogandi, qui de Christi vita et dictis et factis agunt, imprimis proinde *evangelia* nostra canonica. Incedemus autem simul via indirecta, quatenus *documenta alia,* sive canonica, ut epistulae Pauli et Actus apostolorum, sive postcanonica, interpretationem nostram evangeliorum confirmant. Hinc assertione exposita, quae alii fontes dicunt, breviter adiungemus.

107. 4. Quoniam de *ordine et nexu quaestionum* huius capitis in *Introductione generali* sermo fuit (cf. n. 9 sq.), hoc loco quaestiones tractandas enumerare sufficiet. Et primum quidem solvimus quaestionem de indole *eschatologica* Regni Dei; est quidem *Regnum Dei* eschatologicum tum quia ut messianicum est impletio V^{is} T^{i}, tum quia finis eius et terminus est vita aeterna; attamen non eo sensu, ut nondum exsistat in hac terra eiusque condicionibus *(Ass. 4).* De hoc iam Regno Dei in terris constituto ulterius quaeritur, num nimirum sit verum aliquod *regnum,* i. e. *vera aliqua societas* hominum *(Ass. 5).* Et cum hoc secundum Christi voluntatem affirmandum sit, sponte oritur quaestio, quomodo se habeat *Regnum Dei* a Christo annuntiatum ad Regnum Dei V^{is} T^{i}. Responsum est tripartitum. Regnum Dei novum est *mere religiosum,* non theocraticum seu religioso-politicum sicut V^{is} T^{i} *(Ass. 6).* Immo Regnum Dei novum est impletio V^{is} T^{i}, qua hoc ipsum *abrogatum* est *(Ass. 7).* Tandem Regnum Dei novum non est *nationale,* sed *universale,* invitans non solos Iudaeos, sed omnes omnino homines omnium temporum, ut bonis eius fruantur atque ita salvent animas suas *(Ass. 8).* Cum autem Regnum Dei V^{is} T^{i} esset foedus inter populum aliquem particularem, Israel nempe, et Iahve, iam ex hoc capite essentialis differentia inter V^{us} T^{um} et N^{um} T^{um} oritur.

Quaestio 1. De indole eschatologica Regni Dei.

108. Ex omnibus quaestionibus, quae agunt de *Regni Dei* natura, nulla fortasse diligentius discutitur, nostris praecipue diebus, quam ista de indole *eschatologica* Regni Dei. Ratio autem est praecipue externa, impugnatio scilicet et reiectio religionis christianae ut revelatae et supernaturalis. Theologia protestantica critica ex altera quidem parte noluit admittere indolem supernaturalem et divinam naturam Christi eiusque missionis, ex altera autem parte eundem agnovit ut hominem prae ceteris praecellentem sensu et experientia religiosa, qua hominibus dux fuerit et exemplar ad perfectiorem quandam formam religionis, quam ex ipso *christianam* vocant.

Attamen haec ipsa affirmat, Christum aliquando, homo cum fuerit, *errasse,* imprimis de missione messianica propria deque sorte sua et suae doctrinae religionisque. Hinc aliqui eo devenerunt, ut Christum arguerent amentiae, quia Messiam se ipsum esse putaverit; alii vero, veriti hanc maculam imagini Christi inurere, potius refugerunt ad *opiniones vulgares* tunc temporis in Israel sparsas, quibus Christum sese accommodasse, quasve ipsum participasse asserunt. Persuasionem autem Christi, se esse *Messiam,* explicant ex spiritu quodam *prophetico,* quo imbutus, et ex impulsu quodam *apocalyptico,* quo aliquando abreptus fuerit, quasi ligatus et obstrictus ideis illis, quae in *libris apocalypticis* proferuntur de Messia futuro. Christum persuasum habuisse se ipsum brevi tempore fore Messiam, seque fundaturum *Regnum Dei,* quod ut rex gubernaturus esset, Regnum autem Dei in novo mundo, *transcendentale* et gloriosum. Ex qua illusione et errore nata est (secundum eschatologistas) non solum *religio christiana,* sed etiam *Ecclesia* tamquam eius forma naturalis et necessaria, licet in oppositione ad Christi mentem et intentionem[2].

Ita fere theologi *eschatologistae,* inter quos eminent *W. Baldensperger, I. Weiss, A. Schweitzer.* Quibus accesserunt *modernistae,* ut *A. Loisy, I. Schnitzer*[3], quorum placita fere haec sunt: „Evidens est cuique, qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in evangeliis synopticis contentae authenticitate carere." „Christus non habuit semper conscientiam suae dignitatis messianicae." „Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin immo in mente Christi regnum caeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat" (Decr. *„Lamentabili"* 3 Iulii 1907: *D* 2033 2035 2052). Sed hi

omnes dicendi sunt plane ignorare indolem fundamentalem praedicationis Christi de Regno Dei; textus vero, quos afferunt, vel nil evincunt vel supposita demum sententia eschatologica huic sententiae non repugnare inveniuntur.

ASSERTIO 4. Secundum evangelia Christus annuntiavit *Regnum Dei* non mere eschatologicum (transcendentale), sed etiam praesens, i. e. iam exsistens in condicionibus huius saeculi.

109. *„Ultima"* (ἔσχατα), a quibus *Regnum Dei* dicitur eschatologicum, sunt sortes ultimae et definitivae vel mundi vel hominum singulorum, qui in mundo sunt et aliquam relationem ad *Regnum Dei* habent. Terminus a quo haec ultima computantur, est vita haec terrestris, seu *„hoc saeculum"* (graece αἰών; hebraice עוֹלָם) in oppositione ad *alteram vitam* et *„illud saeculum"* (cf. ζωὴ αἰώνιος)[4]. Hic autem status finitur pro singulis hominibus morte, pro mundo autem eius „consummatione" (συντέλεια τοῦ αἰῶνος: Matth. 13, 39 sq. 49; 28, 20), scilicet vel eius immutatione et transformatione in statum meliorem et perfectiorem vel transitu in statum absolute ultimum et definitivum.

Regnum Dei eschatologicum est igitur vel relative vel absolute ultimum. *Absolute* ultimus est eius status definitivus et perfectus in altera vita, in qua, sicut Paulus ait, Deus est „omnia in omnibus" (1 Cor. 15, 28); *relative* autem ultimus est status eius ultimus his in terris, seu ea forma, quae ante statum definitivum et transcendentalem quidem adest, sed relate ad formam praecedentem est posterior, perfectior, secundum quid ultima, quia alia Regni Dei forma in terris ultra non habebitur. Hoc iam sensu *Regnum Dei messianicum,* quod pingunt prophetae V^{is} T^{i} et libri Iudaeorum extracanonici, excepta fortasse *Assumptione Mosis* (cf. n. 104), est relative ultimum et hinc eschatologicum; eodem porro sensu religio christiana seu Ecclesia Christi ab hagiographis etiam christianis vocatur eschatologica, ut si *Petrus* allegat prophetiam Ioel: „Et erit in *novissimis* diebus . . ." (Ioel 3, 1 sqq. Act. 2, 16 sq.), vel si *Paulus* scribit ad *Hebraeos: „Novissime* [ἐπ' ἐσχάτου] *diebus istis* locutus est nobis in Filio" (1, 2); cf. epist. *Iacobi* (5, 3) et alias.

Et de his quidem significationibus *Regni Dei eschatologici* nulla est *controversia.* Haec demum oritur ex notione Regni messianici, quod sit simul absolute ultimum et definitivum, quod igitur incipiat cum fine mundi, saltem cum eius transformatione subitanea in statum perfectum et permanentem. Hanc, *„eschatologistae"* contendunt, ideam messianicam Christum habuisse; seipsum vero pro rege in hoc regno habuisse, i. e. persuasum

fuisse, se *futurum* esse Messiam simul cum adventu Regni Dei. Christum igitur semper *exspectasse Regnum Dei futurum,* brevi appariturum; de praesenti autem Regno Dei novo eum ne potuisse quidem cogitare. Consequenter omnis forma religionis et Ecclesiae prorsus aliena fuit a mente Christi, aliis verbis, eschatologismus destruit fundamentum religionis et Ecclesiae Christi.

110. Quodsi quaerimus, quibusnam *rationibus* assertio eschatologica, quae tam clare pugnat cum tota traditione et historia christiana, fulciatur, invenimus praeter rationes *aprioristicas* supra indicatas (n. 108) praecipue duas; et primum quidem provocant ad *ideas apocalypticas* tunc temporis in populo longe lateque *sparsas,* quae talem Messiam taleque Regnum Dei exspectarint. — *At* respondendum erit (1) fontes nostros, libros scilicet Iudaeorum apocalypticos, hoc minime probare. Omnes enim pingunt regnum Messiae *in terris* exsistens, cui deinceps, post tempus longius vel brevius, succedet Regnum Dei transcendentale. Neque certum est condiciones huius terrae plane mutatum iri in adventu Regni messianici; ipse enim Messias bella geret, hostes suos sibi et Deo subiugabit; hoc unum concedi potest: adventum Messiae fingi gloriosum, divinitus adductum et manifestatum; virtute item divina tempus messianicum futurum esse aetatem auream, sed terrenae prosperitatis ut fundamenti perfectae observationis Legis. — (2) Deinde vero non probatur has ideas apocalypticas fuisse *populo* communes atque familiares; quod interim tuto negatur, quia evangelia nostra et fontes rabbinici describunt exspectationem messianicam non transcendentalem. — (3) Postremo autem notandum est Iesum Christum, *si* cum eschatalogistis *consideretur ut homo,* qui sub influxu fuerit suae aetatis et suae gentis, potius participasse ideas, quas vocavimus „*iustorum*", quam apocalypticorum.

Contra hanc ultimam affirmationem autem ad *effata* quaedam ipsius *Christi* provocant, quae scilicet probent *indolem Christi propheticam et apocalypticam.* Et alia quidem ostendere dicuntur mentem Christi fuisse aliquando *exaggeratam,* immodicam, paene fanaticam, ut si extollit eos, qui persecutiones patiuntur (Matth. 5, 10 sq.), si postulat, ut quis praebeat alteram maxillam (5, 39), vel ne solliciti sint in crastinum (6, 34) et alia huiusmodi. Alia autem diserte illusionem „*propheticam*" evincere; Christus enim vidit post baptismum caelum apertum et audivit vocem, qua vocatur ad dignitatem messianicam (Marc. 1, 10), opinatur se a Spiritu duci in desertum (Matth. 4, 1) atque cum diabolo luctari (4, 3 sqq.), quem postea vidit „sicut fulgur de caelo cadentem" (Luc. 10, 18). Hinc etiam aegrotos putat a daemone obsessos et quodammodo „alligatos" (Luc. 13, 16) et ita porro. — Accedit alia classis textuum, in quibus Christus diserte de *Regno messianico* tamquam *futuro* loqui asseritur. Ita in prima praedicatione de Regno Dei: approximavit (ἤγγικεν); ergo nondum adest (Matth. 4, 17; 10, 7; cf. 3, 2). Ita si discipulos orare iubet: „Adveniat regnum tuum!" (Matth. 6, 10); porro pluribus locis, ubi certe de Regno Dei *futuro* et *transcendentali* loquitur, de adventu suo in potentia et maiestate. Ita Matth. 10, 23: „Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis"; 16, 28:

„Quidam de hic stantibus ... non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo; 23, 36: „Venient haec omnia (ultio sanguinis prophetarum) super generationem istam"; 24, 34: „Non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant": 26, 29: „Bibam (de genimine vitis) vobiscum novum in regno patris mei"; 26, 64: „Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli."

E quibus locis plurimi et gravissimi considerari debent in ipsa assertione nostra, omnes scilicet, qui de *Regno Dei* agunt. — Altera eorum classis, qui *spiritum Christi exstaticum* evincere dicuntur, menti non praeoccupatae nullam praebet difficultatem, modo eos intellegat sensu obvio; etenim Iesus Christus, Legatus cum sit Dei eiusque Filius, certo testari poterit, cuius rationis fuerint impulsus et cuius naturae spiritus, qui eum ducebant; eodem modo scire potuit, utrum morbus sit plane naturalis, an vero causatus a maligno spiritu. Hisce in rebus, quas e solis signis aegritudinis discernere non poterimus, secure sequimur ipsa verba Christi. — Prima denique classis dictorum Christi, quae eum aegrae fere mentis fuisse declarent, facile explicatur ex contextu sermonis vel ex more loquendi Iudaeorum, sicut in tractatu de Christo Legato divino ostendi solet[5].

111. Eschatologismus *sensu pleno,* modo expositus (de eschatologismo quodam *moderato* cf. Scholion I, n. 128) a paucis tenetur; neque protestantes liberales eum propugnant, licet aliquas eius ideas plurimi suas fecerint. Auctores *catholici,* ut patet, omnes eum plane reiciunt[6]. Ex altera autem parte omnes concedunt, *Regnum Dei* natura sua esse *eschatologicum;* iam igitur explicandum est, *quo sensu* nos asseramus indolem eschatologicam, quo sensu eam reiciamus.

Ipsa verba assertionis indicant divisionem quandam et distinctionem; in *priore* enim *parte* affirmamus indolem *essentialiter eschatologicam Regni Dei* a Christo praedicati. *Christus* scilicet ipse in fine huius mundi seu in „consummatione saeculi" huius *apparebit* modo *glorioso,* tamquam rex et iudex mundi et omnium gentium. Iudicio universali terminatur hoc saeculum; deinceps non iam erit nisi *Regnum Dei transcendentale,* vita nimirum (vel poena) aeterna. Sed hunc gloriosum adventum Iesu Christi *praecedet* aevum, cuius longitudinem ipse Christus non manifestavit, in quo *Regnum Dei* exsistit iam *his in terris,* in condicionibus huius vitae, ita ut homines mortales sint cives huius Regni, participes bonorum eius et ligati eius legibus. Hoc *Regnum Dei praesens,* ab ipso Christo intentum, institutum, fundatum, organisatum — in concreto Ecclesia Christi — *nexu* interno et organico secundum Christi voluntatem *coniunctum* est *cum Regno Dei transcendentali,* et quidem sub duplici respectu, nempe (a) quia ingressus in *Regnum Dei praesens* eiusque civitas praebet *ius*

ad *Regnum Dei transcendentale;* intellegitur autem observatio plena omnium legum Regni Dei praesentis; (b) *Regnum Dei praesens non* est *mera praeparatio* ad bona Regno Dei propria, sed eorum *participatio* secundum essentiam, licet nondum secundum perfectam fruitionem; bonum enim essentiale Regni Dei, redemptio Christi et gratia sanctificans, quam nobis promeruit, cum vita supernaturali, iam donatur civibus Regni Dei praesentis; fruitio autem perfecta huius vitae habetur demum in „altera vita" in caelo, tamquam merces ex ipsius Dei promissione iis reddenda, qui fideliter obligationes Regni Dei praesentis impleverint. *Regnum* igitur *Dei praesens,* licet sit nondum omni ex parte perfectum, sed potius ut aiunt *„incohatum"* (*d'Herbigny*), tamen est *verum,* et, quatenus unum quodammodo constituit cum Regno Dei *transcendentali,* absolutum.

112. *Christus* porro est *Messias,* fuitque Messias *iam tempore vitae* suae, quo ut rex Regnum suum condidit, duraturum usque ad consummationem saeculi; tunc *iterum* apparebit, non in humilitate et ut *„servus"*, quem descripsit Isaias (53), sed in maiestate ut *„Filius hominis"*, quem vidit Daniel in visione nocturna (Dan. 7, 13). *Duplicem* igitur *adventum* distinguunt sacri fontes et ipse Christus. Ante alterum vero adventum ipse Christus iam regnat tum in Regno suo terreno, tum gloriose in caelis cum omnibus, quotquot servi fideles eius fuerunt in terris, „donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius", ait Paulus (1 Cor. 15, 25); atque non sine ratione inter actus regiminis numerantur etiam iudiciales et poenales, e. g. iudicium de urbe Ierusalem. Talis manifestatio Christi regis gloriosi, quae eius triumphum definitivum quodammodo anticipat, recte dici potest *adventus Christi gloriosus.* Sed de his interim satis; plura ex ipsa assertione patebunt.

113. Ipsa assertio nostra ita *procedet,* ut (1) ostendat *indolem Regni Dei eschatologicam* et *transcendentalem;* haec enim secundum Christi verba Regno Dei est essentialis. In altera scilicet vita *Dei regimen* est perfectum, quatenus omnes cives huius Regni perfecte implent eius voluntatem; et simul *Regnum Dei* est perfectum, quatenus omnes perfecte fruuntur bonis a Deo-rege sibi datis. Hoc tamen Regnum Dei non adeo est transcendentale, ut nullam *relationem* habeat ad *hanc vitam,* quae saltem eius praeparatio est. Et haec quidem in priore parte. — (2) In altera deinde parte ulterius probandum erit hanc vitam non esse meram praeparationem ad Regnum Dei futurum transcendentale, sed *Regnum Dei* secundum voluntatem Christi *iam existere in hac vita* seu esse *praesens.* Ita eschatologismus extremus excluditur; simul autem ex locis afferendis elucebit etiam exspectationem Iudaeorum Messiae *gloriose* a Deo *manifestandi* a Christo reici;

sed *Regnum Dei messianicum* initium sumere e vita terrestri et morte Christi ut Messiae, in *primo eius adventu,* et finiri eiusdem Christi *altero adventu,* glorioso.

I. Regnum Dei est eschatologicum.

Haec pars continet duplex assertum: (1) *Regnum Dei* esse *eschatologicum* et *transcendentale;* (2) ita tamen, ut habeat *relationem* ad *hanc vitam* terrestrem.

1. De indole Regni Dei transcendentali et de adventu Christi altero, glorioso.

114. a) *Indoles transcendentalis* Regni Dei non est novum quid in praedicatione Christi, cum et libri canonici V^is^ T^i^ (n. 57) et extracanonici (n. 65 sqq.) loquantur de mundi et hominum *„novissimis"*. Ita Christus semper effert alteram vitam ut finem huius vitae. Sufficiat aliquos textus citare, qui eligantur ex verbis Christi, quae initio vitae publicae et quae in eius fine dixit. Ipsae iam beatitudines quae vocantur (Matth. 5, 3 sqq.) promittunt alteram vitam eis, qui sese adiungunt Regno Dei: „Merces vestra copiosa est in *caelis*" (5, 11). Loquens de mandato decalogi quinto minatur *„gehennae ignem"* (5, 22). „Thesaurizate autem vobis thesauros *in caelo!*" (6, 20.) In instructione apostolorum (Matth. 10, 5 sqq.) loquitur de sorte futura suorum discipulorum, de persecutionibus, quae eos exspectant; „qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit!" (10, 22). Finis autem intellegitur huius vitae, mors nempe: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus; . . . sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere *in gehennam*" (10, 28). In parabola porro de zizaniis (13, 24 sqq.) eiusque explicatione (13, 36 sqq.) Christus se ipse dicit seminatorem et dominum messis et regem, qui tempore messis, i. e. „in consummatione saeculi" (13, 40) mittet angelos suos, qui colligent de Regno suo omnia scandala et mittent *in caminum ignis.* Iusti autem fulgebunt sicut sol in *Regno Patris* eorum (13, 42 sqq.).

Novissima igitur hominis haec fere sunt: *Resurrectio* mortuorum (Matth. 22, 23 sqq.: quaestio sadducaeorum; Io. 11, 25: resuscitatio Lazari); *iudicium* ultimum et universale (Matth. 25, 31 sqq. Io. 3, 17 sqq.; 5, 27 sqq.; 12, 48); *vita aeterna* (Matth. 19, 29; 25, 46. Io. 3, 15 sq.; 4, 14 36; 5, 24; 6, 27 58; 7, 38 sq.; 17, 3) vel *poena aeterna* (Matth. 5, 30; 13, 41 sq.; 25, 46).

115. b) Praecedet autem Regnum Dei transcendentale (definitivum) *alter Christi adventus,* gloriosus nimirum, de quo iam sermo est in parabola de zizaniis (Matth. 13, 40) et in responso Domini

ad Petrum: „... vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim ...“ (Matth. 19, 28). Clarius autem et fusius in *„apocalypsi synoptica“* quae vocatur (Matth. 24, 1 sqq. Marc. 13, 1 sqq. Luc. 21, 5 sqq.), quae tamen, cum obscuritatibus non careat, specialem exigit expositionem.

EvMatth. quidem instructionem Christi de suo *adventu (parusia)* altero ut *unum sermonem* refert, quem Iesus apostolis habuerit Hierosolymis, ultimis diebus vitae suae, ut eis quodammodo explicaret sortes ultimas et finem gloriosum Regni Dei praesentis, cuius praecones et testes-martyres ipsi erunt. Sed nihil obstat, quominus admittamus Christum aliis etiam occasionibus de sua parusia et de *destructione Ierusalem,* quae in apocalypsi arcte cum adventu Christi conectitur, locutum esse. Ita iam Matth. 10, 15 de poena loquitur, quam luent illi, qui apostolos non receperint; 10, 23 est sermo de *„adventu Filii hominis“;* huc spectant *vae* super civitates ad lacum Genesareth (Matth. 11, 20 sqq. Luc. 10, 12 sqq.), minatio *poenae* super Iudaeos, nisi paenitentiam egerint (Luc. 13, 1 sqq.); huc praedictiones de *ruina Ierusalem* (Matth. 21, 41: in parabola de vinitoribus; 22, 7: in parabola de nuptiis regalibus; Luc. 19, 41: ingrediens *Urbem flevit* super illam); interrogantibus porro pharisaeis: „Quando venit Regnum Dei?“ (Luc. 17, 20) respondet Christus, *Filium hominis* appariturum *sicut fulgur* collustrans totum caelum; sed antea eum debere multa pati et reprobari a generatione hac (17, 24 sq.; cf. Matth. 24, 27). *Sermo* dein *apocalypticus* hierosolymitanus omnia complectitur, quapropter eum solum considerare in animo est.

116. *Ansa* fere huius instructionis videtur fuisse conclusio sermonis contra pharisaeos et legisperitos (Matth. 23, 1 sqq.), in quo Christus eorum hypocrisim severe arguit et carpit, eosque accusat, quod, sicut patres eorum prophetas, ita ipsi Messiam eiusque apostolos persequuntur atque populum secum trahentes perdunt. Sanguis enim prophetarum et apostolorum veniet super Ierusalem: „Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta!“ (23, 38.)

Ex quo vaticinio forte intellegitur *interrogatio* apostolorum: „Dic nobis, *quando haec* erunt? et *quod signum adventus tui,* et *consummationis saeculi?*“ (24, 3.) Interrogatio sane duplex: (1) *Quando haec* erunt, scilicet *destructio templi* (24, 1 sq.) et Urbis? (23, 38), et (2) *quod signum* adventus tui et consummationis saeculi? Videntur igitur apostoli haec inter se combinasse atque putavisse *simul utrumque* venturum esse, destructionem Urbis et finem mundi. Haec opinio apostolorum atque haec indoles interrogationis apostolicae prae oculis habendae sunt, ut responsum Christi recte perpendi possit. Nam fatendum est, sicut in quaestione duas partes, ita etiam in responso divisionem quandam reperiri; licet non semper immediate et clare eluceat, quaenam

ex Christi verbis respiciant destructionem Ierusalem, quaenam sese referant ad finem mundi et consummationem saeculi. Ut probabilem partitionem proponemus sequentem. Agunt

Matt. 24, 4—14 de fine mundi;
15—25 de fine Ierusalem;
26—31 de fine mundi;
32—35 de fine Ierusalem;
36—42 de fine mundi.

Accedunt parabolae de patrefamilias (24, 42—44), de servo fideli (24, 45—51), de decem virginibus (25, 1—13), de talentis (25, 14—30). Conclusionem facit descriptio *ultimi iudicii* (25, 31—46). — Iam ad singulas partes.

Matth. 24, 4—14 est sermo de *pseudomessiis,* qui dicent: „Ego sum Christus!" „Oportet enim haec fieri, sed nondum est finis!" (24, 6.) Etiam alia mala maxima, bella, fames, terraemotus non sunt nisi „initia". Neque persecutiones cruentae christianorum, quia sunt odio „omnibus gentibus", neque discidia interna, in sinu scilicet Ecclesiae Christi, neque defectus plurium sunt signa, iam instare *adventum Christi.* Antea debet praedicari evangelium Regni in toto orbe terrarum, „in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio" (24, 14). — Haec omnia sese referunt ad *finem mundi,* nam sunt universalia. Neque proprie signa afferunt huius finis, sed monent apostolos, ne citius eventus etiam terribiles pro signis parusiae Christi habeant; ipsa universalis praedicatio evangelii debet quidem adventum Christi praecedere, sed cum universalitas sit difficilis determinatu, rationem signi induere vix poterit.

Versus sequentes 15—25 respiciunt *eversionem Urbis* et monent christianos, ut tempore opportuno fugiant. Tribulationem huius ruinae esse maximam; atque etiam hac occasione apparituros esse pseudoprophetas, qui miracula patrare gestiunt atque multos seducunt. Terminatur haec pars conclusione aliqua formali: „Ecce praedixi vobis!", quae ipsos apostolos respicere videtur.

Versus sequens nectitur quidem cum praecedentibus particula „ergo" (οὖν); nexus vero non respicit factum historicum particulare, pseudoprophetas venturos ante destructionem Ierusalem, sed generale, scilicet futuros esse falsos prophetas etiam ante *consummationem saeculi.* His non credendum est; nam adventus Filii hominis erit sicut *fulgur,* quod prorumpit ex nubibus; subito adest, collustrans caelum et terram et splendore suo oculos hominum quasi offundens, ita ut de parusia Christi nemo iam dubitare possit. Vel sicut *aquilae* congregantur, ubicumque cadaver

fuerit; nemo scit, unde tantus numerus, subito quasi, advenerit. Ita erit in adventu Filii hominis. *Signum* igitur adventus est ipse splendor maiestatis Filii hominis, qui venit „in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate“ (24, 30). Angeli autem eius congregabunt electos eius „a quattuor ventis“ (24, 31; cf. 13, 41): est igitur sermo de consummatione saeculi.

Iterum autem vertitur sermo ad *eversionem Urbis;* nam *signa* huius calamitatis comparantur cum foliis natis et teneris fici, ex quibus cognoscitur aestas proxime instans; „ita et vos, cum vos videritis haec omnia (scilicet relata v. 15—25), scitote quia prope est in ianuis. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant“ (24, 33 sq.).

Ultimi deinde versus huius partis deducunt quodammodo conclusionem ex dictis simulque rationem addunt, curnam dies *adventus Christi gloriosi* maneat occultus; est enim absconditus in scientia Patris; neque *Filius, ut Messias* nempe hominum, novit diem et horam (24, 36—42).

Hinc *„vigilate!“* Sive quis est *paterfamilias*, qui custodit domum suam contra invasionem furis, sive est *servus,* cui dominus commisit familiam suam (24, 42—50). *„Estote parati!“* Virgines quidem omnes dormierunt, sed quinque erant paratae; quinque vero fatuae, sero venientes, non sunt ad nuptias admissae (25, 1—13). *„Laborate!“* Dominus talenta diversa suis servis distribuit, ut ex iis domino lucrum faciant. Servi fideles intrant „in gaudium domini sui“; servus vero inutilis eicitur „in tenebras exteriores“ (25, 14—30). Omnes igitur parabolae in eo conveniunt, quod respiciunt *Regnum Dei transcendentale,* quod non datur nisi eis, qui se *praeparaverint,* et quidem non sola vigilantia, sed *servitio* eiusdem domini et regis, Dei nimirum, iam *his in terris.*

117. Nunc demum adicitur descriptio *ultimi iudicii* (25, 31—46); est etenim manifestatio potestatis regiae *Filii hominis* eiusque *adventus* in potestate, et simul *interpretatio* authentica *parabolarum* praecedentium. Christus apparebit in medio angelorum *suorum,* tamquam *rex* caelestis, in throno gloriae suae; ante eum parebunt omnes gentes, *iudicandae*, sicut oves ante pastorem suum. Duae sunt *sententiae:* „Venite, benedicti Patris mei . . .! Discedite a me, maledicti . . .!“ *Norma* autem huius sententiae non est mera vigilantia seu *observatio* (cf. Luc. 17, 20) adventus Christi, sed *agnitio* Christi in suis asseclis et fratribus (cf. Matth. 10, 40 sqq.) minimis (cf. 18, 5 sq.), per opera caritatis. Ipsa ergo haec norma supponit Regnum Christi his *in terris,* cuius membra ut talia cognosci queant. „Et ibunt hi (maledicti) in supplicium aeternum; iusti autem (qui impleverint iustitiam Regni Christi) in vitam aeternam“ (25, 46).

Quibus expositis, certum est, (1) Christum promittere suis *alterum adventum, gloriosum,* quo ut rex et iudex universalis apparebit, et qui coincidit cum fine mundi et initio Regni Dei exclusive transcendentalis. (2) *Destructio Ierusalem,* quam apostoli interrogatione sua coniungebant *cum hoc Christi adventu,* secundum Christi responsum *non* cum eo *coincidit;* est quidem una ex tribulationibus maximis, sed non est finis mundi. (3) Tempus huius finis non revelatur a Christo; annuntiat quidem quaedam *signa,* quae praecedunt *eversionem Urbis;* sed adventus Christi fiet *sine* speciali *signo* praevio. Id unum iam ex iis, quae proposuimus, erui potest, *Regnum Dei* non esse *mere transcendentale,* sed praecedere certum tempus his *in terris,* quod vel sit tribuendum praeparationi vel iam tribuit participationem bonorum *Regni Dei.* Sed de hac re in altera parte.

118. Explicationem modo datam non removere omnes difficultates neque fugare omnes obscuritates ultro concedimus; hoc provenit ex ipsa sermonis compositione atque etiam ex intentione Christi, qui noluit clarius de tempore et signis alterius adventus sui loqui. Hinc nil mirum, quod alii aliam partitionem sermonis apocalyptici admittunt, alia etiam verba ad alios eventus referunt; commune tamen omnibus his est persuasio responsum Christi esse duplex, ita ut quaedam de fine mundi, quaedam vero de fine Ierusalem dicta sint.

Knabenbauer sequitur hanc divisionem sermonis: 24, 5—14 de fine mundi; 15—21 de eversione Urbis; 22—28 monita de altero Christi adventu; 29—35 qualis hic adventus futurus sit; 36—51 semper parati simus oportere. — *Lagrange* dividebat sermonem ita, ut tribueret 24, 4—20 et 32—35 descriptioni destructionis Ierusalem, 24, 21—31 et 36—42 adventus alterius Christi. — *Meinertz* cum Lagrange contra Knabenbauer potius de eversione Urbis dictos esse versus 5—14 asserit. — *Yves de la Brière* attribuit destructioni Urbis 24, 4—20 vel 25 et 32—35; fini mundi vero 24, 21 (26)—31 et 36—42. — *Rohr* distinguit partes et verba, quae dicuntur forma futuri (24, 5—14; 21—25; 29 sqq., quae narrant ventura), ab aliis in forma imperativa (24, 15—20; 26—28; 32 sq.), quae continent monita Christi. Destructionem Urbis referunt 24, 4 sqq.; finem mundi 24, 29 sqq. Solutionem difficultatis praebere parabolam de fico, quae loquatur non de adventu, sed de signis adventum praecedentibus. — *Cladder* eandem fere divisionem profert, quam secuti sumus in textu. — *K. Weiss* distinguit 4 partes: 24, 4—14 (ne credant falsis prophetis); 15—22 (eversio Ierusalem); 23—31 (finis mundi); 32—36 (tempus utriusque iudicii, particularis super Ierusalem: 32—35, super mundum: 36)[7].

2. Regnum autem Dei transcendentale habet relationem ad hanc vitam.

119. Plures quidem textus, qui affirmant hanc relationem, iam allati sunt in parte praecedenti; alii hic subiungantur. Iis qui

persecutionem patiuntur propter Christum, promittitur *merces* in caelis copiosa (Matth. 5, 12). — Expedit, ait Iesus, abscidere ipsa membra corporis, si sint *scandalo* animae, *ne* „totum corpus . . . mittatur in *gehennam*“ (5, 29); *peccata* in hac vita patrata sequitur *amissio* Regni Dei aeterni. — Porta est angusta et via ad vitam arcta (7, 13 sqq.). — Civitates et homines, qui praedicationi apostolorum non crediderint, exspectat *iudicium* terribile (10, 14 sqq.; 11, 20 sqq.). — Veniet post hanc vitam, post tempus scilicet *segetis,* dies *messis,* in consummatione saeculi, in qua triticum in horrea caelestia congregabitur, zizania vero et scandala in ignem aeternum mittentur (13, 41 sqq.); in qua pisces boni ex reti in vasa, mali autem foras mittentur, in caminum ignis (13, 48). — Veros *thesauros* sibi acquirit, qui *renuntiat* omnibus his in terris, ut animam suam *salvet* (16, 26 sqq.); qui vendit omnia, ut Iesum sequatur (19, 21), sicut fecerunt apostoli, quibus Christus promittit centuplum *in hac vita* et vitam *aeternam* (19, 27 sqq.). Quidnam sibi vult centuplum in hac vita, nisi sit saltem *initium* quoddam *Regni Dei,* iam in hoc saeculo? Clare deinde haec ipsa idea praeparationis requisitae exprimitur in parabolis, quas Christus apocalypsi adiungit (24, 42 sqq.).

120. *Ioannes* non aliter loquitur. Deus misit Filium suum, ut homines haberent *vitam* (3, 16 sqq.), sed *credentes* in ipsum (3, 15 sqq.; cf. 17, 3): „Qui spernit me et non accipit verba mea, habet, qui *iudicet* eum“ (12, 48). — *Gratia* Christi est *fons* vitae et aquae *salientis* in vitam aeternam (4, 14). — Ipse Christus *iudicabit* homines; vocabit enim omnes ante tribunal suum; „et procedent, qui *bona* fecerunt, in resurrectionem *vitae,* qui vero *mala* egerunt, in resurrectionem *iudicii*“ (5, 28 sq.). Est igitur sermo de iudicio in *Regno Christi,* quod (aeque ac Matth. 25, 31) diem iudicii praecedere supponitur. — Christus ipse quidem antea discedet ab apostolis suis, ut eis paret locum in domo Patris, ubi multae mansiones sunt (14, 1 sqq.); „*iterum venio* et accipiam vos ad meipsum“ (14, 3). Interim vero apostoli manebunt *in hac vita,* operantes, orantes, mandata Christi implentes (14, 12 sqq.), adiuti autem a Spiritu Sancto, qui „maneat vobiscum *in aeternum* . . .; in vobis erit“ (14, 16 sq.). *Non* rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. . . . Sanctifica eos in veritate. . . . Sicut tu me misisti, et ego misi eos in mundum. . . . Ego in eis et tu in me, ut sint consummati in unum. . . . Et notum feci eis nomen tuum et notum faciam; ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis“ (17, 15—26). Haec intellegi non possunt nisi de *Regno Dei* et *Christi* his in terris iam exsistente.

II. Regnum Dei est etiam praesens.

Pars prior eiusque argumenta indolem Regni Dei ut praesentis partim indicant, partim vero etiam diserte edicunt. Quibus in altera hac parte alia testimonia addemus, sive implicita potius et indirecta, sive directa et explicita.

121. 1. Textus et argumenta, quae *implicite* affirmant, *Regnum Dei* iam exsistere *in condicionibus huius vitae.* — Et haec quidem breviter et leviter tantum perstringemus, quia de iis fusius agendum erit in assertionibus sequentibus. Sive enim ea considerantur, quae *postulat* Christus ab eis, qui Regnum Dei intrare volunt (Regnum Dei *ethicum*), sive *bona* illa, quae ingredientibus Regnum Dei *promittuntur* (Regnum Dei *gratiosum*), ipsum dici debet *praesens.*

a) *Postulatur* nimirum subiectio omnimoda sub Deo ut domino et ut patre: „Quaerite ergo primum *Regnum Dei* (i. e. servire Deo his in terris) et iustitiam eius (impletionem legum eius) et haec omnia adicientur vobis" (bona scilicet temporalia, Matth. 6, 33). Omnes dein homines sunt fratres et ut tales diligendi (6, 14 sq.), magis etiam, quia sunt membra eiusdem *Regni Christi,* unde fit, ut *norma* iudicii ultimi sit caritas proximi minimi (25, 40). *Mandata* Christi porro respiciunt omnes condiciones huius vitae: matrimonium, divitias, eleemosynas, ieiunium, orationem, alia; quomodo haec componi possunt cum exspectatione *Regni Dei gloriosi* mox venturi? Immo tota doctrina Christi excludit eschatologismum illum extremum, quem reicimus.

b) *Bona* dein Regni Dei iam adsunt his in terris; et ex hoc solo capite dici debet Regnum Dei a Christo annuntiatum praesens. Ipsum bonum messianicum qua tale est redemptio; hanc autem hominibus elargitur Deus his in terris (Matth. 20, 28; 26, 27 sqq. Io. 3, 16 sq.). Immo expresse Christus loquitur de gratia, quae communis est huic et alteri vitae, quae quasi fons aquae prorumpit in terris et saliens pervenit in caelum (Io. 4, 14; cf. *Ass. 5*).

c) Praesentia dein *Regni Dei* supponitur ab eiusdem indole *externa* et *sociali (Ass. 5)* et *universali (Ass. 8).* Sponte demum profluit ex *nexu,* qui intercedit inter *Regnum Dei* V^{is} T^{i} *et* N^{i} T^{i}; Regnum enim Dei messianicum est impletio Veteris Foederis et eatenus quidem eschatologicum; sed haec impletio fit in hoc saeculo: „Multi prophetae . . . cupierunt videre quae vos videtis . . ." (Matth. 13, 16 sq.), quia Christus est plus quam Ionas et alius quivis propheta V^{is} T^{i}, est enim ὁ προφήτης, plus etiam quam Salomo et omnes alii reges Israel; nam est Messias-rex (12, 41 sqq.). Inde exclamatio Iesu iubilans, quod Deus sua mysteria

revelavit parvulis, mysterium scilicet filiationis suae divinae. Hinc subiungit: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos! ... Iugum enim meum suave est et onus meum leve“ (11, 25 sqq.). Haec autem de tempore *praesenti*, de *Messia* iam *exsistente*, de bonis Regni Dei iamiam paratis dicta sunt.

Et haec quidem indicasse satis erit; veniamus ad testimonia diserta.

122. 2. Considerandae sunt imprimis *parabolae* Iesu de Regno Dei, dein aliqui *textus* praeclari et evincentes.

a) Et *parabolae* quidem multae a Christo afferuntur, quibus nempe, more populi sui, veritates difficiliores et altiores comparatione quadam (in forma narrationis) intellegentiae auditorum suorum accommodet[8]. Ante alias autem de *indole* et *natura Regni Dei* agunt septem a Matthaeo aptissime congestae, in quibus videlicet origo et sortes et consummatio Regni Dei his in terris optime describuntur (Matth. 13, 1 sqq.). Hic *sermo parabolicus* est medius ex septem, quos Matth. operi suo inseruit[9], quosque formulis etiam ut tales lectoribus innotescere voluit; dirigitur et populo et discipulis (Marc. 4, 10), ea tamen differentia, ut his solis sensus parabolarum explicetur: „Vobis datum est, nosse mysteria Regni caelorum. . . .“ (Matth. 13, 11). — Haec autem mysteria complectuntur (1) *originem Regni Dei;* de hac agit prima parabola, de *semente,* scilicet de verbo Dei (13, 3—9; 18—23). Verbum Regni pervenit quidem ad aures omnium auditorum, sed non in omnibus invenit mentem dispositam; hinc vel nullum fructum profert vel exiguum vel multum. Origo igitur Regni est tum ex parte Dei, qui dat semen, tum ex parte hominis, qui terram praeparare debet, ut semen fructus afferat. Utrumque fit *hac in terra;* est igitur ipsum quoque Regnum in hac terra. — (2) De *sortibus* Regni agunt parabolae secunda (de *zizaniis* 13, 24—30; 36—43), tertia (de *grano sinapis* 13, 31 sq.), quarta (de *fermento* 13, 33). Parabola de *zizaniis* docet simul cum Regno Dei etiam in futurum coexsistere regnum diaboli in mundo („ager autem est mundus“ 13, 38) usque ad consummationem saeculi. Ergo Regnum Dei, seu quod explicite etiam vocatur *Regnum Filii* hominis (13, 41), eodem modo *praesens* est ac regnum diaboli; inter se pugnant filii Regni et filii nequam, usque ad finem mundi. Non autem hac coexsistentia excluditur, Regnum Dei usque crescere; immo sicut *granum sinapis* e minimo semine crescit in arborem, ita erit Regnum Dei arbor, in cuius ramis habitare poterunt omnes gentes. Et hoc quidem fiet

virtute quadam divina ipsi a Deo insita. Sicut nimirum *fermentum* totam massam pervadit, licet sensim, licet occulte, ita erit cum Regno Dei. Virtus illa divina vacua esse non potest; pervadet totum mundum, afficiet omnes quotquot obstacula non interponunt. *Regnum* igitur *Dei* est organismus vivus, et vivificatus quidem virtute divina; permanebit et vivet usque ad consummationem saeculi, quae secundum has parabolas non immediate instare consideratur. — (3) De ipsa iam *consummatione saeculi,* quae simul erit consummatio *Regni Dei praesentis*, edocentur apostoli tribus ultimis parabolis, scilicet de *thesauro* invento (13, 44), de *margarita* quaesita (13, 45 sq.), de *reti* piscium (13, 47 ad 50); praecedit autem has parabolas explicatio parabolae de zizaniis (13, 36 sqq.), quae, in oppositione quadam ad ipsam parabolam, potius insistit in interpretatione finis mundi. Ita hae partes sermonis artificiose inter se concatenantur. Quia Regnum Dei etiam essentialiter est transcendentale, vita nempe aeterna, hinc omnia vendi debent, ut quis teneat hunc *thesaurum* casu inventum, vel acquirat *margaritam* studiose quaesitam. Neque solliciti sint apostoli, quod simul exsistat regnum diaboli; in die iudicii definitive triumphabit Regnum Dei. Ex altera autem parte non omnes, qui his in terris *externe* tantum ad *Regnum Dei* pertinent (congregati in *reti* piscium), partem habebunt in Regno Dei *caelesti;* sicut in die consummationis filii Regni a filiis nequam, sic etiam filii Regni boni a malis separabuntur (13, 39 sqq.; 48 sqq.; cf. 25, 32 sqq.).

Clarius sane Christus de *Regno Dei* ut *praesenti* simul et futuro, deque relatione inter Regnum Dei praesens ad futurum loqui vix potuit. Accedunt autem aliqui textus, qui continent assertionem formalem, Christum intellexisse Regnum, quod initium sumpsit *iam* suo tempore.

b) *Textus* quidam *expliciti.*

123. *Matth. 11, 12 sqq.* — Ioannes Baptista, sive exemplo suo docere vult populum (discipulosque ad Iesum adducere), sicut sententia Patrum est, sive anxiatus obscuritate quadam, quam Deus in sanctis suis aliquando permittit, sicut auctores quidam recentiores volunt[10], Christo mittit aliquos ex suis discipulis, qui nomine Ioannis in carcere detenti interrogent Iesum: „Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?“ (11, 3). Iesus respondet eo, quod provocat ad *opera messianica,* quae patravit, miracula scilicet, et ad „boni nuntii“ praedicationem (Is. 61, 6). Concludit deinde verbo gravissimo: „Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me!“ (11, 6.) Recedentibus dein Ioannis nuntiis, Christus

ipse ad populum loquitur et de Ioanne eiusque missione et de suo munere ut *Messiae* deque *Regno* suo. . . . Ex quo elucere videtur responsum Christi ad Ioannem etiam respicere populum; Israel sibi dictum esse existimet: Beatus, qui non scandalizatus fuerit in suo Messia!

Agi hac in instructione de re gravissima, ipsa iam *forma* sermonis indicat: Exorditur interrogationibus, quae attentionem auditorum excitent; effert Ioannis magnitudinem prae omnibus prophetis, ut dein, quasi sibi contradicens, eum vocet „mininum in *Regno Dei*" (novo); concludit sermonem: „Qui habet aures audiendi, audiat!" (11, 15). *Ideae* vero, quae exhibentur, sunt hae: Ioannes est non solum „vox clamantis in deserto", non solum vir austerus et intrepidus coram ipso rege, non solum propheta, sed omnium prophetarum maximus (Matth. 11, 7—11; cf. Luc. 7, 28); est etenim praecursor Messiae, *Elias,* quem Malachias praedixit (3, 1). Ergo *Regnum Dei* est saltem *proximum,* quia eius praecursor iam apparuit; immo iam *adest.* Hoc factum a Christo modo extraordinario effertur: Minor in Regno caelorum maior est quam ipse (Ioannes) (11, 11). Tantopere excedit Regnum Dei *novum* Vetus Foedus, ut minima eius membra praecellant ante maximos vates, qui et quatenus ad Vetus Testamentum pertinent. Et his quidem verbis proxime *differentia* essentialis effertur, quae obtinet inter Regnum Dei vetus et novum. In sequentibus vero *praesentia* Regni *messianici* clare enuntiatur, et quidem dupliciter: (1) Regnum Dei iam adest, quia *„vim patitur"* i. e. vi supprimitur[11], et quidem inde a diebus Ioannis Baptistae. „Violenti" homines, inimici Christi, „vi eripiunt" illud, illis scilicet qui ingredi volunt (de usu verbi ἁρπάζειν cf. Matth. 12, 29; 13, 19; Io. 10, 12 28). Dein (2): „Omnes enim prophetae et Lex usque ad Ioannem prophetaverunt; et si vultis recipere (recte intellegere): ipse est Elias, qui venturus est" (11, 14). *Tempus* ergo *prophetiae transiit,* quia *impletio adest;* ipse praecursor iam apparuit, iam disparuit; iam silet vox clamantis; ostendit namque populo venturum „agnum Dei", Messiam; ipsi adduxit proprios suos discipulos; iam oppugnatus et suppressus est, detinetur in carcere: *Regnum caelorum adest.* Messias apparuit. Opera eius manifesta sunt omnibus, qui habent oculos, ut videant. Verba eius sunt clara omnibus, qui aures audiendi habeant. Beatus, qui non scandalizatus fuerit in ipso!

124. *Matth. 12, 22 sqq.* — Exemplum violentiae, qua inimici Christi, pharisaei nempe, *Regnum Dei* opprimunt et populum ab ingressu arcent, narratur in capite sequenti *EvMatth.* (12, 1 sqq.).

Christus defendit discipulos suos, quod sabbato spicas vulserint, simul manifestans suam dignitatem *messianicam:* „Templo maior est hic“ (12, 6), et „dominus est Filius hominis etiam sabbati“ (12, 8). Mox intrans in synagogam curat (eodem) sabbato manum aridam: „Licet sabbatis benefacere!“ (12, 12.) Pharisaei autem consilium fecerunt in Iesum, „quomodo perderent eum“ (12, 14). Medium, quo pharisaei ad hunc finem obtinendum utuntur, erat efficax. Cum nimirum Iesus sanasset daemoniacum, qui simul erat caecus et mutus, atque vulgus obstupescens exclamaret: „Numquid hic est filius David?“ contradicunt pharisaei: „Hic non eicit daemones, nisi in Beelzebub, principe daemoniorum!“ (12, 23 sq.) Iesus autem, refutans hanc calumniam sane gravissimam, clarissime loquitur de *Regno Dei,* quod iam *adest,* cuius virtutes et effectus videre possunt, quicumque sunt bonae voluntatis.

Et primum Christus duplici argumento reicit accusationem pharisaicam, ostendens, se in eiciendis daemoniis non uti virtute diabolica; nam (a) diabolus non destruit proprium suum „regnum“; iamvero si alter daemon alterum expellit, non „stabit regnum eius“ (12, 26). Accedit (b) argumentum ad hominem: Ipsi enim Iudaei, „filii vestri“ (fortasse asseclae pharisaeorum), eiciunt daemones; quanam virtute? Numquid diabolica? — Ergo, ne iniuria Christo illata recidat in iniuriantes, confitendum erit neque Christum eicere daemones vi diabolica.

Exinde autem patet via ad ulteriorem conclusionem: Si virtus Christi qua eicit daemones, virtus cui subsunt et oboediunt spiritus maligni longe aliter ac exorcistis Iudaeorum *(Lagrange)*, non est diabolica, debet esse divina, exercita „in spiritu Dei“ (12, 28) vel „in digito Dei“ (Luc. 11, 20). *„Igitur pervenit in vos Regnum Dei“* (ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. Matth. 12, 28. Luc. 11, 20), iam super vos venit, quodammodo vos praevenit (ἔφθασεν); *adest Regnum Dei,* quia virtute sua sese manifestat. Luctatur quidem regnum diaboli contra *Regnum Dei,* sed fortem (diabolum) vicit et alligavit fortior (Christus); ergo Regnum Dei adest magna sua virtute, ita ut percellat oculos videntium. Hinc peccatum irremissibile pharisaeorum, qui obstinati nolunt agnoscere veritatem atque ita blasphemant Spiritum Sanctum (12, 31 sq.).

Nihilominus pharisaei et scribae postulant nova signa vel potius *signum* messianicum (12, 38 sqq.; σημεῖον; cf. n. 97). Christus autem non negat quidem novum et praeclarum signum se eis daturum esse; sed signum non erit manifestatio et apparitio externa, qualem forte exspectant pharisaei, sed ipsius Christi mors et resurrectio a mortuis, *signum* scilicet *Ionae* prophetae. Confirmat

ergo ea, quae in refutatione sua de praesentia *Regni Dei messianici* dixerat: Regnum ipsum adest, quia adest *Messias,* qui scilicet virtute divina destruit regnum diaboli; qui porro, propheta cum sit et plus quam propheta (12, 41), etiam signo quodam maximo, quod excedit maxima prophetarum miracula, suam missionem messianicam definitive probabit.

125. *Luc. 17, 20 sqq.* — Similis quaedam interrogatio pharisaeorum refertur a Luca: „*Quando venit Regnum Dei?*" (17, 20.) Christus respondet non immediate ad hanc quaestionem temporis, sed affirmat praesentiam *Regni Dei:* „Non venit Regnum Dei cum observatione (μετὰ παρατηρήσεως, i. e. non potest velut signum aliquod caeleste observari eiusve adventus iam antea computari)... ecce enim Regnum Dei *intra vos* (ἐντὸς ὑμῶν) est" (17, 20 sq.). De sensu huius vocis non est omnibus eadem sententia. Et alii quidem (Meinertz, de la Brière, Knabenbauer, Zorell, alii) intellegunt *Regnum Dei praesens:* Iam apud vos et inter vos virtutem suam exercet, sicut Matth. 12, 28 descriptum est. — Alii autem contendunt Christum loqui de *Regno Dei interno,* i. e. in animis hominum exsistente, vel ita ut indoles interna simul cum praesenti exprimatur (Meinertz, Bartmann, alii), vel ita ut natura mere interna Regni efferatur (v. Harnack). — Sunt denique qui verba ista intellegant sensu *eschatologico:* Regnum Dei nequit observari neque tempus adventus eius computari, sed „subito erit in medio vestrum" (Rose, Wendt, Jülicher, alii)[12]. Negari vix poterit tres illas opiniones differentes posse ex ipso textu rationes sibi faventes afferre; praeferenda autem videtur sententia prima, indolem *praesentem* quae deducit ex hisce verbis Christi. In versibus sequentibus est quidem sermo de adventu Christi glorioso (17, 24), in quo quasi fulgur apparebit, ex inopinato; „secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur" (17, 30). Sed praecedet pro ipso Christo passio et mors, reprobatio ut Messiae a generatione hac (17, 25): pro discipulis vero calamitates tales venient, ut desiderent adventum Christi gloriosum, „unum diem Filii hominis" (17, 22). Itaque *Regnum Dei* iam *adest,* eius Messias reicitur, eius praecones persecutionem patientur usque ad alterum adventum Christi.

Hac quidem explicatione minime excluditur Regnum Dei esse etiam internum, semen videlicet verbi Regni in anima susceptum (cf. Matth. 13, 3 sqq.; n. 122). Ultro etiam concedi debet Iesum verbis suis reicere exspectationem „signi" pharisaeorum (n. 97 101); sed negandum videtur Christum de *sola* indole interna, vel de *sola* eschatologica, abstrahendo a praesenti, loqui.

126. Quae ex evangeliis synopticis de Regno Dei praesenti exposita sunt, eadem confirmantur verbis Christi, quae *EvIo.* continet; praeter textus supra (n. 120) iam allatos alii quidam huc spectant; et (1) quidem *bona Regni* iam adsunt in hac vita: „Gratia et veritas", secundum testimonium evangelistae (1, 17), aqua viva (4, 10 14); cibus, qui permaneat in vitam aeternam (6, 27); qui credit in eum (Filium), qui manducaverit ex pane vivo, habet vitam aeternam (6, 47 sqq.). Apostoli coniuncti sunt cum Christo sicut palmites cum vite eiusque vita (15, 1 sqq.). — (2) Condicio ingressus est *baptismus,* signum externum internae regenerationis (3, 3 sqq.). — (3) Diserte affirmatur praesentia *regni messianici* in sermone cum muliere samaritana: „Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate" (4, 23). Iam Christus est rex, licet Regnum eius non sit de hoc mundo, non est politicum scilicet (18, 36 sqq.); est religiosum, oppositum regno diaboli, principis huius mundi (14, 30; 16, 11). Sunt igitur eaedem ideae ac in evangeliis modo consideratis synopticis.

127. Nunc demum, exposita scilicet indole Regni Dei et futura-transcendentali et praesenti, plures textus, qui, si singuli considerantur, forte vario sensu intellegi possunt, admittunt explicationem vel certam vel saltem probabilem. Et primum quidem *Matth. 3, 2; 4, 17; 10, 7,* praedicatio Regni Dei „proximi" non contradicit praesentiae Regni, quatenus Messias-rex adest; hinc Marcus (1, 15; cf. Matth. 4, 17) dicit: „Impletum est tempus (statutum) et appropinquavit *Regnum Dei*", i. e. *adest.* — Petitio orationis dominicae: *„Adveniat Regnum tuum!"* (Matth. 6, 10) non excludit Regnum praesens; nam aut intellegitur de Regno Dei transcendentali, et tunc de praesenti nil dicit; aut de praesenti, tunc petit dilatationem regiminis Dei et subiectionem omnium hominum sub Dei potestate; aut de utroque simul, et quidem aptissime, quia tam arcte inter se conectuntur. — *Beatitudines* porro depingunt Regnum Dei prorsus diversum ab exspectationibus messianicis Iudaeorum; insistunt in dispositione interna animae, ut quis possit esse particeps bonorum Regni Dei. Utrum haec praeparatio sit praevia, an vero eadem constituat partem Regni Dei, quod sit praesens, fortasse ex plurimis beatitudinibus non tam clare elucet; sat clare autem ex ultima, quae agit de persecutionibus propter Christum tolerandis. — Maiore quadam difficultate premuntur textus aliqui, qui de *adventu Christi* altero agunt, tamquam mox instante. *Matth. 10, 23:* Antequam apostoli „consummare" poterunt civitates Israel, veniet Filius hominis. Adventus ille intellegitur vel gloriosus *in fine mundi* (Knabenbauer); consequens erit, ut „civitates Israel" sumantur ut Israel dispersus, qui convertetur in fine mundi; aut intellegitur de *iudicio super Ierusalem* (Schanz, K. Weiss, Merk, Lagrange, alii[13]; cf. n. 112), quod est anticipatio quaedam seu praeambulum ultimi iudicii. — *Matth. 16, 28:* „Quidam de hic stantibus . . . non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis

venientem in Regno (βασιλείᾳ) suo." Sunt qui intellegant haec verba de eversione *Ierusalem* (Knabenbauer); sunt qui cum multis exegetis, etiam antiquis, contendant esse sermonem de *transfiguratione* Christi, in qua revera apparet indutus maiestate sua regia (βασιλεία), quia est manifestatio *messianica* (Matth. 17, 1 sqq.), „Filii dilecti" Dei (Matth. 17, 5; cf. Luc. 9, 35). Accedit quod haec transfiguratio coniungitur a Matthaeo cum verbis Christi praecedentibus: „Et post dies sex ..." (Cladder). Tertia autem sententia, pure *eschatologica,* admitti nequit, quia haec Christi verba distinguuntur a praecedentibus, in quibus de adventu eius altero glorioso sermo est, tum secundum Matthaeum (16, 27), tum secundum Marcum („et dixit illis ..." 8, 38; 9, 1) et Lucam („dico autem vobis ..." 9, 27)[14]. — *Matth. 23, 36:* omnem sanguinem prophetarum venturum esse super „generationem hanc" non solum nullam praebet difficultatem, quoniam ex sequentibus patet, Christum loqui de eversione Urbis, sed etiam confirmat sententiam illam, quae considerat hoc iudicium tamquam manifestationem quandam praeviam gloriae Christi-regis. — *Matth. 26, 29 = Luc. 22, 18:* Christus in ultima coena dicit apostolis suis se non iam bibere vinum, donec illud novum bibat cum ipsis in Regno Patris, seu „donec Regnum Dei veniat" (Luc.). Quae verba intelleguntur de caelis et de gloria Christi, quae incipit pro ipso Christo cum eius morte, quae est simul redemptio mundi et iudicium „mundi" eiusque principis et omnium eius servorum. — *Matth. 26, 64.* Christus addit confessioni suae se esse Messiam et Filium Dei, verba haec: „Amodo (ἀπ' ἄρτι) videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli" (cf. Marc. 14, 62; Luc. 22, 69). Certe Christus loquitur de adventu suo altero, glorioso, in virtute divina et maiestate; sed non videtur adventus restringi ad hanc ultimam manifestationem in fine mundi, quin potius „amodo" (i. e. abhinc) inimici Christi eum non iam videbunt nisi ut regem et iudicem, qui potestatem suam ostendet tum fundatione Regni sui, Ecclesiae. tum poena, qua inimicos suos afficiet, Urbem eorum penitus evertens.

Et haec quidem sunt, quae maiores difficultates movere solent. Verum sane est nos historice procedentes non posse omnium verborum Christi sensum *certo* determinare; sufficit autem, ut, postquam de indole *praesenti* Regni Dei certo constat, textus ambiguos ita interpretari possimus, ut neque sensus eorum obvius pervertatur, neque intentio Christi alioquin clare manifestata deseratur.

Scholion 1. De testimonio primaevae Ecclesiae, imprimis Pauli.

128. Ecclesia primitiva, cuius testis nobis sit Paulus, certissime credidit et ardentissime desideravit *adventum* Christi *secundum.* „Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet ..." (Act. 1, 11). Sed eadem Ecclesia, atque idem Paulus cum ceteris hagiographis omnibus, persuasum habuit *non* in hoc altero adventu Christi *Regnum* eius demum *incipere*, sed Christum ut Messiam in terris degisse, opus messianicum, redemptionem scilicet hominum, perfecisse, *Regnum* suum, Ecclesiam nempe, constituisse.

cuius membra sunt christiani, qui nunc iam *bonis* Regni Dei fruuntur, licet non plene et perfecte. Haec primae Ecclesiae persuasio proinde est praeclarum argumentum indirectum, quo confirmatur interpretatio verborum Christi, quae in assertione ipsa proposita est.

Ex altera parte etiam elucet quaestionem eschatologicam, quae movetur circa *exspectationem parusiae* Christi, aliam prorsus esse ac illam, quam solvimus in hac assertione. Quaeritur videlicet, num primi christiani *pro certo* habuerint *Christum mox reversurum* esse in sua gloria ad iudicium, ita ut ipsi adhuc *viderent adventum* eius; de praesentia autem Regni Dei messianici nullum ipsis dubium fuit. Hinc distinguendum est inter eschatologismum *extremum* et *moderatum* quendam: *prior* contendit secundum Christi intentionem et exspectationem *Regnum Dei* esse mere *transcendentale; alter* vero asserit apostolos et primam Ecclesiam exspectasse hunc *adventum* Christi gloriosum *ut proxime instantem* (de quo cf. *Ass. 25,* n. 694 sqq.); Regnum vero praesens de se non negat. Eschatologistae quidem utrumque ita inter se coniungunt, ut exspectationem parusiae apostolorum interpretentur tamquam sequelam praedicationis eschatologicae Christi; hanc autem interpretationem fieri non posse evincunt omnia documenta primae Ecclesiae.

129. Regnum Dei, seu novam oeconomiam salutis, in oppositione ad V^{us} T^{um}, *adesse,* idque *universale* pro omnibus gentibus, docet Paulus cum aliis sacris auctoribus quam clarissime (cf. Scholia *Ass. 7* et *8;* n. 196 sq. et 227 sqq.).

Hoc autem *Regnum Dei initium* sumpsit *morte* et *resurrectione Iesu Christi.* Formula illa doctrinalis, quam Paulus Corinthiis in memoriam revocat, continet haec: „Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris . . . et quia sepultus est et quia resurrexit tertia die . . .“ (1 Cor. 15, 3 sqq.; cf. Gal. 1, 4). In epistula ad Romanos praedicat *„regnum“* gratiae, „per iustitiam in vitam aeternam, per Iesum Christum Dominum nostrum“ (5, 21); haec autem vita iam adest, per *baptismum* singulis communicata. „Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte eius baptizati sumus“ (6, 3; cf. Eph. 2, 5 sqq.; Col. 2, 12), atque participes facti iustitiae Dei per virtutem resurrectionis Christi et societatem passionum eius (Phil. 3, 8 sqq.).

Bona igitur *Regni Dei* iam adsunt, eaque uberrima. Praeter remissionem peccatorum data est plena renovatio interna hominis, ita ut sit „nova creatura“ (2 Cor. 5, 17. Gal. 6, 15; cf. Col. 3, 9), per filiationem nimirum Dei (Rom. 8, 12 sqq. Eph. 1, 3 sqq.) et

Spiritum Sanctum, qui inhabitat in christianis tamquam in suo templo (1 Cor. 3, 16; cf. Eph. 4, 1 sqq.), qui etiam efficit fructus in anima (Gal. 5, 22 sq.), inter quos sunt charismata omnis generis (1 Cor. 12, 1 sqq. Eph. 4, 11. 1 Thess. 5, 19 sqq.). „Gratias . . . Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in *Regnum filii* dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum" (Col. 1, 12—14); haec Pauli verba assertionem nostram fere formaliter continent.

Plena quidem horum bonorum *fruitio* in hac vita *nondum habetur;* omnia, quae christiani accipiunt, sunt „pignus" quoddam (2 Cor. 1, 22; 5, 5) seu „primitiae" quaedam Spiritus (Rom. 8, 23); adhuc „gemimus adoptionem (perfectam) filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri" (Rom. 8, 23; cf. Eph. 4, 30), quod Christus „vivificabit . . . propter inhabitantem Spiritum eius in nobis" (Rom. 8, 11). Hinc sumus „heredes secundum spem vitae aeternae" (Tit. 3, 7), in qua „evacuabitur, quod ex parte est" (1 Cor. 13, 10), quia „perfectum" iam aderit.

Christus ipse *iam regnat;* surrexit enim ex mortuis, „primitiae dormientium" (1 Cor. 15, 20); in ipso autem omnes fideles vivificabuntur. „Unusquisque autem in suo ordine: primitiae Christus; deinde ii, qui sunt Christi, in adventu suo, deinde finis, cum tradiderit *Regnum* Deo et Patri. . . . Oportet autem eum *regnare,* donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors" (15, 23—26). Postquam autem Regnum Deo Patri tradiderit, „Deus (est) omnia in omnibus", i. e. *Regnum Dei* perfectum et omni ex parte absolutum.

Alii scriptores sacri eandem produnt persuasionem: 1 Petri 1, 3 23; 2, 2 24. 2 Petri 1, 4 9. 1 Io. passim. Iac. 1, 21; 2, 5 8; 5, 8 sq.

Schol. 2. **De usu vocis** βασιλεία τοῦ Θεοῦ **in scriptis primae Ecclesiae.**

130. Vox *Regni Dei* vel *Regni* non quidem deest in scriptis extraevangelicis et aliis documentis primae Ecclesiae, at raro usu venit ad designandum Regnum Dei *praesens;* semper fere significat Regnum Dei *transcendentale.* Sicut expressio correspondens *„Filii hominis"* extra evangelia non occurrit (exc. Act. 7, 56. Apoc. 1, 13), licet Christus se ipse ita nominaverit, sed eius loco *Christus, Dominus, Filius Dei,* ita loco vocis *Regni Dei* adhibetur terminus clarior et ab ipso Christo pro Regno Dei praesenti applicatus: *Ecclesia* (cf. *Ass. 12;* n. 336 sqq.). Neque tamen desunt textus, in quibus *Regnum Dei* obvenit sensu praesenti, uti ex sequenti conspectu apparet.

Paulus adhibet hanc vocem locis sequentibus: 1 Thess. 2, 12. 2 Thess. 1, 5. 1 Cor. 4, 20; 6, 9 sq.; 15, 24 50. Gal. 5, 21. Rom. 14, 17. Eph. 5, 5. Col. 1, 13; 4, 11. 2 Tim. 2, 12; 4, 1 11 18. Hebr. (1, 8 cit.) 12, 28. — Ex quibus locis plurimi intellegendi sunt de Regno Dei *transcendentali,* aliqui autem de Regno *praesenti:* 1 Cor. 4, 20. Col. 1, 13; 4, 11 [15].

Ex epistulis *catholicis:* Iac. 2, 5 8 (sensu potius praesenti). 1 Petri 2, 9 (de Regno praesenti). 2 Petri 1, 11 (de futuro).

Act. 1, 3 (1, 6: Israel); 8, 12; 14, 22 (de Regno futuro); 19, 8; 20, 25; 28, 23 31 (fere: evangelium). Lucas vocem certe non adhibet sensu exclusive transcendentali.

Ioannes utitur expressione hac raro; in *Ev.* 3, 3 5; 18, 36 (sensu praesenti); saepius in Apoc. 1, 6 9; 11, 15; 12, 10; 17, 14; 19, 16; 20, 4, sensu et praesenti et futuro resp. transcendentali.

131. In scriptis *Patrum apostolicorum* qui nominantur idem fere usus observatur; rarus scilicet et sensu ut plurimum transcendentali. Et *Didache* quidem (8, 2; 9, 4; 10, 5) vocem adhibet sensu transcendentali; epistula *Barnabae* (4, 13; 7, 11; 8, 5 sq.; 21, 1) sensu praesenti et futuro; epistula *I Clementis* (42, 3; 50, 3; 61, 2) sensu potius transcendentali; eodem modo epistula *II Clementis* (5, 5; 6, 9; 9, 6; 11, 7; 12, 1 sq.; 17, 5), epistulae *Ignatii* (Eph. 16, 1 [19, 3?]. Philad. 3, 3) et *Polycarpi* (Phil. 5, 2 sq.; 2, 3), epistula ad *Diognetum* (7, 4; 9, 1; 10, 2). In *Martyrio Polycarpi* (9, 3; 17, 3; 20, 2; 22, 1 3) et in *Pastore Hermae* (Sim. IX. 12, 3 sqq.; 13, 2; 15, 2; 16, 2 sqq.; 20, 2 sq.; 29, 2; 31, 2: omnes textus in sola Similitudine nona, omnesque fere citati) vox *Regni* habet fere sensum transcendentalem; *rex* autem dicitur Christus etiam christianorum (Mart. Pol. 9, 3; 17, 3); ex quo elucere videtur tunc temporis *Regnum Dei* iam non intellegi nisi de *transcendentali;* Regnum Dei vero praesens vocatur Ecclesia.

132. NOTAE. — **1** *N. Messel*,* Die Einheitlichkeit der jüd. Eschatologie (Beihefte zur Zeitschr. für die alttest. Wiss. XXX, Gießen 1915). — **2** Ulteriorem bibliographiam v. *M. Meinertz,* Jesus und die Heidenmission (Neutest. Abhandl. I, 1./2. Heft, Münster 1908), p. 52; *K. Weiß,* Exegetisches zur Irrtumslosigkeit und Eschatologie Jesu Christi (ebd. V, 4./5. Heft, Münster 1916), p. 1 sqq.; *H. Felder,* Jesus Christus. Bd. I: Das Bewußtsein Jesu ([1]1911) 208 sqq.; *L.-Cl. Fillion,* Les étapes du rationalisme (Paris 1911) 275 sqq. — Ex protestantibus: *A. Schweitzer*,* Gesch. der Leben-Jesu-Forschung (Editio altera operis: Von Reimarus zu Wrede), Tübingen 1913. — **3** *W. Baldensperger*,* Das Selbstbewußtsein Jesu im Lichte der messian. Hoffnungen seiner Zeit. Straßburg 1892 ([3]1903); *I. Weiß*,* Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes, [2]Göttingen 1900; *A. Schweitzer*,* Das Abendmahl im Zusammenhang mit dem Leben Jesu und der Geschichte des Urchristentums. II: Das Messianitäts- und Leidens-

geheimnis, Tübingen u. Leipzig 1901; *idem,* Gesch. der Leben-Jesu-Forschung, Tübingen 1913. — Ex modernistis: *I. Schnitzer**, I. Hat Jesus das Papsttum gestiftet? II. Das Papsttum eine Stiftung Jesu? Augsburg 1910; *A. Loisy**, L'évangile et l'église, Paris. 1902, de quo cf. *Y. de la Brière,* artic. „Église" in Dict. apolog. I 1222 sqq., et *Schweitzer**, Gesch. der Leben-Jesu-Forschung 567 sqq. *I. Weiss** (l. c.) distinguit tres „personas" in Christo (cf. p. 53 sqq.): normalem scilicet, quae congaudet cum natura, infantibus (p. 135 144); pessimistam, quae videt iudicium Dei imminens (p. 135 145); propheticam, quae videt Regnum Dei iam velut praesens eiusque efficaciam (p. 90 95). *A. Schweitzer** autem describit Christi personam tamquam unam, quae tamen sit „vulcanica", aliquando erumpens vi plane illimitata („die vulkanische Natur eines unermeßlichen Selbstbewußtseins": p. 391); inde facile permiscentur in evangeliis imagines Christi diversi plane generis („das chaotische Durcheinander in den Berichten"). — **4** *G. Dalman**, Die Worte Jesu I 120 sqq.; *N. Messel**, Die Einheitlichkeit der jüd. Eschatologie 44 sqq.; *M.-J. Lagrange,* Le Messianisme 162 sqq.; *F. Zorell,* LG s. v. αἰών. — **5** Alii textus: Luc. 2, 49 (Duodecennis in templo) 12, 49; 14, 26 sq.; Matth. 5, 29 32; 10, 37 sq.; 19, 12 21. Cf. *H. Felder,* Jesus Christus II (1914) 1 sqq.; *Ph. Kneib,* Handb. der Apologetik (Paderborn 1912) 485 sqq. — **6** Cf. e. g. *Y. de la Brière* artic. „Église" in Dict. apolog. I 1230 sqq.; *K. Weiss* l. c. et *Meinertz* l. c. in nota 2; *I. Frings* in Katholik XCVII (1917 I) 183 sqq., alii. — Ex protestantibus *conservativis* e. g. *E. Haupt**, Die eschatolog. Aussagen Jesu in den synopt. Evangelien, Berlin 1895; *W. Lütgert**, Das Reich Gottes nach den synopt. Evangelien, Gütersloh 1895. — E *liberalibus* nominare sufficit *Wellhausen**, *Harnack**, *H. I. Holtzmann**, *Jülicher**, *Weinel**, *Bousset**, *Wernle**, alios, quos recenset *Schweitzer** (Gesch. der Leben-Jesu-Forschung 236 sqq. 587 sqq.); de apocalypsi in religione christiana cf. *H. Weinel** in *E. Hennecke**, Neutest. Apokr. (²1924) 290 sqq. — **7** *I. Knabenbauer,* Comm. in Evang. sec. Matth. II³ 310 sqq.; cf. autem additamentum ad hunc locum, ab editore *A. Merk* adiectum II³ 580; *M.-J. Lagrange,* Rev. Bibl. 1906, 328 sqq.; *idem,* Évangile selon S. Matthieu (1923) 454 sqq., ubi sententiam priorem non mediocriter modificat: *M. Meinertz,* Jesus und die Heidenmission 151 sqq.; *Y. de la Brière* s. v. „Église" in Dict. apolog. I 1234; *I. Rohr,* Die Geheime Offenbarung und die Zukunftserwartung des Urchristentums (Bibl. Zeitfragen IV, 5. Heft [Münster 1911], 36); *H. I. Cladder,* Als die Zeit erfüllt war (²/³1922) 219 sqq.; *K. Weiss,* Exegetisches 107. — **8** De quaestionibus criticis, quae circa parabolas moventur, cf. *A. Merk* in Comm. in Ev. Matthaei I³ 623 sq. — **9** *H. I. Cladder,* Als die Zeit erfüllt war (²/³1922) 121 sqq.; *idem,* Unsere Evangelien 56. — **10** *I. Knabenbauer,* Comm. in Evang. sec. Matth. I³ 472 sqq.; cum additamento *A. Merk* I³ 620 sq. — **11** Alii aliter vocem βιάζεται intellegunt, scilicet vel de impetu, quo Regnum Dei prorumpit (*Schegg, Grimm, Dausch, Zahn**), vel de conatu Iudaeorum, Regnum Dei etiam contra Dei voluntatem adducendi (*B. Weiss**, *I. Weiss**); cf. *A. Merk,* Comm. in Ev. sec. Matth. I³ 621. Sed hae explicationes non videntur consonare cum condicionibus historicis, quae de facto vigebant. — Versiones deinde antiquae omnes sicut Patres intellegunt oppugnationem Regni Dei infestam. Cf. *F. Zorell,* LG s. v. βιάζω. — **12** *M. Meinertz,* Jesus und die Heidenmission (54), contendit hunc textum esse locum classicum, qui testetur indolem Regni Dei praesentem; *Y. de la Brière,* Dict. apolog. I 1228 sqq.; *I. Knabenbauer,* Comm. in EvLuc. ad locum; *Zorell,* LG s. v. ἐντός. *A. Harnack** in opere suo „Wesen des Christentums" (p. 35) ab hoc textu tamquam fundamentali exorditur. Cf. *G. Dalman**, Die Worte Jesu 116 sqq.; *I. Weiss**, Predigt Jesu vom Reiche Gottes 85 sq., censet hunc textum esse plane obscurum. — **13** *I. Knabenbauer,* Comm. in Ev. sec. Matth. I³ 455 sqq.; cf. additamentum editoris *A. Merk* I³ 620; *K. Weiss,* Exegetisches

184 sqq.; *M.-J. Lagrange,* Évangile selon S. Matthieu 204 sqq. — **14** *I. Knabenbauer* l. c. II[3] 80 sqq.; *H. I. Cladder,* Als die Zeit erfüllt war ([2/3] 1922) 161 sqq. — **15** *F. Prat,* Théologie de St-Paul II ([7] 1923) 367 sqq.

Quaestio 2. De indole interna et externa Regni Dei.

133. Si *Regnum Dei* exsistit secundum Christi praedicationem iam in hac vita, inquisitio nostra, ulterius progrediens, eius formam indagare potest et debet. Omnes quidem fontes Iudaeorum vel sacri vel extracanonici in eo conveniunt, quod describunt *Regnum Dei futurum* seu *messianicum* tamquam organisationem seu societatem et communitatem quandam, quae se habeat ad instar alicuius regni terreni, cuius rex nimirum — Unctus-Messias est rex populi Dei — erit Messias. Regnum igitur Dei videtur intellegi non solum *internum,* quatenus eius bona sunt imprimis interna, sed etiam *externum,* quatenus haec bona eis tantum communicantur, qui sunt membra alicuius societatis humanae, religiosae, Regni nempe Dei. Decisio tamen huius quaestionis petenda est ab ipso Christo eiusque voluntate.

Sed de hac Christi voluntate *diversae* sunt *sententiae.* Et alii quidem contendunt Christum voluisse fundare regnum suum messianicum tamquam veram societatem religiosam, cuius membra ut talia vinculis externis et visibilibus cognosci queant, maxime vinculo eiusdem cultus (externi) et eiusdem doctrinae, et ab auctoritate quadam visibili regantur. Hanc sententiam tuentur *catholici* et protestantes *conservativi,* qui proinde in eo *consentiunt,* quod Christus voluerit asseclas suos formare *aliquam societatem* externam; in ulteriore autem determinatione huius societatis eiusque formae quam longissime inter se *distant. Catholici* enim asserunt Christum etiam *formam* essentialem huius societatis circumscripsisse, videlicet hierarchicam; *protestantes* vero contendunt formam socialem relictam esse ipsis christianis determinandam; propugnant ergo organisationem, quae democratica vocatur. Sed de hac quaestione postea agendum erit in *Assertione 11* (n. 313 sqq.). Interim autem, in hac assertione, de sola indole externa Regni Dei, nondum de eius forma agimus.

Alii vero, protestantes scilicet *liberales,* negant Christum instituisse ullam societatem externam religiosam; sed intellexisse *Regnum Dei* ut vitam animae novam, moralem et religiosam. Fundamentum huius sententiae est *sensismus* religiosus, qui, sequens Schleiermacher-Ritschl, actus religiosos totamque religionem attribuit sensui religioso tamquam facultati speciali et independenti. Ex hoc iam sensu omnis religio, omnis etiam revelatio, quae videlicet non est nisi sensus religiosus in conscientia apparens, atque Deus ipse, etsi confusius, sese in eodem religioso sensu manifestans[1]. Tali modo etiam Iesus Christus, ceteroquin merus homo secundum rationalistas et modernistas (*D* 2027 sqq.), pervenit ad Deum eiusque cognitionem perfectiorem. Cum enim eius sensus religiosus esset perfectius evolutus quam ceterorum hominum („classicum religionis", „in-

genium", vel „symbolum religiosum" eum vocare non verentur), hinc aliis dux esse potuit et potest ad experientias religiosas puriores et perfectiores, dux simul et exemplar; exemplo enim suo potissimum docet. „Illa religio, eaque sola, est obiectum confessionis, quam quis ipse expertus est", ait *Harnack*[2], qui in libro suo *Wesen des Christentums* ideam Regni Dei mere interni potissimum propugnavit. Christus autem, sicut ipse expertus est Dei misericordiam et dilectionem paternam, ita docet homines, Deum ut patrem experiri et deinde agnoscere; ipse autem Iesus Christus nullatenus est obiectum suae praedicationis, sed mera „via ad Patrem"[3]. Hinc Regnum Dei a Christo praedicatum est „regimen Dei sancti in singulis animis, est ipse Deus cum virtute sua . . ."; agitur „de (sola) relatione inter Deum et animam, inter animam et Deum suum" (p. 36). „Habet (Regnum Dei) naturam potentiae spiritualis, virtutis scilicet cuiusdam, quae immergitur in intimum hominem atque non capitur nisi ab intimo homine" (39). Praedicatio autem Christi de Regno haec tria continet: (1) Regnum Dei esse aliquid supermundanum, donum, quod datum est desuper; (2) donum illud est mere religiosum, relatio nempe intima cum Deo vivo; (3) hoc *Regnum* est experientia religiosa longe gravissima et prorsus definitiva, quae proinde dirigere debet totam hominis vitam (p. 40).

Et his quidem secundum *Harnack* doctrina Christi circumscribitur; ipse quidem fuit exemplum et magister religiosus, at societatem organisatam non instituit (p. 96). Quid autem de organisationibus censendum sit, quae etiam inter protestantes, sive lutheranos sive calvinistas sive alias denominationes, inde ab initio ortae sunt, *Harnack* exprimit negative, quatenus illas considerat tamquam imitationes Ecclesiae catholicae (p. 184: cf. p. 179 sq.); positive autem tenet haec: „Protestantismus persuasum habet evangelium esse tam simplex et divinum et hinc vere humanum, ut quam certissime cognoscatur, si libertas ipsi conceditur; ut porro in singulis hominum animis necessario creet essentialiter easdem experientias et persuasiones" (p. 172)[4].

Quodsi in effatis Christi verba occurrunt de societate asseclarum eius, haec ut secundarium quid, ut influxus aetatis et gentis Iudaeorum in mentem Christi, pensanda et interpretanda sunt. Ita *Sabatier*[5].

Inquisitio nostra utramque indolem Regni Dei examinabit, et internam et externam; internam non negabit assertio nostra, immo ut primariam agnoscet, at simul contendit Regnum Dei secundum ipsius Christi voluntatem esse simul externum.

ASSERTIO 5. Secundum evangelia *Regnum Dei* est quidem essentialiter et primarie internum, quatenus praebet dona praecipue interna atque postulat subiectionem sub voluntate Dei; simul autem est externum, i. e. societas aliqua religiosa externa et visibilis.

134. *Internum* dicitur Regnum Dei, quatenus *bona,* quae Deus hominibus, ad Regnum suum venientibus et pertinentibus, praebet, sunt imprimis interna, quae hominis animam perficiunt, ut

remissio peccatorum, infusio gratiae sanctificantis, alia; simulque *onera,* quae cives Regni in se suscipiunt, spectant praecipue ad hominis animam, voluntatis nempe subiectionem. Sub utraque ratione est *essentialiter* internum; *primarie* autem internum est, quatenus externa organisatio se habet ut medium, quo Deus, respiciens indolem socialem hominis, voluit dona sua interna sociali modo hominibus communicare.

Hinc factum est, ut in Regno Dei novo sint quidem gratiae internae, sed simul media gratiae externa (sacrificium et sacramenta); postulatur quidem subiectio voluntatis sub Deo, sed simul sub auctoritate humana a Deo constituta, etiam in rebus ad Regnum Dei quae pertinent; omnes cives Regni Dei secundum voluntatem Christi simul sunt membra alicuius societatis religiosae externae.

Prior pars, Regnum Dei esse *internum,* hac in thesi absolvitur; neque ullam fere difficultatem patitur, nisi quis sicut eschatologistae omnem praesentiam Regni Dei neget; *alteram* vero partem hac in assertione summatim tantummodo probabimus, quia de indole *externa,* et quidem hierarchica, Regni Dei postea, in altero tractatu (De constitutione Ecclesiae) penitus agendum erit; huic igitur assertioni sufficit probatio *facti,* Iesum considerasse *Regnum Dei* ut *externum.*

I. De indole Regni Dei interna.

1. De Regno Dei gratioso.

135. *Regnum Dei* eatenus dicitur *gratiosum,* quatenus est totum quantum gratia Dei, quae tamen ex Dei dispositione positiva cooperationem hominis exigit (Regnum Dei *ethicum*); complectitur proinde omnes gratias, donaque omnia, quae spectant ad oeconomiam salutis novae, quam Christus instituit. Hinc definiri potest: Complexus omnium bonorum, quae Deus hominibus dare decrevit in ordine ad hanc oeconomiam et finem supernaturalem. Supernaturalem hunc ordinem vocamus, quia transcendit et excedit ordinem naturalem; fundatur enim in Dei voluntate positiva et influxu immediato, qui superat naturae vires et exigentiam. Ulteriorem explicationem rationis supernaturalitatis transmittimus ad tractatus dogmaticos.

Horum quidem bonorum possessio et *fruitio plena* et *perfecta* habetur demum in altera vita, ubi Deus suis fidelibus servis tradet „Regnum paratum a constitutione mundi" (Matth. 25, 34); quoad *essentiam* autem eadem adsunt iam in hac vita. De ipsis valet, quae dicit Christus: „Quaerite primum Regnum (Dei) eiusque iustitiam, et haec omnia (bona nimirum naturalia) adicientur

vobis!" (6, 33.) Quaenam vero sint haec bona Regni Dei iam videamus, ita quidem ut seorsim consideremus evangelia synoptica et evangelium secundum Ioannem.

a) Evangelia *synoptica*.

136. a) *Regnum Dei* utpote *messianicum* iam in conceptu suo includit rationem boni supereffluentis et superabundantis; est etenim ipsa *salus* seu ipsa salvatio, toties in libris V^{is} T^{i} praedicta et praedicata. Eodem porro nomine bonum Regni Dei vocatur a Christo. „Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in caelis est (ait Iesus), ut pereat unus de pusillis istis" (Matth. 18, 14). Hinc ipse Christus venit in mundum, ut minister et servus quodammodo hominum factus daret animam suam, *redemptionem* pro multis (20, 28), id quod praestitit in sacrificio crucis (26, 28). *Valorem* huius salutis exponunt parabolae parallelae de ove et drachma perdita (Luc. 15, 3 sqq.) et de filio prodigo (15, 11 sqq.), verba deinde Christi ad Zachaeum „Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat" (Luc. 19, 10). Hinc salus et Regnum Dei comparantur semini a Deo animae inditum (Matth. 13, 3 sqq. Marc. 4, 1 sqq. Luc. 8, 4 sqq.), quod ultro (αὐτομάτη) germinat, crescit, fructificat, inscio ipso agricola (Marc. 4, 26 sqq.); simile porro dicitur thesauro invento et margaritae quaesitae (Matth. 13, 44 sqq.). Hinc denique et *beatitudines* (Matth. 5, 3 sqq. Luc. 6, 20 sqq.) et *petitiones* orationis ad Deum Patrem, quam ipse Christus suos docet (Matth. 6, 9 sqq. Luc. 11, 2 sqq.); est enim Regnum Dei *donum,* dignum Deo in omnes divite misericordia, vere beans hominem, hinc autem simul petendum humili supplicatione.

137. b) *Speciatim* efferuntur inter bona Regni Dei *remissio peccatorum* (Matth. 9, 1 sqq. Marc. 2, 1 sqq. Luc. 5, 17 sqq.: paralyticus sanatur, ut hoc miraculo constet de potestate Iesu remittendi peccata. Luc. 7, 47: peccatrici remittuntur peccata multa. Matth. 9, 9. Luc. 15, 1; 19, 10: Christus vocat peccatores et publicanos, qui cum meretricibus praecedent pharisaeos in Regnum Dei: Matth. 21, 31). Haec autem remissio est coniuncta cum *vita* (Matth. 7, 14), de qua potissimum in *EvIo.* est sermo. Accedunt *doctrina* et *veritas revelata* a Patre et Filio (Matth. 11, 25 sqq.), mysteria Regni, quae multi prophetae et iusti cupierunt audire et non audierunt (13, 17); hinc vocatur doctrina Christi *evangelium* (Matth. 4, 22 sq.; 9, 35; 24, 14. Marc. 8, 35; 10, 29; et alibi), nuntius scilicet bonus et laetificans. Neque desunt dona *charismatica,* ut gratia curationum, quae Christus apostolis suis tempore vitae tribuit (Matth. 10, 1. Marc. 3, 15; 6, 7. Luk. 9, 1 sq.)

et promittit pro tempore futuro (Matth. 16, 19: Ecclesiae indefectibilitatem; cf. 28, 20. Luc. 24, 49. Act. 1, 4 sqq.).

b) Evangelium *Ioannis*.

138. *Regnum Dei* vocatur a Christo „*donum Dei*" (4, 10), quia est *gratia* (1, 16; cf. 6, 65), *salus* autem *hominis;* misit enim Deus Filium suum in mundum, „ut salvetur mundus per ipsum" (3, 17), quatenus Christus est „agnus Dei, tollens peccata mundi" (1, 29: verba Baptistae), qui apostolis tradit potestatem dimittendi peccata (20, 23). Simul autem Christus est *vita* hominum, qui praebet aquam vitae (4, 10 sqq.), panem vivum et vitalem (6, 27 sqq.), ut vitam habeant et abundantius habeant (10, 10; cf. 7, 38; 8, 12). Christus ut vitis vitam iugiter indit palmitibus (15, 1 sqq.). Hanc vitam homines accipiunt nova generatione, qua generantur in *filios Dei* (3, 3 5; cf. 1, 12), in quibus Deus inhabitat (14, 23), quos Spiritus Sanctus ungit, sanctificat, docet (3, 5; 7, 39; 14, 17; 15, 26; 16, 7 sqq.; 20, 22) in vitam aeternam (3, 16 et passim). Inde pax et gaudium, quae Christus suis promittit (14, 27; 16, 24).

Evangelium igitur Ioannis dona interna et supernaturalia non alia describit, quam evangelia synoptica.

2. De Regno Dei ethico.

139. Donum illud divinum salutis et gratiae, quod *Regnum Dei* vocatur, datur quidem hominibus a Deo libere; sed ex eadem libera voluntate Dei provenit, quod (ab adultis saltem) suscipi nequeat nisi libera hominis *cooperatione,* acceptatione nimirum condicionum quas Deus statuit, voluntaria animi subiectione sub hac Dei voluntate. Sub hoc respectu vocamus Regnum Dei *ethicum* [6].

Hanc hominum cooperationem requiri probatione non indiget, cum plurimi textus allati, qui ostendunt indolem gratiosam Regni Dei, simul postulent subiectionem hominis sub Dei voluntate et asserant necessitatem dispositionis et acceptationis voluntariae (cf. Luc. 14, 15 sqq., parabolam de nuptiis). *Sermo* Christi *montanus* qui dicitur totus fere in eo est, ut inculcet Regnum Dei ethicum [7].

140. *Thema* praedicationis tum Baptistae (Matth. 3, 2; cf. Marc. 1, 4; Luc. 3, 3) tum Iesu (Matth. 4, 17. Marc. 1, 15) est adventus Regni Dei, cum exhortatione „μετανοεῖτε, resipiscite! paenitentiam agite!" Haec paenitentia praerequiritur, ut quis possit ingredi Regnum Dei.

Beatitudines deinde (Matth. 5, 3 sqq. Luc. 6, 20 sqq.) *dispositionem* hanc ulterius describunt; et primi quidem quattuor (sec. *EvMatth.*)

agunt de dispositione quadam *negativa:* de paupertate nimirum, qua opprimuntur homines, ita ut ad altiora anhelent; de patientia, mansuetudine, humilitate, quae etiam in rebus adversis tota se Deo submittit; de luctu ob bona amissa, qui consolationem suam sperat a Deo; de fame et siti iustitiae, non solum terrenae (cf. Luc. 6, 21), sed praecipue ipsius Dei et donorum divinorum; hoc sensu intellecta haec quarta beatitudo complectitur priores tres. Sequentes tres beatitudines deinde *positivam* potius dispositionem exhibent: misericordiam erga homines, animi puritatem, studium et zelum pacis inter homines. Ultima denique beatitudo prophetice quasi describens sortem illorum, qui suscipiunt et praedicant Regnum Dei, beatos dicit, qui persecutionem propter Regnum Dei, i. e. propter Christum (Matth. 5, 11) ferre debent; Regnum igitur Dei et sequela Christi summa sacrificia postulant ab homine.

Haec principia fundamentalia iam *explicantur. Generatim* valet: „Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in Regnum caelorum" (5, 20). (1) *Concessiones* Israel aliquando datae *revocantur.* Non actio externa tantum, sed intentio mentis interna respici debet (5, 21 sqq.: perficitur lex vetus). „Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est!" (5, 48) — (2) Tribus deinde exemplis *novus spiritus* et *perfectus* dilucidatur; dare eleemosynas, orare, ieiunare sunt quidem opera bona externa, at valor eorum pendet imprimis ab intentione, qua Deo praestantur (6, 1—18). — (3) Quodsi requiritur subiectio sub Deo et devotio in Deum *extensive summa,* quae nimirum pervadat omnia hominum opera bona, eadem *intensive summa* sit oportet: „Quaerite primum Regnum Dei!" (6, 33.) Ipsum est thesaurus unicus (6, 19 sqq.). Ex altera parte nemo potest duobus dominis servire (6, 24); ergo totum servitium Deo praestandum est, sine ulla sollicitudine, ne propterea vitae necessaria Dei servis aliquando desint: „Haec omnia adicientur vobis!" (6, 33.) Hominis vero est, intrare per portam angustam (7, 13 sq.), facere quod in se est, non verbis tantum, sed opere (7, 21 sqq.); tunc fundavit domum suam super petram firmam (7, 24 sqq.).

Regnum igitur Dei eiusque ingressus atque possessio *postulat omnia* ab homine, usque ad sacrificium propriae vitae (Matth. 10, 24 34 39; 16, 24 sqq. Marc. 8, 34 sqq. Luc. 9, 23 sqq.; 12, 49 sqq.; 14, 26 sq.). Oportet asseclam Christi non solum proprium oculum, qui ei scandalo sit, eruere, non solum amicos et cognatos, ipsum patrem et ipsam matrem relinquere, si opus fuerit propter Iesum, sed seipsum, propriam vitam. Immo paratus esse debet, Christum sequi in morte turpissima, crucis nimirum: „Si quis vult me sequi,

deneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me; qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit eam . . . salvam faciet eam" (Marc. 8, 34 sq.).

Ex relatione modo descripta ad Deum derivatur *relatio ad ceteros homines,* qui secundum Christi expressionem sunt „proximi" (cf. imprimis Luc. 10, 29 sqq.: parabola de Samaritano misericordi, quae respondet quaestioni: „quis est proximus meus?"). Quia omnes homines sunt filii Patris caelestis, hinc omnes diligendi. Hinc ius talionis tollitur (Matth. 5, 38 sqq.); hinc in ipsa oratione dominica venia quidem Dei imploratur, sed sub condicione, ut ipse orans condonet suis debitoribus humanis (6, 12; cf. 14 sq.). Ulterius idem explicatur in parabola de servo nequam (18, 21 sqq.). Clarissime autem caritas eiusque necessitas apparet in iudicio ultimo, in quo est norma, secundum quam Christus iudicabit (25, 40 45).

141. Neque haec intentio et contentio summa sufficit spiritui novo, quem Christus in Regno Dei vult regnare; sublimia quidem et ardua stricte postulantur ob omnibus, qui velint esse cives Regni Dei; immo unusquisque paratus esse debet, ut animam suam ponat pro Christo; alioquin „non est me dignus!" Sed in ipsa hac sequela Christi alii et alii sunt gradus dilectionis et zeli, alia et alia media, quibus caritas Christi uti possit. „Si *vis* perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me!" (Matth. 19, 21.) Haec forma sequelae est *consilii,* non strictae obligationis. Idem valet de *eunuchis,* qui sunt continentes propter Regnum Dei; „qui potest capere, capiat!" (19, 12). Perfectio quidem christiana omnibus eadem est, sequela nimirum Christi, imitatio perfectionis Patris caelestis (5, 48); sed, cum sit terminus laboris et intentionis, quae sunt alia in aliis hominibus, hinc media alia ab aliis, suggerente gratia Dei, adhibentur, quibus huic termino altissimo approximent.

142. Secundum *evangelium Ioannis* Christus requirit *fidem*[8], quae tribuenda est missioni suae et dignitati suae tum messianicae tum divinae. Finis primi miraculi, in Cana patrati, erat fides discipulorum: „Manifestavit (Iesus) gloriam suam (cf. 1, 14), et crediderunt in eum discipuli sui" (2, 11). Haec fides postulatur ad salutem: „ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam" (3, 15); „qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum" (3, 36; verba Baptistae?). Idem vocabulum *credere* (πιστεύειν) aliquando latius sumitur et significat fere *sequi* Iesum: „Omnes credent in eum"

(11, 48) i. e. sequentur eum, aiunt membra synedrii. Hinc est idem ac *„venire ad Iesum“*, ut Christus dicit in sermone eucharistico (6, 65); abeunt autem multi ex eius discipulis, quia verbis Christi non credunt (6, 66 sqq.), cum tamen Christus sit „lux mundi; qui *sequitur* me, non ambulat in tenebris“ (8, 12). *Peccatum* proinde maximum Iudaeorum est hoc, quod „non crediderunt in me“ (16, 9).

Discipuli autem Christi ut tales conservant et *tenent verbum* eius (8, 51), „manent in verbo“ eius (8, 31), suscipiunt verba eius (12, 48); et *mandata* eius *servant* (τὰς ἐντολάς: 13, 34; 14, 15 21; 15, 10 12).

Sed haec sequela Christi est *impletio voluntatis Patris* (14, 9 24; 15, 10 15; 16, 15, 27 sq.; 17, 11); igitur *Regnum Dei* acquirendum est plena subiectione sub Dei voluntate, etiam usque ad sacrificium vitae (15, 20; 16, 1 sqq.).

II. De indole Regni Dei externa.

143. *Regnum Dei* secundum partem priorem est quidem essentialiter et primarie *internum,* immo religiosum et *mere religiosum;* at haec indoles interna et religiosa (de qua in assertione sequenti 6) non obstat naturae eius *externae* et *sociali;* nam Regnum Dei *esse externum* seu veram aliquam societatem religiosam nil aliud asserit nisi hoc, bona Regni Dei hominibus dari ut membris alicuius communitatis per organa huius societatis; onera vero Regni Dei esse non personalia tantum, sed proxime socialia, cum quibus personalia coniuncta sunt.

Quicumque igitur nobiscum *religionem* intellegit tamquam relationem hominis ad Deum personalem, quae ab homine cognoscitur intellectu et voluntatis subiectione agnoscitur, nullam in eo invenire poterit difficultatem, quod ipse Deus, revelans et praescribens aliquam religionem (positivam), eam ut socialem exerceri vult, praesertim cum haec forma socialis maxime conveniat hominis naturae sociali; quaestio quidem, num Deus hanc formam socialem elegerit, decidi nequit nisi ex voluntate Dei positive manifestata.

Qui vero intellegant religionem tamquam oriundam ex caeco quodam instinctu et ex motu cordis, ex facultate videlicet propria atque ab intellectu plane separata et independenti, qui porro definiant religionem tamquam relationem mere subiectivam hominis, qui et in quantum experitur tales animi motus et affectus ad ens transcendentale, omnem societatem religiosam ut religioni adversam reicient[9]. Atque hic est alter fons, ex quo negatur indoles externa Regni Dei; alter autem est sententia de Christi

persona. Theologi enim protestantes liberales atque etiam ex positivis qui nominantur in dies plures non agnoscunt Christi dignitatem supernaturalem, quam habet vel ut Legatus Dei (Messias) vel ut Filius Dei sensu proprio. De his supra satis dictum est (n. 133).

144. *A priori* quidem summe *probabile* videtur esse Christum, ut Legatum vel Filium Dei, eam formam religiosam elegisse, quae non solum ipsa voce *Regni Dei* indicatur, sed etiam naturae humanae quam maxime convenit, socialem nempe. Omnes enim, liberalibus minime exceptis, concedunt homines eiusdem persuasionis religiosae facile, immo necessitate quadam pulsos, sese coadunare in coetus et communitates, ut mutuo consilio et exercitio foveant sensa religiosa communia. Christus igitur, etiamsi non fuerit nisi homo summa intellegentia et sensu religioso sublimi praeditus, qualem admittunt hi liberales, debuit et cognoscere hanc hominis naturam et eidem providere — sicut fecisse eum dicunt evangelia, asserunt christiani primaevae Ecclesiae, praedicat ipsa Ecclesia sola sua exsistentia. Iam igitur videamus, quaenam Christus de indole Regni sui externa dixerit.

145. Consideranda sunt effata Christi et implicita et explicita, ut inde clare constet de eius intentione [10].

a) Et dicta quidem Christi *implicita* respiciunt tum relationem ad V^{us} T^{um} (de qua in *Ass.* 7) tum Regnum Dei ethicum, de quo in priore parte huius assertionis.

Christus quidem clare agnoscit *relationem* inter *Regnum Dei* a se praedicatum et *Regnum Dei* V^{is} T^{i}; hoc enim fuit praeparatio et promissio, quae, orto novo ordine religioso, eo ipso huic cedit et desinit. Licet igitur Christus de abrogatione V^{is} T^{i} haud obscure loquatur, numquam tamen negat N^{um} T^{um} esse impletionem V^{is}, numquam porro negat indolem eius externam et socialem. Ergo, si regulas bonae interpretationis sequamur, admittere debemus novum Regnum Dei *sub hoc respectu non differre* a vetere.

Obligationes porro, quae in Regno Dei novo civibus imponuntur, respiciunt non solam internam relationem hominis ad Deum, sed multa externa, immo socialia. Si scilicet Christus postulat *publicam fidei professionem* (Matth. 10, 32. Marc. 8, 38. Luc. 9, 26; 12, 8 sq.), eo ipso format vinculum externum, omnes suos discipulos inter se uniens; si dein praedicit suis asseclis *persecutiones* (Matth. 10, 17 sqq.; 24, 9 sqq. Marc. 13, 9 sqq. Luc. 21, 12 sqq.; cf. Luc. 12, 11 sq.), supponit suos certis quibusdam signis cognosci posse; atque idem sequitur ex *sententia,* quam proferet

iudex in ultimo *iudicio:* „Quidquid (ἐφ' ὅσον... cf. *Zorell LG* s. v. ὅσος 3) fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis" (Matth. 25, 40 45). Insuper *ritu quodam externo* initiali homines in Regnum Dei admitti debent, *baptismo* scilicet (Matth. 28, 19. Io. 3, 3 sqq.). Quae omnia sat clare indicant indolem Regni Dei externam et socialem.

146. b) Accedunt dicta Christi *explicita,* sive comparationibus utitur sive expressionibus, quae formaliter exhibent naturam socialem Regni Dei.

Comparat enim Regnum Dei cum *grege* pusillo, cui ipse *Regnum* promittit (Luc. 12, 32), cum *vinea,* quam Deus plantavit et saepivit (Matth. 21, 33 sqq.); haec iam imago, Iudaeis familiarissima ex libris V^{is} T^{i}, egregie naturam socialem Regni exhibet, praesertim cum Regnum novum futurum a Christo intime conectatur cum vetere; Regnum enim dabitur alii genti, facienti fructum eius (21, 43). Proxime ad hanc parabolam accedunt aliae duae, apud Matthaeum scilicet, de operariis in vinea (20, 1 sqq.), apud Lucam vero de fico sterili, plantata in vinea (Luc. 13, 6 sqq.). Parabola de *nuptiis* regalibus (Matth. 22, 1 sqq. Luc. 14, 16 sqq.) eandem fere doctrinam habet. Cum prius invitati non fuerint digni, hinc alii *„congregati"* sunt (συνάγειν, Matth. 22, 10), atque ita impleta est *„domus"* (Luc. 14, 23). Sed praeter conventum mere localem accedit aliud vinculum, *vestis* nempe *nuptialis,* quae singulis hospitibus traditur (Matth. 22, 11). Etiam haec comparatio auditoribus Christi minime erat obscura, id quod pharisaei confirmant; nam intellegentes Christum de ipsis locutum esse („multi vocati, pauci vero electi", Matth. 22, 14), consilium inierunt, ut caperent eum in sermone (22, 15). *Domus* porro novum Regnum Dei vocatur — sicut Israel saepe in libris V^{is} T^{i}. — Matth. 16, 18 (*„aedificabo* Ecclesiam meam") et 21, 42 (Christus est *lapis angularis* domus aedificandae, ab aedificantibus reprobatus).

Ex *parabolis,* quae Regni Dei naturam et sortes exponunt (Matth. 13, 1 sqq.), duae imprimis ostendunt indolem externam eius; videlicet parabola de *zizaniis* (13, 24 sqq. 36 sqq.) asserit exsistere praeter Regnum Dei etiam regnum diaboli, ita quidem ut inter se dignosci possint (13, 26), externe igitur appareant; clarius autem parabola de *sagena* (13, 47 sqq.) naturam socialem Regni Dei effert. Mittitur enim in mare, congregat (συνάγειν) ex omni genere piscium; ergo vinculo quodam externo separantur pisces hi ab aliis in mari. In littore deinde altera electio separabit bonos a malis; altera scilicet vita requirit non solum

externam coniunctionem cum Regno Dei, sed vitae etiam rationem Regno Dei correspondentem.

Adumbratio quaedam Regni Dei et Ecclesiae futurae invenitur Matth. 10, 40 sqq. Dissectis omnibus vinculis, quae Regnum Dei et sequelam Christi impedire possint, nova quodammodo conditur familia, Christi nimirum (cf. 12, 50: „Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater et soror et mater est"; cf. Marc. 3, 35. Luc. 8, 21). Christus Legatus Patris est; qui igitur eum suscipit eique fidem praebet, voluntatem Patris implet. Apostoli Christi, „prophetae" eius (10, 41) vicissim sunt legati Christi; hinc in ipsis Christus suscipitur. Immo, qui suscipit „iustum" Regni Dei, qui nempe eius iustitiam implet, mercedem a Christo accipiet, quia suscipit Christi asseclam; etsi fuerit „minimus" eorum, cui datur potus tantummodo aquae frigidae, sed ex titulo „discipuli" Christi, non carebit praemio; omnes enim sunt Christi, pertinent ad eius familiam, ad eius Regnum. Haec autem familia eiusque membra ut talia ab hominibus, etiamsi ipsi non pertineant ad eam, cognosci posse clare indicatur.

147. Expressiones denique, quae quam *formalissime* affirmant naturam socialem Regni Dei, sunt duae illae, quae ipsi Christo sunt sollemnes: *Regnum* et *Ecclesia*. Et vocem quidem *Regni* non tantum adhibet in coniunctione cum Deo (*Regnum Dei*), sed loquitur etiam de Regno *suo*. In explicatione parabolae de zizaniis (Matth. 13, 37 sqq.) Christus Regnum caelorum (13, 24) dicit *Regnum Filii hominis* (13, 41), ex quo messores-angeli colligent omnia scandala et omnes, qui faciunt ἀνομίαν, i. e. non vixerunt secundum leges Regni Dei. Ergo Christus loquitur de Regno Dei in hac vita, quod habet suas leges, quas implere debent cives Regni, et quarum impletione distinguuntur a filiis nequam. Eadem impletio, maxime legis caritatis, erit dein criterium, secundum quod sententia regis-iudicis, Filii hominis nimirum, in *ultimo* iudicio feretur (25, 31 sqq.). — De voce autem *Ecclesiae* eiusque sensu fusius agetur in altero tractatu (*Ass. 12;* n. 335 sqq.); hanc exprimere naturam socialem Regni Dei ipsi adversarii vel eo concedunt, quod negant Christum ea usum esse.

148. Et haec quidem de effatis Christi, naturam Regni Dei quae spectant; *facta* autem eius non minus clare idem evincunt Christum voluisse condere aliquam communitatem externam suorum. Sed cum haec facta considerandа et ponderanda constituant magnam partem inquisitionis sequentis, de Ecclesiae nempe constitutione, huic loco eorum mera enumeratio sufficiat. Christus enim collegit *discipulos*, ex quibus quosdam, numero duo-

decim, in *collegium* aliquod coniungit, quos peculiariter instruit et theoretice et practice ac missione aliqua praevia (Matth. 10, 1 sqq.) mittit ad munus Christi messianicum continuandum et simul praeparandum, praedicatione scilicet et confirmatione per signa et miracula; sunt igitur Christi „prophetae" (5, 12; 10, 42) seu *apostoli,* legisperiti in novo Regno Dei (13, 52), et proinde idonei, quibus committat missionem definitivam, qua suam praedicationem extendant ad omnes gentes. Hanc autem suam intentionem Christus manifestat modo clarissimo tum alibi tum in *promissione primatus* (Matth. 16, 18 sqq.), in qua ut Messias et Filius Dei Regnum Dei seu Ecclesiam suam se conditurum promittit super Simonem Petrum: Regnum igitur *externum.*

Scholion. De consensu primae Ecclesiae.

149. Addere huic assertioni et probationi rationes *indirectas,* petitas scilicet *ex consensu primae Ecclesiae,* non videtur esse necessarium, cum ipsa Ecclesia, quae inde a morte Christi organisata est, ostendat, quidnam christiani de indole Regni Dei cogitarint. Ecclesia enim est, secundum Paulum, *corpus Christi* ab ipso vivificatum et sua membra vivificans, quae, baptismo initiata, vixerint secundum voluntatem Christi. Hoc autem Regnum *gratiae* (Rom. 5, 21) postulat *cooperationem hominum.* „Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit!" (6, 1). . . . „Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut oboediatis concupiscentiis eius, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. . . ." (6, 12 sq.). Vita vero sit *vita Christi,* eius scilicet amor et sequela: „Christo confixus sum cruci . . . vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Non abicio gratiam Dei" (Gal. 2, 20 sqq.).

Hoc autem Christi corpus est vera aliqua *organisatio,* societas religiosa asseclarum Christi, quae simul suis partitur gratias et dona omnis generis et simul aedificatur *muneribus* et *ministeriis* varii ordinis (1 Cor. 12, 3 sqq.), quae velut iuncturae corpori praebent conexionem partium et firmitatem (Eph. 4, 16). Plura in *Ass. 16,* n. 401 sqq.

150. NOTAE. — **1** Egregie in Encycl. *„Pascendi"* (7. Septembris 1907), *D* 2074 sq.; cf. decreti *„Lamentabili"* (3. Iulii 1907) propositio 20, *D* 2020: *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia I 41 sq. — **2** Das Wesen des Christentums. Akad. Ausgabe, Leipzig 1902. Editio prima apparuit anno 1900. Interim liber translatus est in alias linguas, ut gallicam et hispanicam. — **3** „Nicht der Sohn, sondern allein der Vater gehört in das Evangelium, wie es Jesus verkündigt hat, hinein" (p. 91; cf. p. 79 sqq. 178 sqq.). „Er ist der Weg zum Vater, und er ist, als der vom Vater Eingesetzte, auch der Richter" (p. 91). — **4** „Der Protestantismus rechnet darauf, daß das Evangelium etwas so Einfaches, Göttliches und darum wahrhaft Menschliches ist, daß es am sichersten

erkannt wird, wenn man ihm Freiheit läßt, und daß es auch in den einzelnen Seelen wesentlich dieselben Erfahrungen und Überzeugungen schaffen wird" (p. 172). — **5** *A. Sabatier**, Esquisse d'une philosophie de la religion, Paris 1897; *idem,* Les religions d'autorité et la religion de l'esprit, ^{3}1904; cf. de his libris *Y. de la Brière,* Dict. apolog. I 1222; *M. d'Herbigny,* Theol. de Ecclesia I 43; *A. Harnack**, Wesen des Christentums 34 sqq. — **6** Regnum Dei *gratiosum:* Das Reich Gottes als *Gabe,* dargeboten und geschenkt von seiten Gottes, entgegengenommen als Gnade und Geschenk von seiten der Menschen; Regnum Dei *ethicum:* Das Reich Gottes als *Aufgabe,* nämlich als Forderung von seiten Gottes, als Leistung von seiten der Menschen. — Cf. *I. Frings* in Katholik XCVII (1917 I) 234 sqq.; *K. Benz,* Die Stellung Jesu zum alttest. Gesetz (Bibl. Studien XIX, 1. Heft [Freiburg 1914], 11 sqq.). — **7** Analysim v. *M.-J. Lagrange,* Évangile selon S. Matthieu 77 sqq.; *I. Knabenbauer,* Comm. in Evang. sec. Matthaeum I^{3} 224 sqq. — **8** *A. Merk,* Iustus ex fide vivit, in periodico Romano *Verbum Domini* III (1923) 193 sqq. 231 sqq. 257 sqq. — **9** *M. d'Herbigny,* Theol. de Eccl. I 40 sqq. — **10** Cf. praeter alios *I. Frings* in Katholik XCVII (1917 I) 250 sqq.

Quaestio 3. De indole mere religiosa Regni Dei.

151. Ex relationibus, pluries iam in praecedentibus quaestionibus notatis, quae intercedunt inter Regnum Dei a Christo praedicatum et Regnum Dei V^{is} T^{i}, sponte oritur quaestio, utrum *Regnum Dei* novum sit *religiosum* quidem sed *simul politicum* sicut V^{is} T^{i}; an vero, reiecta forma politica, sit *mere religiosum.* Scilicet V^{us} T^{um} erat Regnum Dei in uno populo, Israel, ea quidem lege, ut Deus esset Rex Israel, sicut reges terreni aliarum gentium, leges ferens, iudicium exercens, administrationem sui populi gerens (*Ass. 1,* n. 34 sqq.). Numquid Regnum Dei novum simili modo est politicum, exsistens vel in uno populo, vel in pluribus, vel in omnibus?

152. *Sunt qui hoc asserant;* Christum fuisse *ducem politicum,* immo rebellem contra imperium Romanum; iidem fere contendunt Christum propugnasse *communismum* socialem, quem etiam primi christiani introduxissent. Sed quoniam haec interpretatio fontium, nisi quis vim inferat verbis Christi, fieri nequit, praeter socialistas defensores nullos nacta est. Non quidem defuerunt qui religionem christianam ortam esse voluerint vel ex motu quodam sociali vel saltem sub influxu tendentiae socialis *(Renan, Hatch, H. Schiller, Pöhlmann, R. Wagner, Tolstoi)*[1]; *J. Weiss* tenet Christum, imbutum ideis eschatologicis suae aetatis, exspectasse praeter liberationem a regno diaboli etiam restaurationem politicam suae gentis, non quidem mediis politicis, sed interventu Dei immediato et miraculoso[2]. Socialistae autem doctrinam Christi aliter intellegunt. *Kalthoff* quidem socialistis annumerari nequit, attamen ipsis maxime profuit eo, quod docet Christum esse mythum quendam — Iesum quidem historicum fuisse quendam Iudaeum, sub Pontio Pilato morte mulctatum — qui occurrat in litteratura apocalyptica iudaica; hanc autem fuisse communisticam; hinc novam religionem facile asseclas invenisse inter *„proletarios"* imperii

romani, praecipue in ipsa urbe Romae[3]. *Maurenbrecher* ex iisdem fere suppositis et opinionibus imaginem Christi et primitivae Ecclesiae construit. Post mortem Iesu, ita fere Maurenbrecher, ad eum translatus est mythus late inter gentes sparsus et notus, quem ipse quidem Iesus tenuit, neque vero sibi umquam applicuit, mythus nempe mortis et resurrectionis Messiae-redemptoris. Origo igitur religionis christianae et Ecclesiae non est Iesus historicus, sed mythus antea exsistens et ab apostolis ad Iesum translatus, cui etiam visiones Christi resuscitati tribuendae sunt. Ratio autem propagationis novae religionis est imprimis indoles quarundam veritatum *proletaria*, quas Christus docuerat, quae avide suscipiebantur a Iudaeis pauperibus et *proletariis* diasporae; ex his autem maior pars primae communitatis hierosolymitanae constituta erat. Christus igitur non erat socialista neque auctor seditionis vel „proletarius"; attamen inscius germina quaedam suae doctrinae intersevit, quae in Ecclesia fructus suos tulerunt[4]. *Kautsky* vero describit statum Ecclesiae primaevae tamquam communisticum et proletarium. Odium sociale contra divites, communismus perfectus, contemptio laboris, destructio vinculi familiae et coniugii, haec fere sunt, quibus cognoscitur prima communitas christiana. Exspectatio porro messianica erat prorsus terrena et materialis: Regnum Dei in sacris libris depingi ut nuptias et epulas. Christum ipsum fuisse hominem seditiosum, qui molitus sit rerum mutationem violentam, atque ut talem a Pilato necatum esse[5].

Attamen *fontes* nostri omnes aliam omnino originem et condicionem primae Ecclesiae referunt; regnum enim politicum Christi plane excludunt; neque communismum asserunt in prima communitate christiana introductam fuisse eo sensu, ut ius proprietatis vel ipsa proprietas privata essent reiecta. E contra et ipse Iesus Christus et eius apostoli in consensu totius Ecclesiae primitivae et supponunt et docent ius proprietatis privatae, atque condiciones sociales tunc exsistentes agnoscunt et tuentur[6]. Ratio autem est in eo quod Regnum Dei est religiosum et mere religiosum.

ASSERTIO 6. Secundum evangelia Iesus Christus praedicavit Regnum Dei non politicum, sed mere religiosum.

153. *Regnum Dei politicum* illud intellegitur, quod ut tale complectitur praeter finem stricte religiosum etiam fines societatis civilis et politicae, seu status. Iamvero finis societatis civilis est in eo, ut civibus comparet prosperitatem humanae naturae ut tali in hac vita convenientem, i. e. omnimodam felicitatem temporalem, fini ultimo subordinatam. Regnum igitur Dei *politicum* ordinat praeter relationes ad Deum omnes alias (sociales) hominum; rex huius Regni, Deus nempe, curat et comparat ipsa constitutione, quam Regno suo dedit, felicitatem, et aeternam futuram et temporalem. Tale Regnum Dei, *theocratia* (cf. n. 28 34), exsistebat in V^{e} T°.

Regnum igitur *mere religiosum* pro unico fine habet vitam membrorum religiosam, atque ut tale ordinat directe solas relationes hominum ad Deum, imprimis cultum; consequenter tantum, quia vita moralis a religiosa separari nequit, alias etiam relationes humanas. Excludit proinde res politicas ut tales (e. g. formam constitutionis politicae determinare) vel mere sociales (e. g. leges ferre de tempore cotidiani laboris et alia eiusmodi) vel hygienicas ut tales, sicut in V^{e} T^{o}. Christus ergo non novam quandam theocratiam annuntiavit, sed Regnum externum quidem *(Ass. 5)*, mere tamen et exclusive religiosum; hinc non solum magnum aliquod discrimen inter V^{is} T^{i} et suum Regnum manifestavit *(Ass. 7)*, sed simul iam indicavit indolem universalem sui Regni *(Ass. 8)*.

In assertione hac ita procedimus, ut primo excludamus omnem indolem *politicam* Regni Dei; de *communismo* autem in scholio aliqua addemus.

I. Regnum Dei secundum Christum non est politicum.

154. 1. Christus *distinguit* inter *Regnum Dei politicum* et *religiosum*. In responso, quod dat pharisaeis et herodianis interrogantibus, num liceat solvere tributum Caesari (Matth. 22, 15 sqq.), clare distinguit inter ea „quae sunt Dei" (τὰ τοῦ Θεοῦ) et ea „quae sunt Caesaris" (τὰ Καίσαρος). Quae sunt Dei, haberi possunt stante imperio Caesaris, sub ditione etiam Romanorum; ergo potestas politica ut talis non pertinet ad Regnum Dei. Et cum Iudaei, indignabundi, narrent caedem Galilaeorum, quos Pilatus occiderat in ipso templo (Luc. 13, 1 sqq.), Iesus eos adhortatur ad paenitentiam, non vero ad vindictam.

2. Ex quibus iam apparet Christum *non approbare ideas vulgi* eiusque exspectationem messianicam. Imperium super „omnia regna mundi" (Matth. 4, 8; cf. Luc. 4, 5) est tentatio diabolica (cf. n. 97); immo nullum bonum terrenum et materiale ut tale pertinet ad regnum messianicum. Hinc petitionem reicit, quam e vulgo quidam ei dirigit: „Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem!" (Luc. 12, 13.) „Homo, inquit Christus, quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?" Similes ideas *apostolorum* suorum eodem modo refutavit. „Reges gentium dominantur eorum (κυριεύουσιν αὐτῶν) . . .; vos autem non sic. . . . Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in Regno meo, et sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel" (22, 25—30); Christus autem de Regno suo glorioso loquitur, eodem sensu ac latroni promittit „Regnum" suum: „Hodie mecum eris in paradiso!"

(23, 42 sq.). In hac vita autem Christus debuit pati „et ita intrare in gloriam suam“ (24, 26), sicut dicit discipulis suis in Emmaus euntibus; apostoli vero eius, post ipsius Christi resurrectionem, debent praedicare paenitentiam in nomine eius et remissionem peccatorum omnibus gentibus (24, 47). Cum autem apostoli eum interrogant de „restitutione Israel“, Iesus declinat responsum directum; indirecte vero indicat alias esse sortes et fines Regni sui, quos scilicet Spiritus Sanctus ipsis clare manifestabit (Act. 1, 6 sqq.): „Eritis mihi testes (et martyres simul)!“ Quodsi Christus redierit in gloria (1, 11), iam non eriget regnum aliquod terrenum, sed tunc veniet ad iudicium ultimum (Matth. 25, 31 sqq.).

3. Hinc Christus *fugit dignitatem regiam* a vulgo ipsi oblatam. Post multiplicationem panum priorem vulgus eum voluit vi arripere atque regem facere (Io. 6, 14 sq.); Iesus autem, hanc eorum intentionem cognoscens, cogit discipulos suos licet invitos („compulit eos ascendere in naviculam“: Matth. 14, 22. Marc. 6, 45) transfretare, dum ipse ascendit in montem solus ad orandum. Ingressum triumphalem in Ierusalem post enthusiasmum vulgi maximum sequitur plena Christi destitutio; vespere nempe solus secessit in Bethaniam (Matth. 21, 17. Marc. 11, 11); non enim erat neque voluit esse rex politicus populi sui. Potestas quidem ipsi minime deest; loco legionum militum angelorum acies potuit evocare, qui eum liberarent e potestate tenebrarum (Matth. 26, 53 sqq.); sed haec non est voluntas Patris. Non gladiis suorum discipulorum et asseclarum, sed passione et morte devincet inimicum, principem huius mundi (Matth. 26, 54 sqq. Luc. 22, 52 sq.).

Diserte deinde exponit rationem sui Regni coram Pilato. Interrogatus nimirum a Pilato: „Tu es rex Iudaeorum?“ (Io. 18, 33.) Iesus respondet: „*Regnum meum* non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis . . .; ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam“ (18, 36 sq.). Hanc missionem tradidit discipulis suis, qui proinde, sicut Christus, ipsi quoque mundo erunt odio (15, 18), quia non sunt „de mundo“, i. e. non sequuntur principia et modum sentiendi mundi, materialia et politica bona exspectantis. Pro apostolis suis igitur rogat Christus, ut, quia in mundo manere et missione sua fungi debent, serventur a malo et sanctificentur a Patre (17, 14 sqq.).

155. 4. Ex hac denique Christi sententia et intentione intellegitur, curnam *a populo suo ut Messias reiectus* sit; non erat Messias politicus, rex terrenus, bona promittens materialia; hinc non

obstantibus plurimis miraculis et innumeris beneficiis traditus est ethnicis ad mortem.

Ipsi autem *iudices agnoscunt* Christum non fuisse regni politici aemulum. Licet enim accusatio Iudaeorum coram *Pilato* Iesum arguerit criminis laesae maiestatis, quod nempe dixerit „se Christum regem esse" (Luc. 23, 2), procurator tamen facile pervenit ad persuasionem, hanc accusationem esse falsam; Iudaeos Iesum persequi iniuste, propter invidiam (Matth. 27, 18. Marc. 15, 10). Hinc explicatur conatus Pilati, ut liberet Iesum: „Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam!" (Matth. 27, 21. Marc. 15, 6 sqq. Luc. 23, 13 sqq.), hinc etiam sententia eius definitiva: „Innocens ego sum a sanguine iusti huius!" (Matth. 27, 24.) Similiter *Herodes* non exspectavit regem videre, sed prophetam et thaumaturgum (Luc. 23, 8) atque tacentem sprevit et consideravit tamquam fatuum (23, 11), fere sicut milites, coronantes Christum corona spinea (Matth. 27, 27 sqq. Marc. 15, 16 sqq. Io. 19, 2 sqq.).

„Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari" (Io. 19, 12). Hac demum comminatione permotus Pilatus Iesum condemnat mortis, non quod persuasum haberet Christum regnum politicum sibi arripuisse, sed quia timuit appellationem ad Caesarem. Pergit enim modo ironico: „Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Caesarem" (19, 15). Ita *pontifices* produnt simul et Iesum et spem messianicam populi sui. *Pharisaeorum* autem et legisperitorum accusatio contra Iesum erat alia: „Blasphemavit" (Matth. 26, 65. Marc. 14, 63 sq.), „quia filium Dei se fecit" (Io. 19, 7). Ut talem habent eum irrisum, pendentem in cruce: „Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei; confidit in Deo; liberet nunc, si vult, eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum" (Matth. 27, 42 sq.). Agnoscunt proinde ipsi Iudaei et Iudaeorum duces Christum eiusque regnum, quod annuntiavit, ut messianicum quidem, sed non politicum.

II. Regnum Dei secundum Iesum Christum est mere religiosum.

156. Plura quidem testimonia, in priore parte adducta, non solum excludunt indolem politicam Regni Dei, sed simul affirmant naturam eius *mere religiosam*. Quibus hac in altera parte alia addere in animo est, quae etiam disertius idem exponunt. Sive enim Christum ut *regem* consideramus sive eius *Regnum*, elucet fines et condiciones eius non esse nisi religiosas.

1. *Origo potestatis et dignitatis regiae* est filiatio Christi divina. „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo“ (Matth. 11, 27; cf. 28, 18. EvIo. passim); ideo est *rex,* tum in Regno suo, quod est *in hoc mundo,* oppositum scilicet regno diaboli (Matth. 13, 40 sqq., in parabola de zizaniis), tum in fine mundi, quando redibit ut iudex universalis (25, 31 sqq.; cf. 16, 28). In hac potestate mittit apostolos suos, praedicare et baptizare atque sic organizare Regnum suum in terris (28, 18 sqq.).

Munus autem *regium* simul et praecipue est *sacerdotale*, ut nimirum se ipse offerat pro hominibus (20, 28) tamquam omnium minister (in oppositione ad contentiones discipulorum: 20, 20 sqq.); ut pastor bonus (Io. 10, 11), qui debet exaltari quidem (3, 14), sed in cruce (12, 32 sq.), ut remissionem peccatorum obtineat hominibus (Matth. 20, 28; 26, 28). Asseclae autem eius omnes, sicut ipse Christus, crucem baiulare debent (10, 38; 16, 24 sqq. etc.), i. e. vitam agere mundo mortuam. Clarius et reiectio omnis potestatis politicae et indoles mere religiosa Regni exprimi sane nequit.

157. 2. Quae de indole religiosa *Regni Dei* dicenda sunt, enucleant fere ea, quae modo exposita sunt. Prima annuntiatio Regni Dei est exhortatio ad paenitentiam, ad conversionem ergo ad Deum (4, 17): *„beatitudines“* excludunt a Regno Dei omnia bona materialia, vindicant ei sola altiora, religiosa; immo ultima praedicat persecutionem, quam asseclae Christi sufferunt propter eum: sunt enim omni vi politica destituti, ita ut auxilium, si quod habetur, sit fuga (10, 23). Unica vero christianorum cura est Regnum Dei; alia omnia, huic vitae necessaria, sunt accessoria (6, 33). *Parabolae* porro describunt Regnum Dei ut mere religiosum, et secundum originem (parabola de semente; 13, 3) et secundum sortes (parabolae de zizaniis, de grano sinapis, de fermento; 13, 24 sqq.) et secundum exitum (parabolae de thesauro, de margarita, de sagena; 13, 44 sqq.). Regnum Christi non est de hoc mundo (cf. supra I). *Receptio* porro et initiatio in hoc Regnum fit per baptismum, ritum quidem externum, sed internam regenerationem designantem et efficientem (Matth. 28, 19. Io. 3, 3 sqq.), quia est simul in aqua et Spiritu Sancto. *Regnum* demum Regno Christi *oppositum* est unice regnum diaboli et peccati (Matth. 12, 25 sqq. Marc. 3, 23 sq. Luc. 11, 17 sqq. Matth. 13, 38 sqq.), potestas tenebrarum (Luc. 22, 53). Hinc Regnum Christi est Regnum remissionis peccatorum, internae renovationis, gratiae, omnimodae sanctificationis.

Schol. 1. **Testimonium primae Ecclesiae, imprimis Pauli.**

158. 1. Quoad regnum *politicum* docet *Paulus* idem ac Christus. „Non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.... Vis autem non timere potestatem? Bonum fac!... Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est.... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis.... Reddite ergo omnibus debita ... tributum, ... vectigal, ... timorem, ... honorem" (Rom. 13, 1—7; cf. Tit. 3, 1). Eodem modo monet *Petrus:* „Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus (ἡγεμόσιν) tamquam ab eo missis....: Omnes honorate ... regem honorificate!" (1 Petri 2, 13—17.) Uterque igitur apostolus agnoscit imperium politicum tunc exsistens, romanum scilicet, tamquam legitimum, quod nullatenus Regno Dei obest, immo eidem prodesse potest. Hinc monet Paulus, ut christiani orent pro omnibus quidem hominibus, praecipue autem „pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate" (1 Tim. 2, 1 sq.).

2. Ratio autem, cur agnosci potest regnum politicum etiam ethnicum, est indoles *mere religiosa* Regni Dei seu Ecclesiae. Christus enim, ait Paulus, „venit in hunc mundum, peccatores salvos facere" (1 Tim. 1, 15; cf. Rom. 5, 21; Col. 1, 14); haec redemptio hominibus communicatur in Regno Dei. Initiatio autem fit per baptismum (Rom. 6, 3 sq.), quo homo cum Christo moritur atque resurgit in vitam novam. Haec regeneratio, sicut omnia bona Regni Dei, est imprimis interna, consequenter etiam externa. Fructus Spiritus sunt: Caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia (Gal. 5, 22). Spes autem christiana vergit in alteram vitam: „Spe gaudentes" (Rom. 12, 12; cf. 8, 24; Tit. 3, 7), ubi „semper cum Domino erimus" (1 Thess. 4, 17), videntes Deum intuitive (1 Cor. 13, 12); nam haec vita non est nisi peregrinatio procul a Domino (2 Cor. 5, 5 sqq.), bona autem eius sunt privatio potius dicenda (ζημία) et reiectamentum (σκύβαλα), digna quae despiciantur et pedibus calcentur (Phil. 3, 4 sqq.). Sunt quidem, „quorum Deus venter est ... qui terrena sapiunt; nostra autem conversatio (πολίτευμα, civitas[7]) in caelis est, unde etiam Salvatorem exspectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae" (Phil. 3, 19—21).

Regnum Dei igitur perfectum, plena possessio et fruitio omnium bonorum eius, est altera vita, in qua Deus est „omnia in omnibus"

(1 Cor. 15, 28). Haec est desiderium et finis christianorum his in terris, non autem bona terrena et transitoria huius vitae.

Schol. 2. **Num Christus et primaeva Ecclesia docuerint communismum.**

159. Rationibus et textibus allatis clare iam excluditur omnis species Regni Dei terreni, sive politici sive etiam *socialistici* et *communistici*[8]. Finis Regni Dei est altior, spiritualis nempe et religiosus; bona quoque et media ad haec bona obtinenda sunt religiosa et supernaturalia. Immo Regnum Dei non raro postulat abiectionem omnium bonorum materialium atque ipsius vitae, qua scilicet acquiratur vita aeterna. Ipsa igitur natura sua intima quam maxime opponitur omni communismo, qui et quatenus bona materialia eorumque augmentum et possessionem pro summo fine habet, seu quatenus est *materialismus*.

Quaeri unice potest, num forte Christus suis commendaverit vel num ipsi primi christiani gesserint *vitam communem*, sensu scilicet caritatis christianae, quae „non quaerit quae sua sunt" (1 Cor. 13, 5), sed aliis ex suis communicat, immo iure omni proprietatis privatae cedit, vel in favorem pauperum vel propriae vitae religiosae causa. Hic quidem *„communismus"* — si vitam communem eorum, qui pauperes Christum pauperem sequi volunt, ita nominare fas est — intra certos limites non repugnat voluntati Christi atque in ordinibus religiosis exercetur; at nequaquam a Christo ut ratio vivendi omnibus christianis necessaria *praescripta* est; multo minus ius proprietatis privatae ab eo ablatum est sensu communistico.

160. 1. Et haec quidem satis apparent iam ex iis, quae in prioribus assertionibus de *Regno Dei gratioso* (*Ass. 5*, n. 135 sqq.) et *ethico* (n. 139 sqq.) dicta sunt. „Quaerite ergo primum Regnum Dei et iustitiam eius; et haec omnia adicientur vobis", hoc effatum Christi recte ut tessera habetur; cuius expositionem ipse Christus alibi addit: „Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?" (Matth. 16, 26.) Licet aliquod bonum nobis videatur necessarium, sicut oculus vel manus: si obstat Regno Dei, abiciatur! (5, 29 sqq.), licet sit carum sicut membra familiae atque ipsi parentes: „Dimitte mortuos sepelire mortuos suos!" (8, 22.) „Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus!" (10, 37.) Et licet propria vita, condicio ut quis frui possit bonis huius terrae, in periculum vocetur: „Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam" (16, 25). De his omnibus ne solliciti sint asseclae Christi:

adicietur eis, immo centuplum (πολλαπλασίονα) in hac vita ipsis dabitur (19, 29), cum persecutionibus, addit Marcus (10, 30).

161. 2. Haec iam *principia* ab ipso Christo *applicantur* rebus terrenis. Respiciemns imprimis illos textus, quibus fautores communismi ideas Christi *„communisticas"* probare solent. Ius scilicet proprietatis a Christo agnoscitur et defenditur.

a) *Praecepta decalogi* in valore manent, etiam *septimum;* ita diserte in verbis Christi, quae dirigit ad iuvenem divitem (Matth. 19, 18). Porro *divites non excluduntur a Regno Dei;* difficile quidem intrabunt in Regnum Dei — beati pauperes! — sed apud Deum omnia possibilia sunt (19, 26). Eandem doctrinam Christus profert in *parabolis,* quas refert Lucas; hae imprimis adducuntur in probationem sententiae communisticae. Carpitur *dives quidam,* qui intendit horrea nova construere, in quibus colligat fructus uberrimos agri sui, ut deinceps possit quieti indulgere: „Anima, habes multa bona . . .; requiesce, comede, bibe, epulare!" (12, 19.) *At* clare elucet, curnam et in quonam hic vir defecerit; „sibi thesaurizavit et non est in Deum dives" (12, 21); non est „in abundantia cuiusquam vita" (12, 15); contra avaritiam Iesus loquitur. Parabola *de villico iniquo* (16, 1 sqq.) viam docet, qua divites ad vitam aeternam pervenire possint, ope ipsius „mammonae iniquitatis" [9] (16, 9). Ergo haec parabola supponit proprietatem privatam. Idem valet de parabola sequenti (16, 19), quae a praecedenti separatur verbis Christi, quibus severe arguit hypocrisim et avaritiam pharisaeorum; ipsi enim parabolam de villico audierunt atque Iesum deriserunt, quia erant avari (16, 14). Parabola de *divite* et *Lazaro paupere* describit poenam divitis, qui oblitus erat non solum Regni Dei, sed etiam obligationis misericordiae erga pauperes. Malus usus divitiarum, non ipsae divitiae, eum condemnat.

b) Christus inter opera bona commendat *dare eleemosynas* (Matth. 5, 42; 6, 1 sqq.), suadet vendere omnia et dare pauperibus (19, 21), laudat viduam, quae omnia quae habuit, „totum victum suum", misit in gazophylacium (Marc. 12, 44; cf. Luc. 21, 2 sqq.), praedicit etiam in futuro esse pauperes, quibus auxiliari debeant, (Matth. 26, 11). Hinc intellegitur illud *„vae"* divitibus (Luc. 6, 24 sq.; cf. 20, 46 sq. [Matth. 23, 14.] Marc. 12, 40), illis videlicet, qui saturati omnem consolationem sperant et habent in hac vita neque vero curant Regnum Dei. *Beati* autem *pauperes* (Luc. 6, 20. Matth. 5, 3), quia paupertas, si fuerit tolerata secundum voluntatem Dei, optima dispositio est ad Regnum Dei suscipiendum eiusque bona accipienda.

c) Sicut generatim condiciones vitae socialis a Christo non mutantur, ita etiam *labor,* unde fluit proprietas privata, agnoscitur et commendatur. Effatum illud „Dignus est operarius mercede sua" (Luc. 10, 7. 1 Tim. 5, 18) valet de operariis in vinea Dei, sed etiam de operariis omnibus. Ita parabolae Christi supponunt condiciones sociales inaequales, dominos et servos, heros et famulos et operarios, qui conducuntur, ut pro „denario diurno" operentur in vinea domini (Matth. 20, 1 sqq.). Servi debent curare familiam et domum domini absentis et eius adventum vigilantes exspectare (cf. Luc. 12, 42 sqq.; Matth. 24, 45 sqq.); debent talenta a domino accepta labore suo multiplicare vel saltem nummulariis dare, ut dominus praeter talentum recipiat usuram (25, 14 sqq.; cf. Luc. 19, 12 sqq.). Immo ipsi servi habent ius proprietatis idque exercent, sicut elucet ex parabola de servo nequam (Matth. 18, 21 sqq.). Neque obstant verba, quae Christus loquitur contra immodicam curam rerum temporalium (6, 25: „Ne solliciti sitis! . . ."); nam non condemnat laborem et curam convenientem; sed „quaerite *primum* Regnum Dei" (6, 33).

3. *Primaeva Ecclesia* Christum eiusque verba intellexit modo exposito, teste *Luca* et *Paulo.*

162. a) Ex *Actibus* quidem potissimum petuntur difficultates, imprimis ex descriptione primae communitatis christianae, hierosolymitanae. „Omnes etiam, qui ad fidem pervenerant, erant pariter (seu: qui ad eundem coetum fidelium pertinebant) et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat" (Act. 2, 44 sq.). Similiter postea: „Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. . . . Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum; dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat" (4, 32 34 sq.). Ita fecit Barnabas, qui agrum vendidit in favorem communitatis; ita Ananias et Saphira, qui autem fraudarunt ex pretio, quod ex venditione acceperant (4, 36; 5, 1 sqq.).

Haec tamen descriptio nullatenus probat *communismum,* ne sensu christiano quidem; nam α) venditio bonorum non erat praescripta, sed *libera;* hinc opus laude dignum. Ananias autem non eo peccavit, quod non pretium integrum reddidit („Nonne . . . venumdatum in tua erat potestate?" 5, 4), sed quod mentitus est Deo (5, 4). — β) Venditio bonorum *non erat integra;* nam etiam

membra huius coetus, hierosolymitani (cf. domum Ioannis Marci 12, 12) et aliarum ecclesiarum (Tabitha in Ioppe dabat eleemosynas, 9, 39; ecclesia antiochena misit subsidia ecclesiae primitivae: 11, 29; item ecclesiae paulinae: 24, 17) habuerunt proprietatem privatam. — γ) Distributio bonorum non erat ad aequalitatem quandam formalem, sed fiebat *auctoritate apostolorum,* prout quisque indigebat, non *una* divisione bonorum, sed „ministerio cotidiano" (6, 1), distributione igitur *eleemosynarum,* quae supponunt necessario bona privata. Expressiones proinde generaliores, quibus Lucas utitur, intellegi debent sensu quodam latiore, sicut saepius[10].

163. b) *Paulus* non solum recepit inter christianos etiam divites — sicut ipse Christus fecerat: Zachaeum, Nicodemum, Iosephum ab Arimathaea, Lazarum eiusque sorores —, licet pauci sese adiunxerint religioni christianae (1 Cor. 1, 26); sed etiam diserte agnoscit condiciones et relationes sociales tunc temporis vigentes. Commendat enim α) *dare eleemosynas,* quibus christiani sublevent necessitatem „sanctorum" in Ierusalem (1 Cor. 16, 1 sqq. 2 Cor. 8, 1 sqq.; 9, 1 sqq. Rom. 12, 13; 15, 25 sqq.), sicut ipse promiserat (Gal. 2, 10); haec autem stipendia dari vult ex lege et sensu caritatis (1 Cor. 13, 3. 1 Thess. 4, 9) ad fovendum mutuum amorem erga „domesticos fidei" (Gal. 6, 10), ad oboediendum evangelio Christi (2 Cor. 9, 13), ut unitas omnium christianorum sit perfecta. — β) Non minus inculcat Paulus *laborem,* maxime contra illos, qui decepti vana quadam exspectatione parusiae Christi iamiam instantis, laborem neglexerunt. „Rogamus autem vos, fratres, ait Thessalonicensibus, . . . ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecepimus vobis . . ." (1 Thess. 4, 10 sq.). Clarius etiam in altera epistula (2 Thess. 3, 11 sq.): „Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent." Exemplum enim ipse Paulus, licet apostolus, eis dedit, qui non gratis panem suum comedit apud eos, „sed in labore et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus" (3, 8). „Quoniam, si quis non vult operari, nec manducet!" (3, 10.) — γ) Neque *condicionem servilem* Paulus abrogat eo sensu, ut saltem domini christiani obligati sint, cedere omnibus iuribus suis; multo minus eo sensu, ut servi proprio marte possint sese subtrahere servituti. Christiani quidem sunt liberi, quatenus nullum vinculum vel sociale vel nationale quemquam excludat a Regno Dei; nam

baptismo homo fit nova creatura. „Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu" (Gal. 3, 27 sq.; cf. 1 Cor. 12, 12 sq.; Col. 3, 11; Eph. 4, 4 sqq.). Proclamat igitur Paulus omnimodam *aequalitatem religiosam;* non autem omnimodam aequalitatem *socialem.* Sicut in ipsa Ecclesia agnoscit ordines diversos sibi subordinatos (1 Cor. 12, 28. Eph. 4, 11 sqq.), ita etiam classes sociales (cf. catalogos officiorum *[„Haustafeln"]*: Col. 3, 18. Eph. 5, 22. Tit. 2, 1), ita etiam servitutem. Hanc quaestionem diserte solvit in priore epistola ad Corinthios (7, 17 sqq.). Monet enim christianos, ut permaneant in eo statu, in quo erant, quando ad religionem christianam vocati sunt: „Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet" (7, 17). „Servus vocatus es? Non sit tibi curae; sed et si potes fieri liber, magis utere" (7, 21). Quaeritur, quanam re utatur servus, libertate an servitute. Contextui omnino correspondet sententia, quae tenet Paulum suadere, ut servus, etiamsi liber fieri possit, potius eligat manere in statu suo servili: „qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini, similiter, qui liber vocatus est, servus est Christi" (7, 22). Hanc suam doctrinam exercet in causa Onesimi, servi Philemonis (Philem. v. 10 sqq.), in enumeratione officiorum servorum (Col. 3, 22. Eph. 6, 5. 1 Tim. 6, 1; Tit. 2, 9; cf. 1 Petri 2, 18). — Doctrina igitur Pauli communismo quam maxime opponitur; id quod inspecta eius sententia de Regno Dei eiusque bonis supernaturalibus minime mirandum est[11].

164. *Epistula Iacobi* aliquando dicitur adversari divitibus et divitiis. „Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?" (2, 5.) *Sed* haec verba dicta sunt contra eos, qui contemnentes pauperes diviti exhibent honorem propter divitias, in ipsa ecclesia (2, 1 sqq.). — „Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis" (5, 1). *At* carpuntur divites, qui propter divitias obliviscuntur Dei eiusque Regni (4, 13 sqq.) vel misericordiae erga pauperes (2, 14 sqq.). „Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est" (2, 26). „Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et immaculatum se custodire ab hoc saeculo" (1, 27), haec ipsa verba, quae sunt thema quasi totius epistulae, explicant sensum auctoris.

165. NOTAE. — 1 *A. Bigelmair,* Zur Frage des Sozialismus und Kommunismus im Christentum der ersten drei Jahrhunderte (Festgabe Ehrhard, Bonn-Leipzig 1922) 73 sqq.; cum larga bibliographia; *P. Dausch,* Christus in der modernen sozialen Bewegung (Bibl. Zeitfragen IX, 5./6. Heft, Münster 1920). Ex protestantibus conservativis: *I. Leipoldt*,* Vom Jesusbild der Gegenwart

(Leipzig 1913) 73 sqq.; ex liberalibus: *H. Weinel**, Jesus im 19. Jahrhundert (Tübingen-Leipzig 1903) 111 sqq.; *A. Schweitzer**, Geschichte der Leben-Jesu-Forschung (1913) 345 sqq. *(Kalthoff)*, 570 sqq. (*Maurenbrecher, Kautsky*). — **2** Die Predigt Jesu vom Reiche Gottes (²1900) 123 sqq.; cf. *M. Meffert*, Das Urchristentum (München-Gladbach 1920), 210 sq., qui plures sententias recenset et refutat („Der angebliche proletarische Charakter des Urchristentums"; cf. ibid. 81 sqq.: Der angebliche „Kommunismus" des Urchristentums); *idem*, Der „Kommunismus" Jesu und der Kirchenväter (Apolog. Vorträge VI), München-Gladbach 1922. — **3** *A. Kalthoff**, Das Christusproblem, ²Leipzig 1903; *idem*, Die Entstehung des Christentums, ibid. 1904. — **4** *M. Maurenbrecher**, Von Nazareth nach Golgatha, Berlin 1909; *idem*, Von Jerusalem nach Rom, ibid. 1910. — **5** *K. Kautsky**, Der Ursprung des Christentums, Stuttgart 1908. — **6** Cf. praeter *Bigelmair, Dausch* (nota 1), *Meffert* (nota 2), *F. X. Kiefl*, Die Theorien des modernen Sozialismus über den Ursprung des Christentums, Kempten 1915; *idem*, Sozialismus und Religion, ³Regensburg 1920; *I. Frings* in Katholik XCVII (1917 I) 174 sqq. — Ex protestantibus: *H. Windisch**, Der messian. Krieg und das Urchristentum, Tübingen 1909; *I. Behm**, Kommunismus und Urchristentum (Neue Kirchliche Zeitschr. XXXI [1920] 275 sqq. — **7** *M. Engers* in Klio XVIII (1922) 79 sq. — **8** Communismum intellegimus illud systema, quod, sublato iure proprietatis privato, bona productiva (et consumptiva) communia esse vult. Cf. *V. Cathrein*, Philosophia moralis (¹¹/¹²Friburgi 1921) 277 sq.; *H. Koch* in Staatslexikon III³ 377 sqq.; *A. Bigelmair*, (nota 1); *N. Noguer*, Puede el socialismo conciliarse con el catholicismo? Razón y Fe LX (1921) 290—307. — **9** Mammona dicitur iniqua (ἄδικος), vel quia ex iniustitia provenit, vel quia ad iniustitiam allicit et perducit, vel quia fraudulenter hominem decipit et avertit a fine suo ultimo, Deo. — **10** Cf. e. g. *A. Wikenhauser*, Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert (Neutest. Abh. VIII 3—5, Münster 1921) 156 sq. — **11** Cf. *R. Cornely*, Comment. in Epistulam primam ad Corinthios (²Paris 1909) 192 sq.; *A. Steinmann*, Sklavenlos und alte Kirche (Apolog. Tagesfragen VIII), München-Gladbach 1910; *idem*, Paulus und die Sklaven zu Korinth, Braunsberg 1911; *P. W. Keppler*, Die Sklavenfrage im Neuen Testament (Theolog. Quartalschr. LXXIII [Tübingen 1891] 218 sqq.; *G. Grupp* s. v. „Sklaverei" in Kirchenlexikon XI (²1899) 400 sqq.; *P. Allard* s. v. „Esclavage" in Dict. apolog. I 1457 sqq., ubi bibliographia ulterior. — Ex Protestantibus: *I. v. Walter**, Die Sklaverei im Neuen Testament (Bibl. Zeit- und Streitfragen IX 11), Berlin 1914; *Th. Zahn**, Skizzen aus dem Leben der Alten Kirche (²Erlangen u. Leipzig 1898) 116 sqq.; *E. v. Dobschütz**, s. v. „Slaverei" in Prot. Real-Encyklop. XVIII (1906) 423 sqq.; *Witte**, Sklaverei in Die Religion in Geschichte und Gegenwart V (1913) 708 sqq.

Quaestio 4. De relatione Regni Dei a Christo annuntiati ad Vetus Testamentum.

166. Identidem quidem iam relatio *Regni Dei*, a Christo praedicati, ad oeconomiam *Veteris Testamenti* afferebatur, atque ostendebatur esse tum arctum nexum tum diversitatem haud parvam inter utrumque Regnum Dei. Iam *quaeritur*, quousque sese extendat haec diversitas; utrum videlicet sit essentialis et fundamentalis, ita ut abrogato V^{o} T^{o} non iam exsistat nisi novum Regnum Dei, an vero sit modalis tantum et accidentalis, ita ut novum

Regnum Dei dici debeat renovatio quaedam et continuatio V^is T^i. Plurima sane pendent ab hac quaestione; nam si Regnum Dei est plane novum, essentialiter diversum a vetere, et religio christiana tota quanta alia ac mosaica, sequitur: obligationes omnes, quae profluunt ex pacto Dei cum Israel eiusque patribus, iuridice non iam valere vi huius pacti — licet forte aliquae ex alio capite obligent christianos, quia e. g. sunt a Christo renovatae — pro christianis.

ASSERTIO 5. Secundum evangelia Christus oeconomiam Veteris Testamenti abrogatum iri indicavit eique novum ordinem religiosum substituit.

167. Responsum quaestionis modo indicatae petimus, sicut in assertionibus praecedentibus, *ab effatis Christi,* licet haec abrogationem V^is T^i potius ut futuram indicent, quam ut eam exhibeant tamquam praesentem. Ratio est obvia; quamdiu enim Christus nondum obtulerat sacrificium vitae suae, in quo sanguine suo condidit Novum Foedus, valebat pactum sinaiticum inter Iahve et Israel, quod morte demum Christi abrogatum est. *Evangelia* igitur sunt fontes nostri praecipui; sed ut moris fuit in assertionibus praecedentibus, ita etiam in hac addemus insuper *testimonium Ecclesiae primitivae,* quae clarissime affirmat abrogationem Veteris Foederis atque religionem christianam ut novam prorsus et a mosaica independentem considerat.

Expressiones generaliores *oeconomiae V^is T^i* et *religiosi ordinis* ideo adhibentur prae consuetis *Foederis* vel *Testamenti,* ne ob controversiam, quae de sensu horum terminorum orta est, difficultates moveantur[1]. *Sensus* assertionis nostrae igitur est hic: Totus ordo religiosus, quem Deus positiva sua voluntate in populo Israel instituit atque pacto quodam cum Israel ad montem Sinai inito confirmavit, abrogatus est; eius autem loco Deus et Christus novam religionem instituit, positivam et nunc iam definitivam, religionem christianam, Regnum Dei novum, quod est, ut postea probandum erit, Christi Ecclesia.

168. *Adversantur* huic assertioni plurimi imprimis theologi *protestantes liberales,* qui, uti Iesum pro mero homine habent, ne illud quidem ei concedunt, ut de relatione suae doctrinae ad V^us T^um cogitaverit atque quaestionem, quam hisce movemus, perceperit. *E. Klostermann* contendit Christum de facto sibi contradicere, quatenus ex altera quidem parte consideret libros V^is T^i tamquam Dei verbum atque absolutae auctoritatis, ex altera autem parte proferat doctrinas, quae clare cum Lege vetere pugnent. Christum autem has antinomias non perspexisse ut tales. — *E. Grafe* breviter describit relationem ad V^us T^um; Christum noluisse abrogare Legem, sed persuasum habuisse formas eius sufficere doctrinae

suae novae. Dein vero inquirit Grafe in sententiam primaevae Ecclesiae, quidnam Paulus aliique auctores N^{i} T^{i}, quidnam aetas apostolis posterior censuerint. Paulus reicit V^{us} T^{um} ut religionem, retinet autem eius documenta, libros canonicos V^{is} T^{i}, ut bonos et utiles. Hanc viam secuti sunt scriptores posteriores. — *A. Harnack* disseruit de effato Christi Matth. 5, 17 eiusque expositione usque ad annum fere 200. Christum ipsum problema non agnovisse, quod in propriis suis verbis lateat; paulatim tandem sensum eius perceptum esse [2].

Indirecte assertionem nostram impugnant qui V^{us} T^{um} totum *reiciunt* tamquam religionem aliis inferiorem, ut *antisemitae* qui vocantur; hi nimirum progredientes ex principiis vel oeconomicis vel ethnologicis proclamant *arismum,* reiciunt *semitismum;* hinc respuunt religionem mosaicam; contendunt Christum non fuisse Semitam et Israelitam, sed ariae stirpis; reiciunt etiam religionem christianam et propugnant religionem *nationalem* (nationalismum et paganismum resuscitatum). — Alii autem non eo usque procedunt, ut absolute negent valorem V^{is} T^{i}, attamen excludunt libros V^{is} T^{i} quippe qui sint libris sacris N^{i} T^{i} inaequales, *ex canone* christiano [3]. — Refutatio tamen horum placitorum spectat ad *Introductionem* in V^{us} T^{um} et ad Tractatum de canone librorum sacrorum.

Exegesis porro est, paucis saltem ostendere, quo gradu *adventistae* et *russeliani* („coetus internationalis eorum, qui serio inquirunt in bibliam") destituti sint omni scientifico fundamento; qui scilicet non solum exspectant et praedicunt parusiam mox venientem Christi, sed etiam plures doctrinas christianas negant aliasque, ex V^{e} T^{o} assumptas et iamdudum abrogatas, adhuc valere putant, ut e. g. observationem sabbati, ciborum, decimae solvendae. Sed satis erit hoc loco eorum doctrinas nominasse [4].

169. Quaestio, quam movemus hac in assertione, de relatione inter Legem veterem et novam, non nostris demum diebus discussa est, quin potius ab initio Ecclesiae, ab ipso iam Petro decisa fuit. Neque enim inde fere ab initio religionis christianae defuerunt qui Legi veteri nimiam quandam observantiam praestarent, inde scilicet a *iudaistis,* cum quibus *Paulus* luctari debuit, inde ab *ebionaeis* et illis adversariis, quos *Ignatius Martyr* impugnat. Neque deerant, qui totum V^{us} T^{um} et religionem mosaicam penitus reicerent, ut *Marcion.* Hinc iam *epistula* quae dicitur *Barnabae,* apologetae christiani, sicut *Iustinus* (in *Dialogo cum Tryphone*), *Irenaeus* (in opere suo *Adversus haereses*) agebant de hac quaestione. Ex Patribus temporis sequentis imprimis commemorandus est *Augustinus,* qui in controversia cum *Hieronymo* sententiam nunc communem in theologia catholica defendit [5]. Testes huius consensus sunt *Thomas,* princeps scholasticorum in prima periodo scholasticae florentis, *Suarez, Bellarminus* aliique duces in altera periodo [6]; auctores recentiores hanc quaestionem inserunt vel tractatibus dogmaticis ut *Pesch, Straub,* vel theologiae fundamentali ut *Wilmers, Ottiger,* alii [7].

Modus procedendi, aliquatenus alius ac in ceteris assertionibus servatur, indiget explicatione. Ut scilicet clarius constet de habitudine Iesu ad Legem veterem, in *parte* quadam *praevia* inquirimus in capita principalia et fundamentalia V^is T^i, non eo quidem fine, ut omnia enumeremus, sed ut ostendamus haec *saltem* ut essentialia et necessaria a Iudaeis considerata esse adeo, ut, qui ea reiecerit omnia, iam non religionem mosaicam tenere dicendus sit. In parte deinde *altera* Christi relationem ad V^us T^um ex ipsius verbis exponemus.

Pars I (praevia). **Quaenam secundum documenta Iudaeorum fuerint Veteri Foederi essentialia, quaenam Iudaeorum de duratione Foederis persuasio.**

170. Huius igitur partis erit, ope testimoniorum et sacrorum et aliorum decidere, (1) quaenam certe et indubitanter ad *essentiales* partes religionis mosaicae pertineant et (2) quaenam sententia viguerit de *stabilitate* et *duratione* (perennitate) Veteris Foederis.

1. De partibus Legis Veteris essentialibus.

a) Secundum *libros sacros.* — Secundum libros V^is T^i sacros ad capita essentialia V^is T^i pertinent *circumcisio*, ut signum externum Foederis, quo membra Regni Dei veteris initiantur; *cultus* Iahve tamquam Deo vero unico exhibitus, qui complectebatur caeremonias in *templo* peragendas atque imprimis sacrificia, celebrationem *sabbati* et festorum, *puritatem* leviticam; *segregatio* et separatio ab aliis gentibus. Non quidem contendimus haec omnia esse auctoritatis et ponderis aequalis; nam segregatio a Iudaeis in dispersione degentibus certe non perfecte observari potuit; templo porro destructo post eversionem Ierusalem priorem (anno 586 a Chr.) eo ipso cessarunt sacrificia, neque tamen religio israelitica; attamen manebat semper obligatio, quae rebus secundis reviviscebat.

Ipsum *instrumentum* iam Foederis exhibet haec capita. α) Et *circumcisio* quidem iam Abrahae in pacto praevio praescripta est (Gen. 17, 10 sqq.), ita, ut de gente exstirpandus sit, qui non circumcisus fuerit. Sichemitae possunt intrare in familiam Iacob, si hunc ritum admittunt (34, 15 sqq.). Idem valet de populo Israel; pascha edere nequeunt nisi circumcisi (Ex. 12, 44). Praeceptum est, ut omne masculinum circumcidatur die octavo post nativitatem (Lev. 12, 3). — β) De *cultu* vero valent haec: De tabernaculo portatili agunt Ex. 25—27; de sabbato 20, 8 sqq. et 23, 12, ubi praecipitur eius sanctificatio. Postea autem (31, 12 sqq.) declaratur ut signum Foederis: „omnis, qui fecerit

opus in hac die, morietur" (31, 15; cf. 35, 2). Accedunt praecepta de *puritate* levitica, qua scilicet populus Deo maneat sacer, ut „regnum sacerdotum gentisque sacrae" (Ex. 19, 6; cf. Lev. 11, 1 sqq. de animalibus mundis et immundis et alia). — γ) Ut denique *segregati* ab aliis populis ipsi Deo soli serviant, debent delere urbes et gentes cananaeas in terra promissionis habitantes, ne videlicet inficiantur eorum idololatria et sceleribus pessimis (Ex. 34, 11 sqq. Deut. 7, 1 sqq.). Ita provisum erat monotheismo et praparationi Foederis Novi.

171. Ex textibus innumeris *temporis posterioris* pauci quidam eligantur. De *circumcisione* cf. Ier. 9, 24 sq.; Iudith 14, 6; 1 Mach. 1, 16 51 60 sq.; 2, 46; 2 Mach. 6, 10; Eccli. 44, 21; — de *templo* in pluribus libris frequentissime est sermo, tum in historicis (e. g. 3 Reg. 8, 23 sqq.: oratio Salomonis in dedicatione templi), tum in poeticis (e. g. Ps. 67 83 sq. 86, alii), tum in propheticis (e. g. Ez. 24, 21; 40, 1 sqq. de templo futuro; cf. Agg. 1, 1; Zach. 6, 9 sqq.; Mal. 1, 6 sqq.); de *sabbato* (Is. 56, 2 4 6. Ez. 20 12 20 24. 2 Esdr. 10, 31; 13, 15 sqq. Iudith 8, 6); — *separatio* populi ab aliis maxime effertur in libris Esdrae et Nehemiae, e. g. 1 Esdr. 9, 1 sqq.; 10, 1 sqq. 2 Esdr. 9, 1 sqq.

Quoad nostrum scopum peculiaris momenti sunt libri *iuniores* canonici, qui haec capita principalia ad instar fere *catalogi* enumerant. In priore libro Machabaeorum narratur consilium Antiochi, ut uniret gentes regni sui vinculo eiusdem culturae et eiusdem religionis. Et reliquae quidem gentes oboedierunt regi, atque etiam non pauci in Israel „consenserunt servituti suae" (1, 45), scilicet: „Sacrificaverunt idolis et coinquinaverunt sabbatum" (1, 45). Insuper rex prohibuit „holocausta et sacrificia . . . celebrari sabbatum et dies sollemnes; et iussit coinquinari sancta . . . et immolari carnes suillas et pecora communia; et relinquere filios suos incircumcisos et coinquinari animas eorum in omnibus immundis et abominationibus, ita ut obliviscerentur Legem et immutarent omnes iustificationes Dei" (1, 47—51). Quibus verbis essentialia Legis enumerantur: Ipsa Lex tollitur, si pueri iam non circumciduntur, si sabbatum non observatur, si leges puritatis leviticae contemnuntur atque ita omnes limites inter Israel et alias nationes tolluntur; eo ipso religio mosaica aboletur, secundum sententiam Iudaeorum et regis Antiochi. Cuius mandata, ut observarentur a Iudaeis, sub poena mortis imposita sunt: Duas mulieres, delatas „natos suos circumcidere . . . infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros praecipitaverunt. Alii vero . . . latenter sabbatum diem celebrantes . . .

flammis succensi sunt . . ." (2 Mach. 6, 10). Ipsi inimici agnoverunt fidelitatem Iudaeorum in observatione sabbati; nam scientes Iudaeos die sabbati arma non gerere, hoc ipso die eos aggressi sunt eosque inermes sine resistentia occiderunt (1 Mach. 2, 29 sqq.); postea quidem Machabaei constituerunt, etiam sabbato contra hostes dimicare (2, 40 sq.; cf. 2 Mach. 5, 25; 6, 6 11; 8, 26 sqq.; 12, 38). Eleazarus, legisperitus, vir canitie venerabilis, potius mortem subiit, quam ut leges puritatis transgrederetur et carnes porcinas comederet (2 Mach. 6, 18 sqq.).

172. b) Secundum libros *extracanonicos*. — Testimonium librorum sacrorum canonicorum confirmant testimonia alia, opera sive *iudaica* (apocrypha et rabbinica) sive *ethnica*.

Praeter *Oracula Sibyllinica* (III 286 sqq.; 719 sqq.; cf. n. 65) imprimis commemorari debet *liber Iubilaeorum* (n. 63 67), qui enumerat summa capita religionis mosaicae: („Iudaei) sese avertent ad deos alienos . . . obliviscentur omnia mandata mea . . . et occidentur ab inimicis suis . . ., eo quod dereliquerunt ordinationem meam, praeceptum meum et festa Foederis mei et sabbata mea et ea quae mihi sunt sacra . . . et tabernaculum meum et sanctuarium meum; . . . et solvent neomeniam, sabbatum, festa, iubilaea et ordinem" (1, 8 10 14). — *Psalmi Salomonis* praedicant puritatem gentis sacrae eiusque separationem ab aliis nationibus in terra sancta (cf. Ps. 17; n. 63 69). — *Testamentum Levi* (18; cf. n. 63 68) templum futurum, *Assumptio Mosis* circumcisionem (8; cf. n. 63 71) et fidelitatem erga Legem, *Apocalypsis Baruch* gloriam Ierusalem et templi (4, 2; 11, 1 sqq.; cf. n. 63 73).

Scripta *rabbinica* et documenta *liturgica* eadem elementa exhibent. *Schemone esre* excitat spem salutis messianicae, quae Ierusalem restituet (cf. n. 64 75). In *Mischna* vero agitur de singulis capitibus enumeratis. Duo scilicet ex sex „ordinibus" *(seder)* agunt de cultu; de sabbato speciatim „tractatus" *(masikthoth)* schabbath, erubin, beza (seu jom tob) ex secundo seder; de circumcisione schabbath (19, 1—5) et pesachim (8, 8) ex secundo seder, edujoth (5, 2) ex quarto seder; de puritate levitica eiusque legibus agunt 12 tractatus, totus seder sextus, cuius primus tractatus (kelim 1, 1—4) initio enumerat species principales impuritatis. — Quae omnia, compendiose fere dixeris, comprehenduntur in *Iustini* Dialogo cum Tryphone; *Trypho* videlicet christianis crimini dat, quod vitam suam non segregent a gentilibus, quod porro nec ferias nec sabbata servent, quod denique neque circumcisionem habeant, atque ita Foedus contemnant (Dial. 10). Alio loco (46) interroganti Iustino, quaenam ex Legis mandatis tunc temporis observari possint, respondet Trypho agnum quidem paschalem Iudaeos non iam posse comedere, cum omnes oblationes propter templi destructionem sint impossibiles; cetera vero etiam tum fideliter custodiri, nimirum „sabbata peragere et circumcidi et menses observare et ablui (baptizari), si quid a Mose prohibitum attigeris vel in concubitu fueris". Haec igitur ad essentiam religionis israeliticae pertinere Iudaeis tunc temporis viventibus persuasum erat[8].

173. In his porro capitibus consenserunt *variae Iudaeorum sectae* tempore Christi exsistentes, licet alioquin recederent a traditione pharisaeorum et rabbinorum; ita *esseni* scrupulose observabant leges puritatis et celebrationem sabbati; soli Iudaei, circumcisi, ut membra admitti possunt[9]. *Samaritani* proprium quidem templum in monte Garizim aedificaverant, sed circumcisionem et observationem sabbati retinuerunt[10]. *Statuta Novi Foederis* (cf. n. 70) efferunt Legem quam maxime, intendunt eius observationem quam accuratissimam; speciatim inculcantur leges puritatis et sabbati (10, 14 sqq.). Non obstante separatione sacrificant in templo hierosolymitano (11, 17 sq.).

Scriptores dein *hellenistici* Iudaeorum, imprimis *Philo* et *Iosephus,* haec eadem elementa ut praecipua exponunt suis lectoribus, etiam ethnicis. Et *Philo* quidem agit de templo, de sabbato, de circumcisione, de puritate legali in propriis scriptis, eademque capita principalia in aliis quoque libris attingit (cf. Leg. ad Caium 23 sq. 44 sq.); *Iosephus* autem data occasione singula affert; ita in historia *Belli Iudaici* (6, 2, 1) narrat, die demum decimo septimo mensis Panemi, cum iam fames in extremum crevisset, sacrificium perenne (tamid) desiisse penuria virorum, magno dolore Iudaeorum; sabbatum a Iudaeis rigorose colendum esse supponit ut omnibus lectoribus etiam ethnicis notum, ut cum refert in *Vita* (32) Iudaeis legibus vetitum esse sabbato arma gerere. *Contra Apionem* defendit circumcisionem et leges puritatis (I, 32 sq.); rationem circumcisionis se allaturum promisit in *Antiquitatibus* (1, 10, 5). In *Vita* (3) praedicat sacerdotes aliquos Iudaeos, qui, ut causam suam coram Caesare dicerent, a procuratore Felice Romam missi, ibidem „ficis et nucibus vitam sustentarunt", ne scilicet escis immundis contaminarentur[11].

174. Hinc nil mirum, quod religio iudaica eiusque capita principalia etiam extra Iudaeos nota et agnita fuerint; et ex altera quidem parte multi *proselyti,* advenae nimirum ex gentibus, amplectebantur totam vitae rationem Iudaeorum, suscipientes ipsam quoque circumcisionem. *Izates* nempe, princeps Adiabanes trans Tigrim, tempore Claudii simul cum matre sua *Helena* religionem mosaicam accipiens invita matre ipsam circumcisionem admisit, ut penitus Iudaeus fieret (*Ios.* Ant. 20, 2—4). Similiter Idumaei e familia *Herodis,* sicut ipsi circumcisione in communitatem sacram Israel intrarunt, ita postularunt, ut principes, quibus filias in matrimonium darent, circumciderentur; princeps Arabum Syllaeus, qui Salomem, sororem Herodis, ducere volebat, et Epiphanes, filius regis Antiochi Commagenis, ut Drusillam, filiam Agrippae, ducere posset, hunc ritum suscipere obligati sunt (*Ios.* Ant. 16, 7, 6; 20, 7, 1).

Ex altera autem parte haec eadem propria Iudaeorum *inimicis* eorum ansae erant ludibrii et irrisionis et calumniae. Historiographi *(Tacitus, Suetonius, Cassius Dio),* poetae *(Horatius, Martialis, Iuvenalis)* aliique commemorant has Iudaeorum proprietates religiosas: e quibus duo testimonia afferre satis erit. *Iuvenalis* (Sat. 14, 96 sqq.):

„Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil praeter nubes et caeli numen adorant;

Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges
Iudaicum et discunt et servant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses,
Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
Ignava et partem vitae non attigit ullam."

Tacitus vero (Hist. 5, 4): „Sue se abstinent memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otio placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit. Dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum . . . adversus omnes alios hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus . . . alienarum concubitu abstinent. . . . Iudaei mente sola unumque numen intellegunt. . . ." — Quibus verbis simul capita praecipua religionis iudaicae, et simul via indicatur, qua ex gentibus plures in dies ad plenam observationem Legis mosaicae adducebantur; pater scilicet (si fuerit *„timens"*, proselytus nempe late dictus, qui aliqua e Lege observabat, ut celebrationem sabbati), filium suum saepe, ut integram Legem cum circumcisione susciperet, movit[12].

2. Quaenam sententia tempore Christi viguerit de duratione, scilicet de perennitate vel abrogatione, Veteris Testamenti.

175. Quaestio ita posita in praecedentibus, partim saltem, iam soluta est; aliis scilicet fontibus de mutatione Legis eiusque abrogatione tacentibus, aliis, sicut *Tryphone* in *Dialogo Iustini*, easdem negantibus. Et re quidem vera Iudaei, tempore Christi viventes, sub influxu pharisaeorum et scribarum videntur Legem considerasse ut perennem et perpetuo duraturam, atque pactum, quod Deus in monte Sinai cum Israel inierat, tamquam irrescindibile. *Novum* autem *Foedus*, de quo haud raro prophetae tamquam futuro loquuntur, interpretati sunt ut continuationem et renovationem Foederis sinaitici, sensu forte et spiritu novo et perfectiore observandi. Quod ut clarius appareat, videamus, si placet, prius textus prophetarum, qui agunt de novo vel de sempiterno Foedere, dein colligamus, quae in documentis extracanonicis de exspectatione Novi Foederis vel de perennitate sinaitici inveniri possunt.

176. a) De Foedere Novo in *libris canonicis* V^{is} T^{i}. — Diserte Novum Foedus, et quidem futurum, praedicit *Ieremias*. Venient dies, in quibus Iahve feriet cum Israel Novum Foedus, „non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum (in monte Sinai) . . . quod irritum fecerunt . . . Dabo Legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum et

ipsi erunt mihi in populum; . . . omnes enim cognoscent me . . . propitiabor iniquitati eorum et peccati eorum non memorabor amplius" (31, 31—34). Atque sollemni formula confirmat veritatem verborum suorum, quae stabunt sicut elementa mundi. „Si defecerint leges istae (elementorum mundi) coram me, dicit Dominus (Iahve), tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus" (31, 36). Haec quidem promissio a *Paulo* et a prima Ecclesia agnita est ut *messianica,* quae nimirum annuntiaverit Foedus *Novum* a Christo institutum (Rom. 11, 27. Hebr. 8, 8 sqq): at non omnes Iudaei hunc sensum invenerunt. Nam licet Ieremias clare indicet „arcam Testamenti Iahve" omni valore in Novo isto Foedere destitui (3, 16), licet moneat Israel, ne, caeca quadam et falsa fiducia permotus, opinetur „templum Iahve" salvaturum esse populum delinquentem contra Legem Iahve (7, 1 sqq.), potuit tamen quis cogitare congregationem Israel, de qua vates loquitur (32, 40; 50, 5), respicere solum Israel, et pactum, quod Iahve cum congregatis feriet, non esse nisi instaurationem Veteris Foederis, quod culpa Iudaeorum irritum evaserat. Atque simili modo textus aliorum etiam prophetarum a Iudaeis exponi potuerunt, licet non sine difficultate. — *Isaias* enim loquitur de Foedere sempiterno (55, 3; 61, 6 sqq.), de misericordia Iahve sempiterna erga Israel (54, 10), de spiritu Iahve, qui non recedet ab Israel in sempiternum (59, 21; cf. 60, 21). — *Ezechiel* deinde vaticinatur de novo spiritu, quem Iahve indet populo suo (11, 19; 18, 31; 36, 24 sqq.), de misericordia sempiterna Iahve erga Israel (39, 29), de pacto pacis, quod inibit Iahve cum Israel (34, 25), sempiterno (37, 26), et quidem recordatus Foederis Veteris (16, 60 sqq.). Pactum denique sempiternum commemoratur a prophetis *Baruch* (2, 35) et *Osee* (2, 16 sqq.).

Omnes itaque loci, qui de pacto futuro, messianico, agunt, apte quidem et aptissime intelleguntur de Foedere Novo, quod Deus inibit cum hominibus; immo sunt textus, qui diserte praedicunt contractum novum, saltem quoad *actum iuridicum* et *quoad bona,* quae Deus populo suo vi huius novi contractus elargietur; attamen non tam clare, via mere historica, erui posse videtur, num pactum illud novum sit etiam *quoad substantiam,* quoad partes scilicet essentiales Foederis sinaitici. Haec demum in luce impletionis cum certitudine cognoscebantur; Iudaei autem longe plurimi ab idea Novi Foederis, quod abrogato Vetere valeret, prorsus alieni fuisse videntur.

177. b) Testimonia *extracanonica* quid de exspectatione Novi Foederis exhibeant. — Lex et Foedus considerabantur ut completa et perfecta

neque alterationis neque augmenti neque abrogationis capacia. Orationes iam *Schema* et *Schemone esre* (cf. n. 64 75), cotidie recitandae, foverunt ideam Foederis sempiterni; *scribas* autem, quibus succedebant *rabbini*, eandem persuasionem habuisse et propagasse ex ipsorum scriptis constat. *Trypho,* cum quo *Iustinus* disputat in *Dialogo* suo, miratur, quod christiani non observent Legem mosaicam. Respondet Iustinus a prophetis praedictum esse Foedus Novum (Is. 51, 4 sq. Ier. 31, 31 sq.). Tryphonis quidem reponsum Iustinus non affert, sed clare elucet illum considerare pactum sinaiticum ut absolutum et definitivum (*Dial.* 10 sqq.). *Mischna* dein, codex iuris rabbinici, non agit nisi de Lege vetere, quam absolutam esse supponit. Ita in tractatu *Pirqe abôth* (‚effata patrum', scilicet rabbinorum et scribarum maioris auctoritatis) nucleus omnis sapientiae est Lex (thora), eius applicatio ad dirigendam vitam religiosam et moralem est fundamentum et perfectio omnis sapientiae. Inter tres „coronas", quae enumerantur, corona Legis praecedit coronam sacerdotii et coronam regni. Hinc nil mirum, quod rabbini in hoc mundo iam nil novi exspectent et nil desiderent, sed spem ponant in altera vita: „Discipuli Abrahae fruuntur bonis huius vitae et hereditabunt mundum futurum." Conclusio tandem totius tractatus est haec sententia: „Verte eam (Legem) huc et illuc; omnia enim in ea contenta sunt; inspice in eam, senesce cum illa, neque ab ea recede; melior enim regula (canon) non tibi dabitur." In *Talmud* autem positive omne novum foedus excluditur: „Nulla est differentia inter hoc saeculum et dies Messiae, nisi in eo quod reges ei servient" (bab. Berackoth 34 b), i. e. potestas politica transferetur quidem ad Iudaeos; in *religione* vero nil mutabitur. Nova *doctrina* reicitur alio loco: „Israel non indiget instructione messianica; nam dictum est: nationes (gojîm) eum quaerent" (Is. 11, 10) (bereschith rabba)[13]. Quibus verbis optime consonat effatum rabbi *Jochanan ben Zakkai,* qui aequalis fuit apostolis atque eodem tempore Hierosolymis docuit: „Si habes in manu surculum (quem plantaturus es), atque tibi nuntiatur ‚En Messias adest!' prius planta surculum (arboris); dein vade et excipe eum (Messiam)!"[14]

Quae cum ita sint, facile perspicitur dispositionem Iudaeorum et praecipue pharisaeorum et legisperitorum, ducum nempe populi religiosorum, novae religioni et doctrinae Novi Foederis minime favere. Porro explicatur, curnam pauci admodum ex Iudaeis Christum ut Messiam agnoverint, pauci tantum praedicationem apostolorum acceperint. Intellegitur denique, curnam Christus in exponenda doctrina sua, et imprimis in annuntiando Novo Foedere, nisi inde ab initio omnium mentes alienare a se voluerit, caute et discrete et gradatim procedere debuerit. De hoc modo procedendi iam erit sermo in altera parte.

Pars II. **Christus non solum indicavit Vetus Foedus abrogatum iri, sed etiam ipse Veteri Novum Foedus substituit.**

178. Quoniam, ut expositum est in assertionibus primis huius tractatus atque expositum supponitur in tractatu *De Christo*

Legato Divino, opiniones messianicae vulgares erant depravatae, ipse Christus debuit non solum sese declarare Messiam et Regnum suum condere, sed etiam ideas messianicas populi *emendare* et ad *perfectionem* evehere et erigere, prudentem scilicet paedagogum agere. Atque maxime in explicanda indole nova religionis suae cavere debuit, ne Iudaei, offensi abrogatione Legis, penitus ab eius verbis audiendis averterentur. Christus igitur non clare et abrupte inde ab initio annuntiavit Legem mox cessuram esse, neque publice coram omnibus Legem abrogavit, sed in fine demum vitae suae praesentibus solis duodecim apostolis.

Nihilominus non desunt effata Christi neque ex tempore priore, quibus sat clare relationem V^{is} T^{i} ad religionem suam descripsit. Licet enim ipse usque ad finem vitae suae Legem observaverit — quae scilicet morte demum Christi valore suo destituta est — tamen non solum elementa essentialia V^{is} T^{i} cessura esse dixit, sed etiam ipsum populum Israel, cum quo Iahve Foedus sinaiticum pepigerat, reiectum iri praenuntiavit. Quae singula iam consideranda sunt, ita quidem ut videamus: a) *Christum observare quidem Legem,* secundum illud verbum Pauli: „Factum ex muliere, factum sub Lege" (Gal. 4, 4); ex matre sua etenim factus erat membrum et gentis et religionis Israel, quae erat legitima usque ad sacrificium crucis, in qua N^{um} T^{um} initum est. — b) Simul autem Christus variis modis indicavit *V^{us} T^{um},* utopte praeparationem dumtaxat, typum atque umbram Foederis futuri et definitivi, *in ipso Novo Foedere finem habiturum esse.* In ultima demum coena, in institutione videlicet sacrificii perennis eucharistici, quo anticipavit sacrificium cruentum, *N^{um} T^{um} condidit,* atque eo ipso *V^{us} T^{um} abrogavit.* Quam fuisse mentem et intentionem Christi *consensus Ecclesiae* primaevae clarissime comprobat (Scholion).

Hac via solvuntur *„antinomiae",* quas multi ex protestantibus liberalibus inveniunt in doctrina Christi; hac via etiam intelleguntur plura verba Christi, quae in se fortasse et seorsum considerata possint esse ambigua, at in contextu ceterorum sensum suum pandunt.

A. Christus agnoscit et observat Legem mosaicam.

179. 1. Christus implevit „omnem iustitiam" (cf. Matth. 3, 15). *Infans* circumciditur octavo die secundum Legem (Luc. 2, 21), sistitur Domino in templo secundum Legem (2, 22 sqq.); puer ascendit ad templum secundum Legem (2, 41 sqq.). Etsi haec facta sint vel a parentibus Christi, vel sub eorum influxu, certe hoc ostendunt: Christum prodiisse ex familia Legi quam maxime addicta; hinc ipse praesumi potest eodem spiritu duci in vita sua publica.

2. Atque ita est; Christus enim tum verbis suis tum modo suo agendi *agnoscit omnes auctoritates,* quae a Iudaeo timoratae conscientiae agnoscebantur: sive libros sacros, sive praecepta et instituta Legis, sive praerogativas populi Dei.

Agnoscit enim *libros* V^{is} T^{i} ut sacros et verbum Dei; in sermone scilicet montano pluries repetit: „Audistis quia dictum est" (Matth. 5, 21 27 31 33 38 43); textus messianicos allegat ut veridicos (Matth. 11, 10; 13, 14 sq.; 15, 8 sq.; 21, 16 42; 22, 44; 24, 15; 26, 31. Luc. 4, 18 sq.; 22, 37. Io. 6, 45; 7, 38; 13, 18; 15, 25), e quibus sibi ipsi plures applicat (Luc. 4, 18 sq. Matth. 21, 42. Luc. 22, 37. Matth. 21, 42; 22, 43 sq.; 26, 31 64)[15].

Agnoscit deinde *Legem* eiusque *praecepta,* et quidem *circumcisionem* (Io. 7, 23), *sabbatum* (Matth. 12, 1 sqq. Io. 5, 16 sqq.; 7, 21 sqq.), *templum* (Matth. 5, 35; cf. 23, 16; 17, 24: didrachma solvenda; 21, 12 sqq.: „domus Dei"; Io. 2, 13 sqq.: eicit vendentes e templo), *festa* (Io. enumerat fere festa[16], quae Christus celebrat Hierosolymis: 2, 13 sq.; 5, 1; 7, 14). Legis denique ipsius *valorem* (Matth. 15, 3; 19, 17; 22, 37 sqq.; 23, 23; cf. Io. 10, 35), immo auctoritatem religiosam et doctrinalem *sacerdotum* et *scribarum* (Matth. 8, 4: „Ostende te sacerdoti!" 23, 2 sq.: „Super cathedram Mosis sedent scribae et pharisaei; omnia ergo, quaecumque dixerint vobis, servate et facite!" 26, 63 sq.: Iesus respondet summo sacerdoti interroganti de dignitate messianica; cf. Io. 18, 23).

Agnoscit denique *praerogativas* Israel tamquam populi electi, tum modo suo agendi (e. g. Matth. 15, 24: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel; cf. *Ass. 8*), tum disertis verbis; Iudaei nempe sunt „filii Regni" (Matth. 8, 12; 15, 26 sq.; alii sunt catelli); salus ex Iudaeis, non ex Samaritanis venit (Io. 4, 22): Israel est „semen Abrahae" (Io. 8, 33—41), verum „ovile" Dei, ex cuius ovibus primarie novus grex congregandus est; aliae deinde gentes adducendae erunt (Io. 10, 16).

180. 3. Christus exponit *relationem,* quae intercedit *inter Vetus Foedus* et *novum Regnum Dei,* a se condendum.

Licet enim V^{us} T^{um} institutum sit ab ipso Deo atque ideo maximae auctoritatis, non tamen est absolutum et definitivum. Exspectatio messianica, salutis scilicet plenae, quam Iahve populo suo daturus est per „Unctum" suum ex stirpe David regia, optime hanc indolem V^{is} T^{i} praeparatoriam et promissivam exhibet. Neque Iesus Christus, licet valorem V^{is} T^{i} plene agnoverit, ullo umquam tempore eum ut definitivum declaravit, quin potius inde ab initio praedicationis suae publicae clare indicavit fore ut, adimpletis

omnibus typis, promissionibus, vaticiniis V^{is} T^{i}, novum iam Regnum Dei erigeretur. „Lex et prophetae usque ad Ioannem" Baptistam (Luc. 16, 16; cf. Matth. 11, 12); omnes enim de Christo scripserunt, sicut Christus de Mose dicit: „De me enim ille scripsit" (Io. 5, 46). Cum ipso, Christo, advenit Regnum Dei; quicumque Christum sequitur, intrabit in illud; quicumque bonae voluntatis inquirit in veritatem a Christo annuntiatam, „non est longe a Regno Dei" (Marc. 12, 34), sicut scriba ille, qui Christum interrogavit de magno mandato.

Textus, qui ut *classicus* hac in quaestione consideratur, est effatum Christi, quod introducit explicationem Christi de Lege Mosis perficienda. Matth. 5, 17: „Nolite putare, quoniam veni solvere Legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis: donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a Lege, donec omnia fiant." Cui correspondet verbum Christi in EvLuc. 16, 16 sq.: „Lex et prophetae usque ad Ioannem; ex eo Regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. Facilius est autem caelum et terram praeterire, quam de Lege unum apicem cadere."

181. a) *Contextus* versuum. — „Beatitudines" constituunt quodammodo principia legislationis Regni Dei novi, quod Christus annuntiavit. Nunc iam urget quaestio, quomodo haec principia totaque legislatio, ipsum denique Regnum Dei novum se habeat ad V^{us} T^{um}. Cui respondet forma negativa versus 17: „Nolite opinari me venisse, ut solverem Legem et prophetas . . ." — Numquid igitur legislatio Veteris Foederis manet in valore? Numquid eadem erit in Novo Regno Dei?

Respiciendae sunt, ut hae quaestiones solvi queant, partes sermonis, quae immediate sequuntur; clarum est Matth. 5, 17—48 secundum intentionem auctoris formare unum quid litterarium, constans duabus e partibus. *Altera pars,* prior, est brevior, generalis potius (5, 17—20); altera, longior, continet sex casus particulares, applicationes eas dixeris, principii generalis antea statuti. Licebit igitur ex hac conexione atque ex indole applicationum concludere ad sensum principii generalis.

Iamvero applicationes iliae non solum Legem mosaicam novo spiritu impleri volunt, sed et novas obligationes imponunt (ut quoad praeceptum quintum: 5, 21 sqq., et sextum-nonum: 5, 27 sqq.) et indulta aliquando a Deo populo Israel concessa revocant, ut libellum repudii (5, 31 sqq.) et ius talionis (5, 38 sqq.). Ratio indicatur Matth. 19, 8: „Quoniam Moses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit

sic." Christus igitur simul agnoscit Legem mosaicam ut divinam, simul autem eam non esse absolutam declarat. Hoc igitur sensu etiam intellegi debent verba introductoria, Matth. 5, 17 sq.

182. b) *Sensus* verborum. — Disputatur imprimis de sensu verborum solvere (καταλῦσαι) et implere (πληρῶσαι), quae sunt correlata. *Solvere* legem est idem ac eius vinculum seu eius obligationem et valorem iuridicum tollere et irritum facere, idem ac eam abrogare. Quo autem sensu Christus negat se velle abrogare Legem? Sensus erui debet ex altero verbo: implere. *Implere* (πληρῶσαι) potest significare satisfacere (Matth. 3, 15: Christus respondet Baptistae: „Decet nos implere omnem iustitiam"), vel potest significare vaticinium aliquod exsequi, sicut saepe (Matth. 1, 22; 2, 15 23; 4, 14 etc.). Utraque explicatio de se apta videtur esse quae adhibeatur: Lex impletur, et prophetiae implentur; attamen sensui Christi, attento contextu, non satisfaciunt. Impletio enim, de qua Christus loquitur, est amplior et altior, utrumque sensum expositum complectens, sed etiam excedens, quae nimirum Legem *ad perfectionem adducit* atque ita prophetias implet et absolvit. Lex igitur non plane tollitur, sed impletur modo eminentiore, quatenus V^{us} T^{um}, ut status praeparationis, perdurat quodammodo in novo Regno Dei, quod praefiguravit, annuntiavit, praeparavit.

Atque haec videntur exprimi versu subsequenti (5, 18): „In veritate vobis dico: Donec transeat caelum et terra, non transibit iota unum neque corniculus unus quidem de lege, donec omnia facta (impleta) sunt." Tota nempe Lex Vetus ad id a Deo data est, ut inserviat Regno Dei venturo, absoluto et perfecto, in quo suam impletionem habebit; sub hoc respectu Lex Vetus numquam peribit. Sed huic valori relativo non obstat eius abrogatio iuridica, ita ut omni iam auctoritate in novo Regno Dei destituatur. Immo talis abrogatio postulatur ab ipsa eius indole praevia et praeparatoria.

Hisce igitur verbis Christus indicat *nexum,* qui exsistit *inter Vetus* et *Novum Testamentum.* V^{us} T^{um} est opus Dei, ut tale maximi valoris, immo valoris perennis, quia debuit praefigurare et praeparare religionem definitivam et absolutam Novi et aeterni Testamenti, in qua quadamtenus perdurat. Hoc autem fine (praeparationis) impleto eo ipso destituitur suo valore iuridico et formali: umbram secuta est veritas [17].

183. Difficilius exponuntur *versus sequentes 5, 19—20;* ipsi interpretes in varias partes abeunt. „Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur

in Regno caelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in Regno caelorum. Dico autem vobis: Quia, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in Regnum caelorum." Duae imprimis sunt sententiae sibi adversantes; et altera quidem contendit hos versus non interne et logice cohaerere cum praecedentibus, sed *„associative"* tantum, i. e. ope alicuius termini vel vocis, quae in mente scriptoris similem vocem vel ideam cognatam excitaverit; haec vox media est *solvere* [18]. Hi igitur exegetae possunt sensum horum verborum quaerere nullo respectu habito ad versus 17 et 18. Alii autem defendunt nexum *logicum* totius sermonis, vel ita ut referant verba Christi ad mandata Legis Veteris adhuc vigentis, vel ita ut inculcari velint fidelitatem erga mandata etiam minima, vel ita ut asserant Christum vetare, ne quis parvi pendat minimam quamque pericopam V^{is} T^{i}, quippe quae habeat suam significationem et utilitatem eamque etiam in N^{o} T^{o} retineat [19].

Si consideratur versus 20, coniunctus cum praecedenti particula *nam* (γάρ), sensum horum duorum versuum (5, 19—20) forte ita definire licet, ut dicatur esse *proxime* sermonem de adimpletione *Legis tunc vigentis,* i. e. V^{is} T^{i}, quae etiam in minimis observanda est, non quidem more legisperitorum et pharisaeorum, „hypocritarum", qui „dicunt et non faciunt" (Matth. 23, 3), et „omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus" (23, 5), aliis magna onera imponunt, quae ipsi ne digito quidem volunt movere (23, 4); sed mente sincera, ex amore filiali Dei. Id quod ex natura rei deinde transferri oportebit ad legem Novi Foederis, quod etiam magis regitur spiritu caritatis Dei.

B. Christus abrogavit Vetus Foedus et Novum instituit.

In hac parte ita procedimus, ut (I) colligamus ea, quae quocumque modo indicant Veterem Legem valori suo destitutum iri, dein (II) transeamus ad institutionem Novi Foederis, qua Vetus abrogatum est.

I. Christus variis modis indicavit Vetus Foedus abrogatum iri.

184. 1. Christus *reicit spiritum,* quo tunc temporis Lex a pharisaeis et legisperitis implebatur. Severe nimirum Christus carpit pharisaeos, duces religiosos populi, quia munus suum non solum neglegenter peragunt, sed etiam in perniciem populi. Desunt enim sicut mercenarii (Io. 10, 12 sqq.) officio suo, ita ut Israel careat pastoribus (Matth. 9, 36); specie tenus sunt prophetae, sed in veritate lupi rapaces, qui abutuntur auctoritate doctrinali

sua (7, 15), generatio adultera, quae non Deo vivit sed sibi (12, 39), quae adulterat verbum Dei traditionibus suis humanis, quas praefert Legi divinae (15, 3). Ita doctrina pharisaeorum versa est in virus, quod pervadit totam gentem eique parat interitum; „caeci sunt et duces caecorum; . . . ambo in foveam cadunt“ (15, 14); plantatio eradicanda, quia non est plantata a Patre (15, 13). „Dico autem vobis, quia, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in Regnum caelorum!“ (5, 20.)

Ex hoc spiritu perverso partim saltem ortae erant *traditiones* seniorum quae vocantur[20], quas Christus improbat, quatenus obversantur Legi Dei. „Quare nos (inquiunt discipuli Ioannis Baptistae) et pharisaei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?“ (9, 14.) Simili modo scribae et pharisaei Christo dixerunt: „Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant“ (15, 2). — Respondet Iesus tum locis indicatis tum maxime in sermone contra pharisaeos et scribas, quem Matthaeus refert capite 23. In *exordio* (23, 1—12) cavet Iesus, similiter ac Matth. 5, 17, ne false intellegatur verbaque sua contra auctoritatem verti possint. Scribae quidem utuntur vera auctoritate, quia sedent super cathedram Mosis; „omnia igitur, quae (ut tales) dixerint vobis, servate et facite!“ (23, 3.) Si autem ipsi operibus suis doctrinae suae contradicant, nolite eos imitari; „dicunt enim et non faciunt!“ (23, 3.) Multo minus audiendi sunt, si contradicunt Legi Mosis, cuius auctoritate instructi sunt, si scilicet claudunt Regnum Dei ab hominibus eo quod Messiam non agnoscunt (23, 13). et proselytos suos secum trahunt in perniciem (23, 15). Discipuli autem Christi, licet ut „prophetae et sapientes et scribae“ (23, 34) praediti munere docendi, unicum Christum ut magistrum agnoscere debent eiusque verba proponere, non traditiones proprias (23, 8—12). Dein sequuntur septem *vae* super scribas et pharisaeos (23, 13—36) ob eorum hypocrisim, iniustitiam, obstinationem contra Christum eiusque legatos. In *conclusione* denique (23, 37—39) Christus minatur interitum civitatis totiusque gentis. Templum destruetur neque umquam reaedificabitur.

Interim quidem valet adhuc auctoritas scribarum: „Servate et facite!“ et „haec oportuit facere, illa non omittere“ (23, 23), scilicet traditiones ut tales observari possunt, dummodo primum Lex fideliter servetur.

185. 2. Christus indicat Legem abrogatum iri eo quod (a) principia statuit, e quibus haec Legis reiectio necessario sequitur,

et rationem addit, curnam Lex cesset; (b) praedicit ipsum populum Israel ob incredulitatem suam a Deo reiciendum esse.

a) Quidnam Christus dicat de *elementis essentialibus Legis.*

De *sabbato* et de *circumcisione.* — Christus identidem a pharisaeis accusatus est, quod sabbatum non observaret, tum quia eius discipuli sabbato spicas evulserunt (Matth. 12, 1 sqq. Marc. 2, 23 sqq. Luc. 6, 1 sqq.), tum quia ipse sabbato aegrotos sanaret (Matth. 12, 9 sqq. Marc. 3, 1 sqq. Luc. 6, 6 sqq.; cf. 13, 15 sq.; 14, 3). Respondet Christus variis modis, et negando scilicet discipulos sabbatum violasse (Matth. 12, 3 sqq.), et indicando se ipsum posse permittere transgressionem sabbati, „quia maior templo est hic" (12, 6), quin immo „dominus enim est Filius hominis etiam sabbati" (12, 8)[21]. In neutro quidem responso indicatur actualis abrogatio sabbati; nam prius est declaratio authentica, opera necessaria (12, 3 sqq.) vel misericordiae (12, 11 sq.) non contradicere quieti sabbatinae; alterum vero responsum asserit quidem Christum posse vi suae potestatis messianicae sabbatum abrogare, de facto autem nil diserte dicit.

Paulo aliter fortasse intellegenda sunt verba Christi apud Ioannem (5, 16 et 7, 22). Christus, ita narrat Ioannes, sabbato curavit aegrotum 38 annorum (5, 5 sqq.); „propterea persequebantur Iudaei Iesum . . . Iesus autem respondit eis: „Pater meus usque modo operatur, et ego operor" (5, 16 sq.). Inde Iudaei occasionem sumunt novae accusationis, „quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo" (5, 18). Sabbatum autem solvisse Christus dicitur, quia eius fundamentum, requiem sabbatinam Dei (Gen. 2, 2) negarit esse absolutam. Dubitari potest, utrum hoc loco *solvere* (λύειν) significet *neglegere, violare* an vero *tollere, abrogare.* Probabilior videtur esse sententia eorum, qui contendunt accusationem *Iudaeorum* de sola transgressione legis sabbatinae loqui; at haec interpretatio non excludit opinionem *Christum* ipsum quoddammodo huic legi verbis suis fundamentum detraxisse; eum se ipsum verum dominum sabbati declarasse et quidem forma sollemniore quam aliis occasionibus (e. g. Matth. 12, 1 sqq.) omnes concedunt; nam ratio huius dominii est filiatio Christi divina sensu proprio[22].

Post aliquot menses, quibus Iesus in Galilaea degerat, ascendit iterum Hierosolyma, ad festum scilicet tabernaculorum *(sceno-pegiae).* In disputatione, quam in templo cum suis auditoribus habet, sese refert ad miraculum c. 5 narratum: „Unum opus feci, et omnes miramini" (Io. 7, 21). Denuo se vertit contra accusa-

tionem se ista sanatione sabbatum violasse; argumentum autem eius est a minore ad maius. Licet, ait Christus, secundum vestram Legem ipso die sabbati puerum circumcidere, quia lex circumcisionis praecedit legem sabbati; atqui ego sanans hominem die sabbati opus nobilius feci, quoniam „*totum* hominem sanum feci" (7, 23); ergo sabbatum non violavi. — Haec argumentatio sane supponere videtur circumcisionem non considerari ut signum initiationis V^{is} T^{i}, sed praeprimis ut operationem quandam chirurgicam sanantem, minoris valoris quam sanationem corporalem. Atque ideo recte agnoscitur hisce Christi verbis clara annuntiatio, abrogatum iri et hoc signum Foederis et ipsum Foedus[23].

186. *De cultu* et *de templo.* — Christus non solum se dicit maiorem templo (Matth. 12, 6), non solum asserit se utpote Filium Dei esse liberum a tributo, quod Iudaei pro templo solvere debebant (17, 24 sqq.), sed etiam templum simul cum Urbe destructum iri praedicit: „Relinquetur vobis domus vestra deserta" (Matth. 23, 38. Luc. 13, 35; cf. Matth. 24, 2 sqq.; Marc. 13, 2; Luc. 21, 6). „Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum", i. e. usque ad consummationem saeculi (21, 24; cf. Rom. 11, 25). Cum templo autem cultus Iudaeorum finem habebit; „quia venit hora, quando neque in monte hoc (Garizim) neque in Ierusalem adorabitis Patrem . . . quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate" (Io. 4, 21 23), ait Iesus mulieri Samaritanae.

De puritate legali. — Christus, accusatus a pharisaeis, quod discipuli eius non lavent manus antequam comedant, tripliciter respondet. Et primum quidem ipsis pharisaeis et scribis, qui venerant Hierosolymis (Matth. 15, 1): „Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?" (15, 3.) Deinde convocat populum, et statuit principium fundamentale, quod consequenter tollit omnes leges puritatis mere externae et legalis: „Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem" (15, 11). Tertio denique confirmat responsum coram discipulis suis, qui, perterriti ob verba Christi, quae iram pharisaeorum provocatura essent, interrogant Iesum de sensu huius parabolae (15, 12 sqq.). Mala moralia, quae procedunt ex corde hominis, eum malum et immundum reddunt, ait Iesus: „non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem." Terminatur igitur sermo Christi applicatione quidem ad casum particularem, quem pharisaei Christo obiecerant; attamen principium hac occasione a Christo statutum longe ulterius progreditur, quatenus toti legislationi legali subtrahit funda-

mentum. Neque tamen iam hoc ipso tempore haec legislatio a Christo abolita esse dici potest.

De lege morali. — Ipsam legem moralem Christus perficit atque sic indulta populo data tollit, i. e. ea praecise, quae positiva voluntate Dei, per legislationem V^{is} T^{i} manifestata, Israel ut genti Foederis concessa erant (Matth. 5, 21 sqq., imprimis 5, 31: abrogatio libelli repudii; 5, 38: ius talionis; cf. 5, 44: extenditur amor ad ipsos inimicos).

187. *Ratio* autem, curnam haec omnia in posterum non valitura sint, est impletio Legis Veteris, quae et quatenus erat tota quanta praefiguratio et praeparatio Novi Foederis.

Ita transierunt (vel mox transibunt) *institutiones* V^{is} T^{i}: Christus maior est rege Salomone (Matth. 12, 42. Luc. 11, 31) et propheta Iona (Matth. 12, 41. Luc. 11, 32); immo tempus et munus prophetarum, qui cupierunt videre, quae apostoli vident (Matth. 13, 17), praeteriit cum maximo prophetarum, Ioanne (11, 11 sqq.); post servos enim Deus misit Filium suum ad cultores vineae suae (21, 37). Christus denique maior est templo (12, 6) et sacerdotio V^{is} T^{i}.

Prophetiae vero impletae sunt vel mox implebuntur; in Christi scilicet passione „finem habebunt" (Luc. 22, 37). Morte ipsius omnia esse impleta ipse discipulis Emmaus euntibus exponit (24, 27) atque confirmat diserte coram apostolis: „Quae scripta sunt in lege Mosis et prophetis et psalmis (i. e. in tribus partibus V^{is} T^{i}). necesse est impleri omnia" (24, 44). Et vaticinia quidem messianica, quae potissima sunt V^{is} T^{i}, quibusque omnia alia subordinantur, sibi applicat: „Quia hodie (ait nazarethanis) impleta est haec scriptura (Is. 61, 1 sq.; 58, 6) in auribus vestris", qui nimirum audierunt eum „praedicare captivis remissionem et caecis visum . . . annum Domini acceptum et diem retributionis" (Luc. 4, 18 sq. 21). Ipse autem, Messias cum sit, omnia adducet, quae sacri vates de Regno Dei futuro praedixerunt.

188. b) Christus ipse anuntiat *Israel reiectum iri.* — Abrogatio V^{is} T^{i} de se non includit quidem reiectionem populi Israel; nam si populus Iudaeorum intellexisset, „quae ad pacem sibi sunt" (Luc. 19, 42), cum aliis gentibus et prae aliis nationibus ingressus esset in Regnum Dei novum, messianicum. Cum autem, ducibus pharisaeis et legisperitis, Christum repudiaret atque ethnicis traderet, in poenam huius criminis *Regnum Dei* ablatum est ab eis et datum genti facienti fructum eius (Matth. 21, 43).

Pluries Christus hanc reiectionem Israel indicavit, *parabolis de fico sterili* (Luc. 13, 6 sqq.), quae ex contextu ab auditoribus suis de Israel intellegi debuit (cf. Luc. 13, 1 sqq.), etiamsi com-

paratio populi electi cum vinea et fico non esset ipsis familiaris ex V^e T^o. Clarius eadem elucet ex maledictione, quam Christus protulit de fico, ex qua statim arefacta est (Matth. 21, 18 sq.; 20 sqq. Marc. 11, 12 sq. 20 sqq.). Neque solis apostolis suis annuntiavit populi reiectionem, sed ipsis etiam gentis proceribus, in parabola nempe de vinitoribus, cuius sensum ipse explicuit. „Et cum audissent principes sacerdotum et pharisaei parabolas eius, cognoverunt, quod de eis diceret; et quaerentes eum tenere, timuerunt turbam . . .“ (Matth. 21, 45 sq. Luc. 20, 19; cf. Marc. 12, 12). Ex hac porro reiectione Israel intellegitur non solum praeparatio novi fundamenti (super Petrum ponendum: Matth. 16, 16 sqq.), sed etiam instructio peculiaris discipulorum de natura *Regni Dei;* porro verba Christi, quibus vetuit se ipsum ut Messiam annuntiare (Matth. 16, 20) atque loqui de transfiguratione (17, 9); forte etiam parabola de decem virginibus (25, 1 sqq.). Ii, qui primi invitati erant ad nuptias regias, postea excluduntur, quia se ipsi excluserunt: „Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt coenam meam!“ (Luc. 14, 24. Matth. 22, 1 sqq.) „Tunc incipietis dicere: ‚Manducavimus coram te et bibimus et in plateis nostris docuisti‘. — Et dicet vobis: ‚Nescio vos, unde sitis. Discedite a me, omnes operarii iniquitatis!‘“ (Luc. 13, 26 sq.)

Diserte Christus idem dicit saepius aliis locis. In sanatione servi centurionis, cuius fidem admiratur, addit: „Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in Regno caelorum; filii autem Regni eicientur in tenebras exteriores . . .“ (Matth. 8, 11. Luc. 13, 28 sq.). Eadem comminatio adiungitur parabolae de vinicultoribus (Matth. 21, 43). Urbs sancta, „civitas magni regis“ (5, 35), destruetur (23, 36 sqq.) et conculcabitur usque ad consummationem saeculi (Luc. 21, 24).

189. Israel igitur, cum quo unico et solo Vetus Foedus initum erat, reicietur; eo ipso autem Foedus irritum evadet, cessabit, omni valore suo destituetur. Haec autem reiectio non ita intellegitur, ut vel singuli Iudaei vel totus populus Israel a salute excludantur. Nam Christus promittit ipsis pharisaeis se missurum esse „prophetas et sapientes et scribas“, sui scilicet Regni apostolos, quos omni modo persequentur (Matth. 23, 34; cf. 10, 23). Immo apostolis suis praecipit, ut evangelium primum Iudaeis, et quidem palaestinensibus, praedicent, „incipientes ab Hierosolymis“ (Luc. 24, 47. Act. 1, 8). Ita factum est; praedicatio apostolorum exordium sumpsit Hierosolymis. „Vobis primum (ait Petrus) Deus, suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis“ (Act. 3, 26); Paulus vero Iudaeis Antiochiae Pisidiae, evangelio contradicentibus, dicit: „Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes!“ (13, 46.) Paulus

nimirum in singulis civitatibus diasporae prius Iudaeis in eorum synagoga annuntiavit evangelium, deinde ethnicis, licet fuerit „apostolus gentium“ (Rom. 11, 13), qui peculiari missione praeditus erat ad gentes docendas (Gal. 2, 9).

Israel quidem, sicut Hierosolymis praedicationem apostolorum reiecit, ita neque postmodum religionem christianam admisit. Anno circiter 50 Paulus ita consolatur Thessalonicenses: „Vos imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea in Christo Iesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Iudaeis, qui et Dominum occiderunt Iesum et prophetas et nos persecuti sunt et Deo non placent et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salvae fiant . . .“ (1 Thess. 2, 14—16). Et tamen etiam haec Iudaeorum obstinatio adiuvat consilia Dei, quia „illorum delicto salus est gentibus, ut illos aemulentur“ (Rom. 11, 11). Et licet propter incredulitatem „fracti“ sint ex radice sancta (11, 20), tamen iterum iidem inseri poterunt (11, 23); atque ita aliquando fiet. „Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc: . . . quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret; et sic omnis Israel salvus fieret. . . . Sine paenitentia enim sunt dona et vocatio Dei“ (11, 25 sq. 29).

II. Christus instituit Novum Foedus.

190. Simul cum effatis, quibus Christus Vetus Foedus mox cessaturum esse indicat, alia sunt dicta, quae afferunt novam rerum religiosarum condicionem. Quae, licet arcte inter se coniungantur et logico idearum nexu et saepe vinculo etiam eiusdem sermonis Christi, seorsim tamen considerari possunt; complectemur itaque, antequam ad ipsam Novi Foederis institutionem exponendam accedamus, haec Christi verba, quibus Regnum Dei ut novum venturum esse indicat.

1. De indole nova Regni Dei messianici.

191. *Nova* praedicatur Christi *doctrina* a populo: „Quidnam est hoc? quaenam doctrina haec nova in potestate?“ (Marc. 1, 27); inde admiratio populi (Matth. 7, 28. Marc. 1, 22. Luc. 4, 32). *Novus* deinde requiritur *spiritus,* in explendis officiis religiosis (n. 184; cf. quae dicta sunt de Regno Dei ethico in *Ass. 5,* n. 139 sq.). *Nova* denique est *tota rerum condicio* in Regno messianico. Interrogantibus videlicet discipulis Ioannis, cur Christi discipuli non ieiunent, Christus respondet eos, utpote sponsi amicos, non posse ieiunare; postea vero, ablato sponso, ipsos quoque apostolos ieiunaturos esse. Nomen *sponsi* haud obscurum fuit Iudaeo, qui sciverit Iahve saepe in V^{e} T^{o} se vocare sponsum populi sui electi. Dein addit Iesus: „Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. . . . Neque mittunt vinum novum in utres veteres . . .“, quia sic utrumque periret, vestis vetus cum panno novo, uter vetus cum vino recenti (Matth.

9, 14 sqq. Marc. 2, 18 sqq. Luc. 5, 33 sqq.). Ita se habent inter se ordo rerum antiquus et novus. Tempore scilicet sponsi, Messiae, eiusque adventu rerum condicio penitus mutata est.

Quonam autem modo haec rerum mutatio se habeat, ipse quoque Christus indicat. Sicut enim *Moses,* cui se aequiparat (Matth. 5, 21 sqq.), immo atque adeo *praefert* (Io. 5, 46: „de me enim ille scripsit"), erat legislator et mediator V^{is} T^{i}, ita Christus Novum Foedus instituet, pari atque etiam maiore instructus auctoritate (Matth. 11, 27 sqq.; 28, 18); hinc intellegitur, cur ipse coram Iudaeis loquatur sicut de Deo tamquam de *Patre „vestro",* cuius nimirum Filius *sensu proprio* ipse Christus *solus* est [24], ita de *Lege* tamquam de Lege *„vestra"* (Io. 8, 17; 10, 34), quippe quae in Regno suo, messianico, non valebit. Hoc autem Regnum aedificabitur super *novo fundamento,* Petro nempe (Matth. 16, 18 sqq.), instituetur autem in sacrificio vitae Christi (Matth. 20, 28. Marc. 10, 45), quam dabit „redemptionem pro multis" [25].

2. De institutione Novi Foederis.

192. Verba Christi, a nobis consideranda, duabus, si ita loqui fas sit, *recensionibus* in documentis N^{i} T^{i} tradita sunt, quae tamen non re, sed forma tantummodo inter se differunt. Consonant scilicet inter se ex altera parte Matthaeus et Marcus, ex altera parte Lucas et Paulus, ita ut haec recensio vocata sit *paulina,* illa *petrina,* quippe quae inveniatur in EvMarc., quod a traditione adscribitur Petro, cuius interpres dumtaxat Marcus fuerit. Verba autem inveniuntur Matth. 26, 28; Marc. 14, 24; Luc. 22, 20; 1 Cor. 11, 25. Differentia principalis inter textum paulinum et petrinum est in eo quod recensio paulina diserte vocat testamentum *novum* (ἡ καινὴ διαθήκη), petrina vero vocem *novum* non adhibet, licet eam subintellegat. Formam brevissimam praebet *Marcus:* „Hic est sanguis meus (*Vg:* novi) testamenti, qui pro multis effunditur (*Vg:* effundetur)." *Matthaeus* vero „Hic est enim sanguis meus (*Vg:* novi) testamenti, qui pro multis effunditur (*Vg:* effundetur) in remissionem peccatorum." Quod ad sensum attinet, nullum discrimen est inter Marcum et Matthaeum, inspectis textibus, quibus Christus mortem suam expiatoriam praedixit (Marc. 10, 45. Matth. 20, 28). Vox *novum,* quam habet *Vg,* etiam in pluribus testibus graecis invenitur, at irrepsisse videtur ex textu Lucae vel Pauli [26].

Lucas enim ita habet: „Hic (*Vg:* est) calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur (*Vg:* fundetur)." *Paulus* vero: „Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem." Et Lucas et Paulus explicite referunt hanc eucharistiam ad mortem Christi eamque expiatoriam, atque ita a recensione Matthaei et Marci non differunt, nisi voce *novum,* quod addunt ad testamentum.

193. Quaeritur iam de *sensu* horum verborum Christi. Secundum verba, prouti exstant, sensus *obvius* est hic: Sanguis Christi, qui

effunditur pro multis, ut iis veniam peccatorum acquirat, est *sanguis Foederis;* in sanguine Christi foedus aliquod pangitur. Ipsa autem haec verba apostolis in memoriam revocabant *institutionem alterius,* prioris, *Foederis,* quod erat fundamentum religionis Israel, *sinaitici* dico. In libro etenim *Exodi* (24, 1 sqq.) narratur Mosen, postquam a Deo audierit verba Legis, ea populo promulgasse atque in volumine Legis scripsisse (24, 1—4). Iuvenes dein Israelitas iubente Mose mactasse vitulos, quorum sanguinem Moses colligens in duas partes dividebat; et alteram quidem partem Deo Iahve dicavit, fundens eam super altare; alteram vero partem respersit in populum congregatum dicens: „Hic est sanguis Foederis, quod pepigit Iahve vobiscum de omnibus his rebus" (scilicet legibus a Deo datis atque a Mose coram populo lectis; 24, 8; *LXX:* ἰδοὺ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς διέθετο Κύριος πρὸς ὑμᾶς περὶ πάντων τῶν λόγων τούτων).

Quibus expositis apparet omnimodam similitudinem intercedere inter utramque pactionem, maximam diversitatem inter utrumque Foedus. Et *similitudo* quidem elucet ex parallelismo quaesito inter utrumque actum atque verba quibus explicatur: Foedus — in sanguine — quod dividitur inter duos paciscentes —, quo vinculum inter eos nectitur. Ergo correspondent inter se pactio Foederis sinaitici, *Veteris,* et pactio in ultima coena inita a Christo — *novam* eam sponte dixeris, sicut eam nominant Paulus et Lucas.

Simul autem maxima *diversitas* inter utrumque Foedus notatur, ita ut Testamentum in sanguine Christi initum nequeat dici mera renovatio Foederis sinaitici, sed haberi debeat pro novo, novum videlicet novae religionis formans fundamentum. Et hae differentiae, quae inter haec duo Testamenta intercedunt, non respiciunt solas *circumstantias* (loci et caeremoniarum, in quibus iam novus spiritus Novi Foederis apparet), sed etiam atque imprimis *paciscentes.* In Foedere Vetere nempe contrahentes erant Iahve et populus electus Israel; in Foedere Novo: Deus per Christum, Filium Dei, et „multi", i. e. omnes homines. Alia deinde sunt *obiecta,* de quibus Foedus fit; non iam de legibus a Deo ad montem Sinai promulgatis, sed de remissione peccatorum, de redemptione et redintegratione generis humani in statum pristinum gratiae et filiationis divinae. Hinc Foedus Novum non pangitur in sanguine vitulorum, sed in pretioso *sanguine* ipsius *Filii Dei.* Hac sola iam differentia indicatur diversitas essentialis inter Foedus Vetus et Novum: transiit umbra, figura, promissio; advenit tempus salutis, impletio temporum, exspectationis, omnisque prophetiae.

Recte igitur Testamentum Christi a Paulo vocatur *Novum;* eo quidem sensu, ut (cf. Scholion n. 196) Vetus abrogaverit. Ita

Paulus intellegit vaticinium Ieremiae (31, 31; cf. n. 176) de Novo Foedere, remissionis peccatorum (Rom. 11, 27. Hebr. 8, 8 sqq.; „Dicendo novum, veteravit prius" 8, 13).

Institutio igitur eucharistiae est anticipatio *mortis Christi,* in qua tandem actus iuridicus Foederis positus est atque Vetus Foedus solutum, sicut scissum est velum sanctuarii (Matth. 27, 51. Marc. 15, 38. Luc. 23, 45), quando Iesus exspiravit. Ita ipso die festi, quod erat typus redemptionis futurae, paschae scilicet, verum pascha immolatum, Christus, homines reconciliavit Deo. Hic est consensus Ecclesiae primaevae, hic sensus verborum ab evangelistis nobis relatorum. Ex hoc iam valet nova religio Christi, valore destitutum est Foedus Vetus.

Scholion. **Testimonia primaevae Ecclesiae.**

194. Quoniam, praeter ipsam Novi Foederis institutionem, effata Christi Veteris Legis abrogationem ut *futuram* annuntiant, pronum est interrogare eos, qui, ut *interpretes intentionis* et *voluntatis Christi authentici,* certos nos reddere poterunt de interpretatione verborum Christi, Legis Veteris abrogationem quae spectant. Insuper autem haec quaestio Legis mosaicae eiusque obligationis fuit *prima controversia* Ecclesiae nascentis [27]; primam etiam factionem, ne dicam sectam christianam, provocavit, iudaistarum seu iudaizantium (ἰουδαΐζειν: Gal. 2, 14; cf. Act. 11, 2; 15, 5), contra quos imprimis Paulus apostolus libertatem christianam, libertatem scilicet ab obligatione Legis Veteris, defendere debuit. Hinc est quod testimonia in libris N^i T^i non desint; *Actus* imprimis et *epistulae Pauli* ea continent. Quibus accedunt alia, ex scriptis nempe documentorum *postcanonicorum.*

Conferet ad intellegendam hanc controversiam nitide distinguere inter christianos *ex Iudaeis conversos* et christianos *ex ethnicis conversos* ad fidem. Priores, apostolis ipsis minime exceptis, perrexerunt vivere secundum Legem, non eo quidem sensu, ut derogarent meritis Christi eiusque gratiae („per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari", ait Petrus in conventu apostolorum; Act. 15, 11), sed ex necessitate quadam practica, qua christiani, in medio Iudaeorum viventes iisque evangelium Christi praedicantes, eorum modum vivendi interim retinuerunt. Observatio Legis iam *non* erat *salutifera* et *religiosa,* sed mere *civilis.* Neque de Iudaeo-christianis erat controversiani si forte de apostolis, qui extra Palaestinam liberius conversabantur cum ethnicis, sicut Paulus (Act. 21, 21) et Petrus (Gal. 2, 11 sqq.). Discutiebatur autem acriter condicio et obligatio *ethnico-christianorum,* num videlicet ipsi, ut possent esse vel fieri christiani, Legem mosaicam

implere deberent. Decisio huius quaestionis, qua apostoli atque imprimis Petrus declararunt libertatem ethnico-christianorum ab obligatione Legis mosaicae, clare enuntiat eiusdem Legis Veteris abrogationem, quia salvatio est unius Christi eiusque religionis. Quibus praemissis singulos fontes adeamus, ut eorum testimonia perlustremur.

I. Testimonia Novi Testamenti.

1. Actus apostolorum.

195. *Actus* testantur primos christianos in multis quidem Legem observasse, ita tamen ut simul clare appareat eos hanc ipsam Legem non iam ut formale fundamentum suae religionis considerasse.

Frequentant quidem *templum* (Act. 2, 46; cf. Luc. 24, 53; Act. 3, 1; 5, 20; 21, 26: Paulus introgreditur templum, ut ibi solvat vota nasiraeorum; 22, 17; 24, 12; 25, 8) ibique orant, praedicant, *sed* simul docent „*domi*" (κατ' οἶκον), immo eucharistiam solummodo, ut par erat, privatis conventibus celebrant (2, 46; cf. 5, 42; 12, 12). *Stephanus* autem, ulterius progrediens, negat Deum habitare „in manufactis", in templo scilicet hierosolymitano (7, 47 sq.; cf. 6, 13).

Observant porro diem *sabbati, sed* simul alium diem sacrum habent, *primum* scilicet hebdomadae (Act. 20, 7; cf. 1 Cor. 16, 2: Apoc. 1, 10), in honorem Domini resurgentis a mortuis (Matth. 28, 1. Marc. 16, 2. Luc. 24, 1. Apoc. 1, 10: ἡ κυριακὴ ἡμέρα).

Circumcisionem deinde christiani ex Iudaeis conversi retinent quidem ut ritum forte nationalem, non vero ut ritum initiationis religiosae (cf. Act. 7, 8 sqq.); nam eius loco adhibent baptismum. Paulus ipse circumcidit Timotheum, qui erat filius matris iudaeae, patris dumtaxat gentilis, „propter Iudaeos, qui erant in illis locis" (Act. 16, 3), idem nimirum Paulus, qui principium statuit: „Circumcisus vocatus aliquis est: non adducat praeputium; in praeputio aliquis vocatus est: non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est" (1 Cor. 7, 18 sq.), simul cum lege fundamentali, quam ut apostolus sequitur: „Et factus sum . . . iis, qui sub Lege sunt, quasi sub Lege essem . . .; iis, qui sine Lege erant, tamquam sine Lege essem . . . omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos" (9, 20—22). Hinc Timotheum, ex matre Iudaeum, circumcidit, Titum vero, ethnicum, non circumcidit (Gal. 2, 3).

Leges puritatis legalis observare debuit, quicumque voluit cum Iudaeis vivere iisque praedicare Christum. Atque ex consuetudine tam alte haec convictio atque ipsum quoque exercitium, sese segregandi ab alienigenis, menti iudaeo-christianorum inhaesit.

ut Petrus peculiari visione docendus esset se libere posse non solum intrare domum ethnici, sed etiam ethnicum admittere in Ecclesiam. Cum enim in civitate Ioppe, in superiore parte domus Simonis coriarii (Act. 10, 6) oraret, in visione audivit vocem dicentem: „Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris!“ (10, 15), repetentem nempe principium ab ipso Christo statutum: „Non quod intrat in os, coinquinat hominem“ (Matth. 15, 11). Et cum deliberaret secum de sensu huius visionis, ecce adstant ante portam legati centurionis Cornelii, quos iubente Spiritu Sancto (Act. 10, 19) suscipit atque altera die sequitur Caesaream (10, 24). Intrat etiam in domum ethnici, quia Deus ei ostenderat „neminem communem aut immundum dicere hominem“ (10, 28), atque Cornelium credentem iussit baptizari, quia Deus non est „personarum acceptor“ (10, 34), sed Spiritum Sanctum suum etiam effundit super gentes (10, 44 sqq.). Haec iam visio Petri non ipsi soli, sed etiam aliis christianis data erat (11, 2 sqq.), qui Petro audito agnoverunt gratiam Dei (11, 18). Ipsa postmodum, in conventu nimirum apostolorum, influit in decisionem libertatis (15, 7).

Tota denique *Lex* dicitur fidelissime observata esse a Iudaeochristianis, qui secundum verba Iacobi „omnes aemulatores sunt Legis“ (Act. 21, 20); attamen eiusdem Legis abrogationem clare idem Iacobus enuntiat simul cum aliis apostolis in eorum conventu hierosolymitano. Accedit enim Iacobus sententiae Petri, qui testabatur Deum nullo modo discernere inter conversos ex Iudaeis et conversos ex ethnicis (15, 8 sq.); ethnicis porro non esse imponendum iugum Legis (15, 10), sed omnes salvari unice per gratiam Iesu Christi (15, 11). Hinc Iacobus proponit, ut ethnicochristianis nulla obligatio imponatur Legem observandi, sed tantummodo ut a quibusdam, quae communem vivendi rationem forte impediant, abstineant. Hae autem *„clausulae“* habent valorem practicum et temporarium, quamdiu scilicet et quatenus eorum observatio necessaria vel opportuna videatur [28].

Ratio vero, *curnam Vetus Lex non iam valeat,* est eius impletio in Christo. Tempus enim messianicum, de quo „omnes prophetae a Samuel et deinceps“ (3, 24) locuti sunt, advenit, et primum quidem Iudaeis, quibus benedictio Abrahae promissa est, tamquam „filiis prophetarum et testamenti“ (3, 25) offertur. Ipsi nempe Iudaei, licet ignorantes, „voces prophetarum . . . iudicantes (et interficientes Christum) impleverunt“ (13, 27). Christus namque est Messias exspectatus et promissus (2, 36), qui donum messianicum caelitus elargitus est (2, 16 sqq.): salvationem, remissionem peccatorum, Spiritum Sanctum (2, 38; 5, 31), cuius homines participes fiunt baptismo in nomine Iesu (2, 38; 10, 47 sq.: 19, 5 sq.).

2. Epistulae Pauli.

196. Lucas, comes et discipulus Pauli et secundum veterem traditionem fide dignam auctor Actuum, praesumendus est tradere eandem doctrinam ac ipse Paulus, apostolus gentium; methodice igitur licebit petere confirmationem expositionis, quae de textibus Lucae data est, ex epistulis Paulinis.

Et hae quidem epistulae abundant testimoniis haud obscuris. Inveniuntur enim non solum textus, qui singula elementa Legis valore suo destituta esse declarant, sed etiam Pauli effata, quibus totam Legem negat obligare christianos, quae porro Novum Testamentum diserte Veteri opponunt; immo in integra fere epistula ad Galatas hanc Legis abrogationem contra iudaizantes defendit.

Amplam materiam liceat brevi comprehendere conspectu.

a) *Singula Legis elementa essentialia* Paulus docet iam non valere: *Sabbatum* cum diebus festis Iudaeorum atque neomeniis (Col. 2, 16; cf. Gal. 4, 10) abrogatum est; christiani conveniunt die primo hebdomadae (1 Cor. 16, 2). Neque iam *cultus* mosaicus servandus est, nam sacerdotium leviticum translatum est, et cum eo ipsa Lex (Hebr. 7, 12), sanctuarium cum cultu (9, 1 sqq.).

Circumcisio cedere debuit baptismo „in mortem Iesu Christi" (Rom. 6, 3), quo christiani novum formant corpus novamque religionem (1 Cor. 12, 13. Eph. 4, 5). Circumcisio autem non solum omni valore caret (1 Cor. 7, 19), sed iis, qui eam ut ritum religiosum recipiunt, gratiam adimunt: „a gratia excidistis" (Gal. 5, 4); talibus „Christus nil proderit" (5, 2). In epistula ad Romanos integer tractatus inseritur de circumcisione (2, 25—4, 25).

Leges *puritatis* non iam obsunt libertati christianae: „Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu. . . . Ne tetigeritis neque gustaveritis neque contrectaveritis: quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum" (Col. 2, 16 21 sq.; cf. Hebr. 9, 10). Haec autem libertas christiana (1 Cor. 6, 12; 8, 1 sqq.; 10, 19 sqq.; Rom. 14, 1 sqq.) non inservire debet peccato: „Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate" neque escae neque fornicationis, dicit Paulus Corinthiis (1 Cor. 6, 12 sqq.).

Praerogativas Israel tamquam populi electi Paulus agnoscit easque singulas fere enumerat (Rom. 9, 4 sq.) sed tota oeconomia V^{is} T^{i} erat „paedagogus ad Christum" (Gal. 3, 24). Atque haec est gloria maxima Iudaeorum, quod ex ipsis „est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, benedictus in saecula. Amen!" (Rom. 9, 5.) Israel quidem excisus est ex radice sancta propria culpa (11, 11 sqq.), sed etiam nunc praedicatio evangelii

primum dirigitur Iudaeo (1, 16), et in fine temporum etiam Israel salvabitur (11, 25 sq.). Simul autem gentes vocatae sunt, insertae nimirum in olivam sanctam (11, 17).

197. b) *Legem* integram abrogatam esse neque ullo modo obligare christianos exponit Paulus in epistula ad Galatas tota atque fuse etiam in epistula ad Romanos (3, 1; 7, 1 sqq.; 10, 4: „Finis enim Legis Christus, ad iustitiam omni credenti"). Lex enim Vetus non erat nisi „umbra futurorum", quam corpus praemittit (Col. 2, 17. Hebr. 10, 1).

Hinc essentialiter *differunt* inter se „*Vetus*" et „*Novum*" Testamentum. Aliquando solus Israel erat populus Testamenti (Rom. 9, 4); populi alii erant alieni a Foederibus (Eph. 2, 12); nunc autem ipsae gentes conversae sunt „cives sanctorum et domestici Dei" (2, 19), „coheredes et concorporales et comparticipes promissionis . . ." (3, 6). Sunt enim *duo Testamenta* (Gal. 4, 24), Novum („non littera sed spiritus": 2 Cor. 3, 6) et Vetus, cuius libros Iudaei legunt neque vero intellegunt (3, 14). Clarissime epistula ad Hebraeos discrimen inter haec duo Testamenta effert. N^um^ T^um^ est validius et praestantius (κρείττων, 7, 22; 8, 6), quo instituto prius veteravit (8, 13). Ratio autem huius praestantiae est ipse mediator huius Testamenti, Iesus Christus, qui morte sua redemit, „qui vocati sunt aeternae hereditatis" (9, 15), „ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem . . . et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in caelis . . . et Testamenti Novi mediatorem, Iesum, et sanguinis aspersionem, qui efficacius loquitur quam sanguis Abel" (12, 22—24), instituens Testamentum aeternum (13, 20).

II. Testimonia postcanonica.

198. 1. Saepe religio christiana ab ipsis scriptoribus christianis vocatur *nova*. Epistula, quae dicitur *Barnabae*, christianos vocat „populum novum" (5, 7; 7, 5; cf. 16, 8). — *Ignatius* Antiochenus opponit eos, qui sabbatum observant et in veterum rerum ordine degunt (ἐν παλαιοῖς πράγμασιν). christianis, qui diem dominicam celebrant, ad novitatem scilicet spei adducti (Magn. 9, 1). — In epistula ad *Diognetum* christiani vocantur „novum genus", quod neque deos falsos gentilium colit, neque Iudaeorum superstitionem (δεισιδαιμονίαν) observat (1), novam sequens doctrinam (2, 1). Hinc Iudaei eos persequuntur et gentiles eos odio habent (5, 17). — *Kerygma Petri* vocat christianos „tertium genus", quod modo novo Deum colit, non secundum morem ethnicorum vel Iudaeorum (apud Clem. Alex. Strom. 6, 5, 41; Kleine Texte 3, p. 14 sq.) — Similiter loquitur apologia *Aristidis* (*MSG* 96, 1120 sq.). — *Tertullianus* vero asserit christianos ab ethnicis vocari tertium genus (Ad nat. 1, 8 20[29]).

199. 2. *Ratio* autem oppositionis inter christianos et Iudaeos erat non solum persecutio, quae initium fere sumpsit a Iudaeis, „fontibus persecutionum“ (Tertullianus, *Scorpiace* 10), sed etiam persuasio, Vetus Foedus valore suo destitutum esse. In *Doctrina duodecim apostolorum* (Didache) praescribitur ieiunium, sed aliis diebus ac Iudaeorum, qui „hypocritae“ vocantur (8, 1), alia oratio, scilicet dominica (8, 2), alius ritus initiationis, nempe baptismus (7), aliud sacrificium die dominica offerendum (14). — Epistula *Barnabae* explicite reicit, etsi demonstratione minus correcta, V^{us} T^{um}, videlicet circumcisionem (9), sabbatum (15), templum (16), sacrificia (2), leges puritatis (10), immo omne ius populi Israel ad promissiones Dei (13 sq.). — *Clemens* quidem Romanus aliter se habet relate ad V^{us} T^{um}; ex circiter 9850 verbis epistulae circiter 2850 sunt citata ex libris V^{is} T^{i} (260 ex N^{i} T^{i}); attamen et ipse considerat Ecclesiam tamquam religionem et ordinem religiosum proprium, cuius origo est Deus per Christum et apostolos (42), grex itaque est Christi (44, 3). — *Ignatius* autem adhortatur Magnesios, ut „secundum christianismum“ vivant, ut, abiecto fermento inveterato et acymo, transmutentur in fermentum novum, „quod est Iesus Christus“. „Absurdum est Iesum Christum profiteri et iudaizare: christianismus enim non in iudaismum credidit, sed iudaismus in christianismum, in quo omnes, qui credunt in Deum, congregati sunt“ (10). — Epistula ad *Diognetum* reicit diserte sacrificia Iudaeorum (3), eorumque observationes ciborum, sabbatum, circumcisionem (4). — *Iustinus* philosophus fusius in Dialogo cum Tryphone de relatione V^{is} ad N^{um} T^{um} agit. Agnoscit quidem cohaerentiam religionis christianae cum V^{e} T^{o}. Idem Deus, qui condidit Legem sinaiticam, dedit etiam „novissimam Legem et Foedus firmissimum“ (11): christiani igitur sunt verum et spirituale israeliticum genus, quod in Abraha benedictionem accepit (11). Christus porro ipse fuit sub Lege, quae tamen secundum voluntatem Patris in ipso desineret (43). Hinc sicut tota Lex (11 43 etc.), ita etiam singula eius elementa abrogata sunt: circumcisio (15 16 19 23), observantia ciborum (20), sabbatum (21), templum cum sacrificiis ibi offerendis (22, omnia enumerantur simul in c. 23). Quaerenti autem Tryphoni, num salvari possit, qui, licet christianus, tamen observet Legem Veterem, Iustinus respondet hoc fieri posse, si quis spem suam quidem ponit in solo Christo, attamen „ob infirmitatem spiritus“ putat se obligatum esse etiam illa observare, quae Moses instituit; si talis porro libere conversatur cum ceteris christianis, si denique cavet, ne aliis eundem modum vivendi suadeat vel imponat (46 sq.).

200. 3. Iustinus itaque iam fere adhibet distinctionem, quae tempore posteriore introducta est: Lex Vetus *mortua* et *mortifera*. *Mortuam* quidem fuisse Legem inde ab institutione Novi Foederis; *mortiferam* autem post sufficientem evangelii, i. e. huius Novi Foederis, divulgationem. „Sensim proinde atque paulatim fervente sana praedicatione gratiae Christi, qua sola nossent credentes se iustificari salvosque fieri, non illis umbris rerum antea futurarum, tunc iam venientium atque praesentium, . . . ut (Lex) non tamquam detestanda et similis idololatriae vitaretur, ultra vero non haberet progressum, ne putaretur necessaria, tamquam vel ab illa salus

esset, vel sine illa esse non possit." Ita *Augustinus* in controversia cum Hieronymo (epist. 82, c. 2, n. 15; *MSL* 33, 281) sententiam exponit, quae postmodum communis facta est theologorum. *Thomas* Aquinas cum Augustino distinguit *tria tempora,* quibus alius atque alius valor atque alia et alia auctoritas fuit V^is T^i: „Unum quidem *ante Christi passionem,* in quo legalia neque erant mortifera neque mortua; aliud autem *post tempus evangelii divulgati,* in quo legalia sunt mortua et mortifera; tertium autem est tempus *medium,* scilicet a passione Christi usque ad divulgationem evangelii, in quo legalia quidem fuerint mortua, quia neque vim aliquam habebant neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi, qui conversi erant ad Christum ex Iudaeis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi iustificare non posset. His autem, qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa, ut ea observarent . . ." (Summa theol. 1, 2, q. 103, a. 4 ad 1). —

201. NOTAE. - **1** De sensu vocis testamenti (foederis, berîth, διαθήκη) cf. *R. Cornely,* Introductio in U. T^i libros sacros I (²1894) 23 sqq.; *idem* in Compendio Introductionis n. 6; *R. Kraetzschmar*,* Die Bundesvorstellung im A. T., Marburg 1896; *I. Behm*,* Der Begriff Διαθήκη im N. T., Leipzig 1912. — **2** *E. Klostermann*,* Jesu Stellung zum A. T., Kiel 1904; *E. Grafe*,* Das Urchristentum und das A. T., Tübingen 1907; *A. Harnack*,* Geschichte eines programmatischen Wortes Jesu in der ältesten Kirche (Sitzungsberichte der Preuß. Akad. der Wissensch. [Berlin 1912] 184 sqq. — **3** *H. St. Chamberlain*,* Die Grundlagen des 19. Jahrhunderts, München 1899; *Fr. Delitzsch*,* Die große Täuschung, Stuttgart-Berlin 1920, de quo cf. *A. Bea* in Stimmen der Zeit IC (1920) 472 sqq.: *A. Harnack*,* Marcion. Das Evangelium vom fremden Gott (Texte u. Untersuch. XLV), Lipsiae 1921; cf. Stimmen der Zeit CIII (1922) 17 sqq. - **4** *M. Heimbucher,* Methodisten, Adventisten und Neuapostolische Gemeinde, ²Regensburg 1921; *A. Merk,* De adventistis, in periodico *Verbum Domini* III (Romae 1923) 315 sqq.; *H. Höpfl,* De regno mille annorum, *Verbum Domini* III (1923) 206 sqq. 237 sqq.; *A. Meyenberg,* Über die sog. „Ernsten Bibelforscher", Luzern 1924. — Ex protestantibus e. g. *P. Scheurlen*,* Die Sekten der Gegenwart (²Stuttgart 1921) 7 sqq. 24 sqq. — **5** *Hieronymus* in Comm. in epist. ad Gal. (*MSL* XXVI, 340 sqq.), cui respondit *Augustinus* in epist. 28 (3, 3; *MSL* XXXIII, 112) et 40 (4, 4; ibid. 155). Hieronymo obloquente, inter epist. Augustini 75 (3, 6; ibid. 253 sqq.) Augustinus sententiam suam denuo exponit in epist. 82 (ibid. 276 sqq.). Cf. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. V, n. 524. – **6** *S. Thomas,* S. theol. 1, 2, q. 98—104; *Suarez,* De Lege l. 9 (ed. Venet. t. V, 562 sqq.), imprimis de cessatione Legis Veteris c. 10 sqq. (592 sqq.); *Bellarmin.,* De iustificatione t. IV, 4. — **7** *G. Wilmers,* De religione revelata (1897) 475 sqq.: *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. V (⁴1916) 323 sqq.; *I. Straub,* De Ecclesia Christi n. 393 sqq. (1 324 sqq.); *I. Ottiger,* Theol. fund. I (1897) 516 sqq. — Monographice quaestionem istam tractavit *K. Benz,* Die Stellung Jesu zum alttest. Gesetz (Bibl. Studien XIX, 1. Heft), Freiburg 1914. – **8** *A. Harnack*,* Judentum und Judenchristentum in Justins Dialog mit Tryphon (Texte u. Unters. XXXIX, 3. Heft), Leipzig 1913. — **9** *I. Felten,* Neutest. Zeitgesch. I 393 sq. **10** *Hergenröther-Kirsch,* Handbuch der allg. Kirchengesch. I (⁵1911) 72 sq. - **11** *P. Krüger*,* Philo und Josephus als Apologeten des Judentums, Leipzig 1906: *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes I ³/⁴ 89: III ⁴ 528 sqq. **12** *E. Schürer** l. c.

III[4] 1 sqq.; *A. Bludau,* Die Juden Roms im ersten christlichen Jahrhundert (Katholik LXXXIII [1903 I] 193 sqq.); *M. Friedländer**, Gesch. der jüd. Apologetik, Zürich 1903; *Th. Reinach**, Textes d'auteurs grecs et romains, relativs au judaïsme, Paris 1895. — **13** *E. König**, Prophetenideal 35 sq. 46. — **14** *A. Schlatter**, Jochanan Ben Zakkai, der Zeitgenosse der Apostel (Beiträge zur Förderung christl. Theol. III, 4. Heft [Gütersloh 1899]), 45. — **15** Textus collegerunt e. g. *W. Dittmar**, Vetus Testamentum in Novo I (1903); *E. Hühn**, Die alttest. Zitate und Reminiszenzen im N. T. (1900). — **16** Cf. *H. I. Cladder,* Unsere Evangelien (Freiburg 1919) 205 sqq. — **17** Varias sententias breviter allegabimus. *I. Knabenbauer,* Comm. in Evang. sec. Matth. ([3] Parisiis 1922) 256 sqq. ad 5, 17 sqq.: Christus venit, ut compleret atque ad absolutionem et perfectionem Legem Veterem adduceret eamque in opus deduceret, sive eam observando, sive praecepta imperfecta ad maiorem perfectionem evehendo, sive instituta vetera, quae fuerint typi et umbra, veritate abrogando. Hac ratione Lex non transibit, quatenus „in singulis praeceptis vel documentum quoddam exprimitur, ad doctrinam pertinens . . . vel inest ratio typica" (p. 262); *I. Frings* in Katholik XCVII (1917 I) 243 sq. censet verba Christi „*non praeteribit*" non asserere obligationem perdurantem V^{is} T^{i}, sed indicare valorem idealem Legis (geistigen Gehalt), qui manebit; versum 18 dirigi non christianis sed Iudaeis; *H. I. Cladder,* In der Schule des Evangeliums II ([3/4] Friburgi 1918) 72: Sicut impletio non negat praeparationem et promissionem, ita Christus non destruit Legem, sed eam implet modo eminentiore; mandata perficit, typis realitatem et veritatem substituit, vaticinia implet. Versum 18 intellegit modo generali loqui de fidelitate erga quodcumque mandatum Dei; *K. Benz* (Die Stellung Jesu zum alttest. Gesetz 42 sqq.) contendit Iesum efferre nexum organicum inter V^{us} T^{um} et suam doctrinam atque valorem V^{is} T^{i} aeternum et manentem (den organischen Zusammenhang zwischen dem A. T. und seiner Lehre sowie die Unvergänglichkeit und den bleibenden Wert des alttestamentlichen Gesetzbuches: p. 44), quia confert ad statum perfectionis, quem Christus in partibus sequentibus sermonis sui delineat (zur Erreichung dieses Ideals — des sittlich-religiösen Hochstandes der Menschheit - - soll und wird das Gesetz beitragen helfen: p. 43). Versus 18 monet auditores, ne praepropere sese dispensent ab observatione Legis Veteris, et dirigitur Iudaeis (p. 44 sq.). Idem alias sententias recenset (*Maier, Schlottmann, Le Camus, H. Weiss, Schanz, B. Weiss*, Pölzl, Barth*, Wendt*, Harnack*, Heinrici*, Feine*, König*, Zahn**. — **18** De hac methodo cf. *Th. Soiron,* Die Logia Jesu. Eine literarkritische und literargeschichtliche Untersuchung zum synoptischen Problem (Neutest. Abh. VI, 4. Heft [Münster 1916], 51 sqq.): De Matth. 5, 17 sqq. agit idem auctor p. 26 sq. et defendit hanc partitionem (5, 17–20) esse a Matthaeo compositam secundum respectus systematicos. — **19** Variae sententiae de hoc versu 19 cf. nota 18. *M.-J. Lagrange* (Évangile selon S. Matthieu 95 sq.) putat Iesum loqui de contemptu non Legis mosaicae, sed in genere cuiuscumque praecepti exigui. „Le verset dit — c'est dans la nature des choses —, que les petits commandements ne sont pas sous la peine la plus grave. Seulement ceux qui n'en tiennent pas compte, sont parmi les moindres dans le royaume de Dieu" (p. 95—96). — **20** Cf. e. g. *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes II[4] 545 sqq. (Das Leben unter dem Gesetz); *I. Felten,* Neutest. Zeitgeschichte I 463 sqq. — **21** De lectione variante apud Matth. 12, 8 et Marc. 2, 27 sq. cf. *F. Tillmann,* Der Menschensohn (Bibl. Studien XII, 1./2. Heft [Freiburg 1907], 121 sqq.). — **22** *I. Knabenbauer* in Comm. in Evang. sec. Ioannem ([2] Parisiis 1906) 206 sq.; *F. Zorell,* LG s. v. λύειν. — **23** Varias sententias recenset *I. Knabenbauer* l. c. 269 sq. - **24** Cf. opera et opuscula, quae agunt de filia-

tione Christi divina, sicut: *M. Lepin,* Jésus Messie et Fils de Dieu (1900); *St. v. Dunin-Borkowski* in Katholik LXXXIII (1903 I) 289 sqq.; *F. Tillmann,* Das Selbstbewußtsein des Gottessohnes (Biblische Zeitfragen IV, 11./12. Heft, Münster 1911); *H. Schumacher,* Die Selbstoffenbarung Jesu (Freiburger Theol. Studien, Freiburg 1912); *L. Kopler* in Theol.-prakt. Quartalschr. LXVI (1913) et LXVII (1914).; *A. Reatz,* Jesus Christus (1924) 122 sqq. — **25** Cf. e. g. *Frings* in Katholik XCVII (1917 II) 41 sqq. — **26** Testes principales qui addunt *Novi* Testamenti (καινῆς διαθήκης) sunt codices graeci A C D Γ Δ alii; versiones latina et syriaca. — **27** *H. I. Cladder,* Unsere Evangelien 235 sqq. — **28** Cf. e. g. *H. Dieckmann,* Antiochien, ein Mittelpunkt urchristlicher Missionstätigkeit (Aachen 1920) 22 26 sqq.; *H. I. Cladder* l. c. 237 sqq. — **29** De designatione christianorum tamquam *„tertii generis"* cf. *Batiffol-Seppelt,* Urkirche u. Katholizismus (Kempten 1910) 77 sq.; *A. v. Harnack*,* Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten I (⁴1924) 281 sqq. Aliter *P. Corssen** in Neue Jahrbücher für das klass. Altertum XVIII (1915) 158 sqq.

Quaestio 5. De universalitate Regni Dei.

202. Cum quaestione de abrogatione V^{is} T^{i} arctissime cohaeret alia, de *universalitate* nimirum Regni Dei novi. Ipsa iam effata Christi atque verba Pauli aliorumque testium primaevae Ecclesiae simul fere asserunt et cessationem Foederis, quod Iahve aliquando inierat cum solo populo Israel, et vocationem omnium gentium ad bona salutis messianicae. Christus scilicet, ait Paulus, medium parietem maceriae solvit et, Legem Veterem evacuans, duos (populum Israel et gentes) in semetipso in unum novum hominem condidit (Eph. 2, 14 sq.). Quibus verbis Paulus relationem inter abrogationem V^{is} T^{i} et universalitatem Regni Dei clare indicat. Restrictio etenim, quae ante Christi adventum Regnum Dei (vetus) eiusque bona unius Israel finibus contineri voluit, sublata est in Novo Foedere; Regnum igitur Dei, qui ut Deus est auctor et finis *omnium* hominum, omnium etiam hominum postulat subiectionem sub Dei voluntate, positiva revelatione manifestata (Regnum Dei *ethicum*), omnibusque hominibus praebet bona Regni Dei (Regnum Dei *gratiosum*), omnium denique ordinat relationem ad Deum (Regnum Dei *religiosum*).

Illatione igitur facili ex assertionibus antea statutis indoles universalis Regni Dei, a Christo praedicati, iam constat, *si* Christus positive *contrarium* non *docuerit.* Iamvero Christus tantum abest ut universalitatem Regni negaverit, ut eandem potius disertis verbis identidem affirmaverit atque adeo apostolis suis praeceperit, ut Regnum Dei et evangelium suum omnibus gentibus praedicarent, gentes vero omnesque homines graviter obligaverit, ut admitterent praedicationem apostolorum et intrarent in Regnum Dei.

203. Non desunt quidem qui negent indolem Regni Dei a Christo praedicatam esse universalem, vel saltem contendant Christum ipsum vel hanc indolem non percepisse, vel paulatim, evolutione quadam, sibi efformasse ideam universalem.

Varias sententias breviter, si placet, recenseamus. 1. *Eschatologistae* quaestionem praecidunt eo, quod admittunt Christum exspectasse Regnum Dei una cum fine mundi adventurum. Tendentiam autem universalem, quae teste historia religioni christianae inest, non esse nisi motum quendam religiosum, quem Christus incoharit quidem inscius, qui tamen evolutione necessaria diversis sese locis et temporibus adaptaverit. Huius evolutionis gradus videre sunt in ipsa doctrina christiana, quippe quae fuit in suis exordiis iudaica, deinde paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis (Decr. *„Lamentabili“* contra modernistas, qui secuti sunt eschatologistas; prop. 52 59 60; *D* 2052, 2059, 2060)[1].

2. Ceteri *rationalistae* (critici), qui scilicet Christum considerant ut merum hominem, subiectum ideis sui populi et sui aevi, supponunt Christum vel (a) *nullo modo pervenisse* ad ideam Regni universalis, vel (b) ad eam *paulatim adductum* esse, scilicet experientia, quam hauserit ex sua praedicatione coram Iudaeis.

a) *Harnack* tuetur *sententiam priorem*. Evangelia attribuere quidem missionem universalem effatis Christi eiusque voluntati explicitae; at, cum scripta sint, quando praedicatio universalis facta fuerat, ideas universales temporis posterioris ipsi Christo adscripserunt. Christus autem universalismum nequaquam docuit. Hoc unum dici potest fuisse in eius doctrina germina quaedam, quorum evolutio rumpere debuit vincula nationalia religionis mosaicae, aliis verbis: doctrina Christi continet universalismum *obiectivum* (intensivum: *Harnack*), non vero *formalem*, seu diserte volitum et expressum. *Rationes* huius sententiae afferuntur et positivae et negativae. *Positivae* ostendere dicuntur Christum participasse ideas particulares et nationales sui populi; praedicavit enim solis Iudaeis — confirmavit indolem nationalem religionis mosaicae — stabat ex parte Iudaeorum conservativorum et pharisaeorum, licet spiritum, quo Legem impleverunt, non approbaverit. Idea igitur universalistica est prorsus aliena a mente Christi atque eius dictis, quae certe sunt genuina, adversatur. Factum principale est missio apostolorum praevia cum instructione (Matth. c. 10. Marc. c. 6), quae restringit praedicationem discipulorum ad solos Iudaeos. Ex altera autem parte negari nequit doctrinam Christi continere *elementa universalia*. Impugnatio pharisaeorum, qui fere putabantur propugnatores religionis nationalis, — reiectio vinculi sanguinis, quod sufficiat ad filiationem divinam acquirendam — annuntiatio iudicii super Israel eiusque reiectionis: hae sunt ideae, e quibus universalismus formalis natus est. Ansa quidem fuerunt aliqua verba Christi, velut „Euntes praedicate . . .!“ (Matth. 10, 7; cf. Luc. 10, 3); praecipue autem visiones Christi resuscitati, quae apostolis (Petro, Undecim, Paulo) videbantur esse missiones ad praedicandum evangelium.

Rationes *negativae:* Ipsae iam visiones ut tales, utpote non reales sed subiectivae, missionem universalem non a Christo prodiisse declarant.

Alii autem textus, qui ut *effata Christi* universalia allegari solent, secundum Harnack *non sunt genuini*. Matth. 28, 18 loquitur Christus resuscitatus, i. e. non historicus; pericopam de *magis*, qui ex oriente venerant, ut Messiam-regem adorarent (Matth. 2, 1 sqq.), oportet omitti ut legendariam. *Textus* V^{is} T^{i} indolis universalis ab evangelista operi suo inserti sunt. *Marc. 13, 10* (Matth. 24, 14) verbum de universali praedicatione evangelii non est Christi, cui attribuitur, sed „theologumenon historicum" temporis posterioris. *Marc. 14, 9* (Matth. 26, 13) Christus praedicit unctionem, in Bethania factam, divulgatum iri in toto mundo; at hoc effatum est critice dubium et potius „hysteron-proteron" dici debet. Si vero Christus *Matth. 8, 11* annuntiat reiectionem „filiorum Regni", in quorum locum gentes vocentur, sermo eius dicendus est „propheticus". Cur Christus non potuit ita loqui, si Ioannes Baptista dixit Deum posse suscitare ex lapidibus filios Abrahae (3, 9)?[2] — Sententiam hisce circumscriptam vel similem, sicut ante *Harnack*, defendebant *Reimarus, Pfleiderer, Wellhausen*, simul cum *Harnack* tenent *Wernle, v. Dobschütz, Jülicher, E. Meyer*, alii.

b) Media fere via inter sententiam modo expositam et traditionalem incedit opinio, quae tenet Iesum *paulatim*, experientia doctum et ductum, *pervenisse ad ideas minus particulares*. *H. J. Holtzmann* distinguit duas periodos in vita Christi. In priore quidem, cum res prospere procederent atque omnes ad suam praedicationem affluerent, erat Christus ethnicis infensus; cum autem populus sese a Christo averteret, nova elementa intrarunt in Iesu doctrinam, scilicet: (1) se profitetur esse Messiam, saltem coram discipulis suis; (2) non iam respuit plane omnes ethnicos, sed aliquos se velle admittere declarat; (3) Christus praedicit passionem et mortem sibi destinatam et a se subeundam. — Idea autem admittendi etiam ethnicos orta esse dicitur tum ex reiectione, quam a proprio populo passus est, tum ex vaticiniis V^{is} T^{i} universalibus, melius iam a Christo perspectis. Neque vero admitti potest Christum universalismum systematice excoluisse; de quaestionibus ulterioribus, e. g. de relatione inter Iudaeos et ethnicos in Regno Dei novo vigente, ne cogitavit quidem. Etiam sub hoc respectu, ita *Harnack*, opus Christi remansit incohatum, neque ad finem perductum est[3].

204. Ex iis, quae modo exposita sunt, satis apparet quaestionem universalismi haerere non tantopere in *explicandis* dictis Christi, quae in evangeliis inveniuntur; nam haec continere ideam universalismi omnes fere concedunt; immo sunt theologi etiam protestantes liberales, qui ipsi Christo haec effata attribuunt[4]. Plurimi autem, sicut *Harnack*, licet concedant genuinitatem litterariam horum dictorum, ea nimirum scripta esse ab ipsis evangelistis, *negant* tamen eorundem *genuinitatem historicam*, i. e. ipsum Christum, cui in evangeliis adscribuntur, haec verba protulisse. Assertio proinde nostra utrumque praestandum curabit: textus nempe explicandos simul eosque ut genuinos defendendos.

ASSERTIO 8. Regnum Dei, a Christo annuntiatum, et indole sua et expressa Christi voluntate est universale, i. e. destinatum pro omnibus omnium temporum hominibus.

205. *Regnum Dei* intellegitur proxime *praesens*, consequenter etiam transcendentale; i. e. omnes homines secundum voluntatem Christi debent esse membra Regni Dei his in terris, ut deinceps participes fiant bonorum Regni caelestis.

Universalitas igitur sumitur sensu pleno, nullo limite nationali circumscripta, sed quae complectitur omnes homines, universalitate extensionis localis et temporalis. Homines autem non solum *invitantur,* ut intrent in Regnum Dei, sed etiam *obligantur,* ut subicientes sese legibus et constitutionibus Regni Dei participes se faciant bonorum eius his in terris et dein in caelis, aliis verbis: non solum *ius* eis tribuitur, sed etiam *obligatio* imponitur sese aggregandi ut cives Regno Dei.

Utrumque provenit ultimatim ex Dei et Christi *voluntate expressa.* Quae verba asserunt in ipsa Christi doctrina Regni Dei universalitatem non solum *obiective* seu *virtualiter* (intensive) contineri, sed insuper diserte esse enuntiatam, i. e. statuunt praeter universalitatem virtualem etiam *formalem.* Consequenter defendunt *genuinitatem historicam* dictorum Christi, quibus haec universalitas docetur. Quod ut efficacius fieri possit, assertionis huius pars praevia inquirit tendentias universalisticas temporis illius, quo Christus vixit, quas porro Christus, si modo fuerit homo praeditus ingenio mediocri, nedum, ut ipsi adversarii admittunt, praecellenti, neglegere nullatenus potuit.

206. Ita *partitio* assertionis sponte profluit. Parte enim *priore,* praeparatoria, inquirimus ideas universalisticas aevi illius, quo Christus vixit: quid scilicet documenta sacra V^{is} T^{i}, quid scripta extracanonica, quid denique facta historica, imprimis propaganda iudaica doceant. In parte dein *altera,* principali, ipsius Christi sententia et testimonium exponenda sunt, eius nimirum (I) testimonium *implicitum* et *virtuale* et (II) eius effata universalistica *explicita* et *formalia;* quorum (1) *explicationi* adiungetur (2) *defensio genuinitatis* historicae Christi verborum. Coronidis instar consensus Ecclesiae primitivae expositionem datam *confirmabit.*

Pars prior (praevia). **De tendentiis universalisticis, tempore Christi inter Iudaeos vigentibus.**

Tendentiae universalisticae nutriebantur imprimis libris V^{is} T^{i} canonicis; exprimuntur vero etiam tum litteratura extracanonica tum propagandae religionis mosaicae studio, quod plurimos pros-

elytos ei adduxit. Inquisitio proinde nostra considerabit (I) ideas universalisticas, quas in libris V^{is} T^{i} expressas invenimus; (II) testimonium librorum extracanonicorum; (III) propagationem et proselytos religionis mosaicae tempore Christi exsistentes.

I. Ideae universales in libris Veteris Testamenti.

207. Monotheismus iam, inde ab initio librorum sacrorum clare enuntiatus, conotat universalismum; Iahve est Deus unicus totius mundi omniumque hominum[5]. Et licet foedus inierit cum Abraha eiusque progenie (*Ass. 1;* n. 36 sqq.), benedictio tamen eius extenditur ad omnes gentes: „Et benedictae erunt in te omnes familiae terrae" (Gen. 12, 3; cf. 18, 18; Act. 3, 25; Gal. 3, 8). Israel quidem factus est hac miseratione divina „primogenitus" Iahve (Ex. 4, 22. Eccli. 36, 14), sed propterea non excluduntur alii filii ab amore Dei. Progrediente nimirum revelatione divina clarius etiam *universalitas salutis* enuntiatur. Messias nempe prodibit quidem ex Israel eiusque stirpe regia et suo populo primum bona messianica afferet et offeret; sed idem erit rex omnium gentium, quas pascet virga virtutis suae et benedictionis suae. Prophetae (cf. n. 46 sqq.) inde ab *Amos* salutem universalem praedicant. Si reaedificatum fuerit tugurium David collapsum, Israelitae possidebunt „reliquos de Edom et omnibus gentibus, super quos vocatum erit nomen meum (Iahve)" (Am. 9, 11; cf. Act. 15, 16). Confluent enim, ait *Isaias,* ad montem aedis Iahve omnes gentes (2, 2 sqq.); nam „erit illo tempore surculus radicis Iesse, qui stabit tamquam vexillum populorum" (11, 10). Israel itaque erit „lumen gentium, ut sit salus mea (Iahve) usque ad finem terrae" (49, 6; cf. Luc. 2, 32; Act. 13, 47). Alienigenae autem ad ipsum templum accedere atque in eo holocausta offerre poterunt; „nam domus mea est domus orationis omnibus gentibus" (56, 7; cf. Marc. 11, 17; Matth. 21, 13; Luc. 19, 46); immo aliqui ex eis ad munus sacerdotum et levitarum assumentur (66, 21). *Ieremias* similiter loquitur de futura congregatione omnium gentium in Ierusalem (3, 17) deque benedictione, qua „se benedicent gentes" (4, 2; cf. Gen. 12, 3; Ier. 16, 19; 33, 9). *Ezechiel* comparat Israel cum surculo cedrino, quem Iahve plantabit in monte sublimi Israel. „Et erumpet in germen et faciet fructum et erit in cedrum magnam; et habitabunt sub ea omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit" (17, 22 sq.; cf. 31, 1 sqq.; eadem comparatio adhibetur Dan. 4, 8 sqq.; Matth. 13, 31 sq.). In vaticinio *Danielis* universalitas quam clarissime depingitur in expositione somnii regii; Deus enim suscitabit regnum, „quod in aeternum non dissipabi-

tur . . . et consumet omnia regna haec . . .“ (2, 44; cf. Luc. 1, 33). Idem explicatur Danieli in visione nocturna, qua vidit ‚Filium hominis‘ eiusque regnum, potestatem scilicet eius aeternam et regimen incorruptibile (7, 14). Regnum autem complectetur omnia, quae sub caelo sunt; „et omnes reges servient ei et oboedient“ (7, 27). Etiam prophetae postexilici loquuntur de Regno Dei futuro universali, sicut *Aggaeus*, qui praedicit fore ut omnes gentes afferant res pretiosas ad templum novum Iahve (2, 7 sqq.); sicut *Zacharias*, qui vidit gentes multas sese adiungere Israel ad Iahve colendum (2, 10 sq.); sicut *Malachias*, qui praedicat tempus futurum: „nam ab ortu solis usque ad eius occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco adoletur, offertur nomini meo et quidem oblatio munda. Nam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Iahve Sabaoth“ (1, 11). Ex psalmis huc spectant illi, qui efferunt sive magnitudinem Dei solius (46 67 92 sqq.) sive salutem universalem (2 8 23 86 110 144).

II. Testimonia librorum extracanonicorum.

208. In litteratura Iudaeorum *extracanonica* distingui oportet inter scripta religiosa (apocrypha) *esoterica*, quae scilicet proxime scripta sunt ad usum Iudaeorum, et *propagandistica* seu *exoterica*, quae, generis philosophici vel historici vel poetici, intendunt defendere aut commendare religionem mosaicam.

1. Scripta religiosa *esoterica* (apocrypha) generatim ideam universalem minus clare exprimunt quam prophetae. Apocalypsis *Henoch* (cf. n. 62 66) asserit omnes gentes sese subiecturas esse Israel (90, 30) et adoraturas Messiam (Filium hominis: 48, 5). — Simile quid invenitur in libro *Iubilaeorum* (cf. n. 63 67); Israel etenim sibi subiugabit totam terram omnesque eius gentes (32, 19), sub principe ex stirpe Iuda (31, 18). Benedictio universalis (Gen. 12, 3) videtur commemorari quidem (21, 25): Deus benedicit semini Israel in omnes generationes, ut fiat in benedictionem in universa terra; immo sanctitas montis Sion sanctificabit totam terram (4, 26). Sed manet dubium, num aliae gentes participent hanc benedictionem sensu pleno. — Clarius universalitas exprimitur in *Testamentis duodecim patriarcharum* (cf. n. 63 68), tum in testamento Levi (18), tum in testamento Iuda (24), de cuius radice Messias orietur, qui reget non solum Israel, sed etiam ethnicos iudicabit et salvabit. Sed cum hic liber christianas interpolationes subierit, hi textus fortasse non sunt originis iudaicae. — *Psalmi Salomonis* (cf. n. 63 69) negant fere indolem universalem regni messianici. Sion purgabitur a gentibus, quae vel exstirpantur vel — si non in Israel peccaverint — subiugantur, neque vero participes fiunt bonorum regni nisi eatenus, quatenus videre poterunt gloriam Ierusalem et Israel (17, 24—31). — *Assumptio Mosis* (cf. n. 63 71) salutem futuram soli Israel convenire affirmat; altabit enim Deus populum

suum, ut a summo caelo possit secure conspicere inimicos suos (10, 9 sq.). — *Fragmenta Sadokitica* (cf. n. 63; 70) concedunt quidem etiam proselytis admissionem in conventum Novi Foederis, sed ab idea universalitatis quam longissime absunt. — Apocalypses, quae post eversionem Urbis et templi scriptae sunt, versus finem saeculi I p. Chr., *Baruch* nimirum et *liber IV Esdrae* (cf. n. 63; 72 sq.) ideam universalitatis parum excolunt. Apocalypsis quidem *Baruch* non videtur plane excludere gentes a regno messianico (cf. 73, 1), sed *liber IV Esdrae* pingit Messiam ut belli ducem, qui emittit „de ore suo sicut flatum ignis . . . et concidit super multitudinem (inimicorum) . . . et succendit omnes . . .“ (13, 10 sq.; cf. 13, 33 sqq.); deinde reget populum suum, tribus scilicet duodecim, mirabiliter a Deo congregatas.

Quae si complectamur, fateri necesse est ideam Regni Dei vere universalis vel esse derelictam vel coarctatam ad universalismum, qui tolerat forte alienigenas eosque considerat tamquam metoecos et inquilinos, subditos potius quam cives Regni Dei.

209. 2. Scripta *exoterica* inserviunt imprimis defendendae, simul autem propagandae religioni mosaicae. *Versio* quidem *Vis Ti alexandrina (LXX)* orta videtur esse ex necessitate practica Iudaeorum in Aegypto degentium, qui non iam linguam hebraicam callebant; illa enim, quae in *„epistula Aristeae“* narrantur, si non omnia, certe maxima ex parte sunt legendaria[6]. Attamen de facto haec versio extendendae religioni israeliticae maxime profuit. — Scriptores porro Iudaeorum *historici* in id fere incumbebant, ut ostenderent gentem suam esse non solum antiquissimam, sed etiam prae ceteris omnibus nationibus eo praecellere, quod in suis progenitoribus, in Abraha praecipue et Mose, mundo primos et maximos philosophos et sapientes dederit. Ita *Demetrius,* qui sub Ptolemaeo IV. (222—205) floruit, *Eupolemos* sub Demetrio I. (circa medium saeculum II a. Chr.), *Artapanus, Cleodemus* (vel Malchus), *Samaritanus* quidam *anonymus;* hi omnes ante annum 80 a. Chr. *Thallus* erat libertus Tiberii Caesaris (14—37 p. Chr.), *Flavius Iosephus,* natus circa 37/8, mortuus est post annum 100 p. Chr.[7]

Philosophum egit praeter *Aristobulum,* qui sub Ptolemaeo VI. scripsit (170—150), imprimis *Philo* Alexandrinus (circa 20 a. Chr. usque fere 40/1 p. Chr.), qui conatus est philosophiam graecam, imprimis stoicam et platonicam, conciliare cum Lege mosaica[8].

Iudaei etiam artem *poeticam* in auxilium vocarunt, qua scilicet religionem suam adaptarent eruditis, atque ab interpolationibus poetarum graecorum veterum minime abhorruerunt. Longe notissima sunt *Oracula Sibyllina* (cf. n. 60 65), quibus accedunt aliae falsificationes, velut *Pseudo-Phokylides, Pseudo-Hecataeus, Pseudo-Menander,* alii[9].

III. Propagatio iudaica et proselyti.

210. Gens Iudaeorum et religio mosaica plurimis quidem, imprimis cultis Graecis et Romanis odio erat, non solum propter Iudaeorum exclusivitatem (ἀμιξίαν), sed etiam propter aliquas

proprietates, quas rigorose observabant Iudaei (cf. supra n. 174). Nihilominus numerus eorum, qui vel plene vel ex parte religionem mosaicam receperunt, erat permagnus. Rationes autem, quae eos moverunt, ut tamquam „advenae" seu *proselyti* sese Legi addicerent, erant partim ipsae veritates (monotheismus) et cultus atque imprimis exspectatio messianica; partim autem *propaganda,* iis exercita mediis, quae modo exposita sunt. Ita religio mosaica omnibus, suum cuique, dare vel promittere valebat.

Proselyti distinguebantur *„timentes Deum"* (σεβόμενοι vel φοβούμενοι) seu *improprie dicti,* et proselyti *proprie* tales. *Priores* agnoverunt Deum Iahve eumque colebant more Iudaeorum monotheistico absque imagine; praeterea certa quaedam praecepta Legis observabant, praecipue autem sabbati et ciborum discretionis. *Proselyti* vero *proprie dicti* per circumcisionem toti sese Legi observandae submittebant atque ut membra in communitatem Iudaeorum admittebantur, praemissis, saltem tempore posteriore, circumcisione, lotione levitica, sacrificio [10].

Numerus proselytorum, qui alii alio gradu Legem observabant, tempore Christi videtur fuisse absolute et relative ingens; sunt qui numerum Iudaeorum usque ad duodecimam partem habitantium imperii romani ascendisse putent (4 500 000 ex 60 000 000 seu 7 %), inter quos certissime plurimi proselyti [11].

211. *Testimonia* occurrunt tum in libris sacris V^is T^i tum in aliis, extracanonicis. Populo Israel proficiscenti in terram Chanaan aliae stirpes sese adiunxerunt (Ex. 12, 38. Lev. 24, 10. Num. 10, 29 sqq.): praeterea *Rachab* (Ios. 2, 14), *Gabaonitae* (*Gibeanitae:* 9, 27), *Cinaei* (*Kenitae:* Iud. 4, 11 sqq.; 5. 24 sqq. 4 Reg. 10, 15. Ier. 35, 1 sqq.), *Ruth* e gente Moab, *Urias* Hethaeus (2 Reg. 11, 3 sqq.), *Achior* (Iudith 14, 6). Etiam libri Ionae, Esther, Tobiae favent proselytis [12].

Testimonia *extracanonica* Iudaeorum ex tempore Christi haec fere sunt: *Philo* (De vita Mosis II 20 sqq.) praedicat Legem, quae sibi subiugaverit totam terram: „Quis non observat diem septimum sanctum, qui praebet quietem a labore et recreationem non liberis solum, sed etiam servis, immo ipsis animalibus domesticis?" Similiter *Flavius Iosephus* (Contra Apion. 2, 10 39); numerosos proselytos fuisse Antiochiae (Bell. Iud. 7, 3, 3), ipsos proselytos contribuisse ad expensa templi (Ant. 14, 7, 2); principes regionis Adiabenes (Assyriae) conversos esse ad iudaismum (Izaten eiusque matrem Helenam, tempore Claudii imperatoris: Ant. 20, 2—4; Bell. Iud. 2, 19, 2).

Schemone esre (cf. n. 64 75) apprecatur in 13 benedictione proselytis misericordiam divinam. — *Mischna* saepe gerîm (proselytos) commemorat, eorum iura et officia circumscribit, eosque ut plurimum Israelitis aequiparat, si excipias unum vinculum sanguinis et descendentiae ab Abraha; quapropter eis ultimus assignatur locus in communitate, post ipsos nathinaeos, servos templi (Ios. 9, 21 sqq. 1 Esdr. 8, 20; *Iosephus,* Ant. 5, 1, 16) [13]. — *Trypho* (in *Iustini* Dialogo 121 sq.) applicat Is. 42, 6 ad

proselytos. — *Talmud* autem saepe conqueritur de proselytis, eosque comparat leprae. Proselytos et paederastas tardare adventum Messiae, eo forte, quod Legem non rigorose impleant (cf. n. 177)[14].

212. Tempore Christi iudaicae religionis propagandae studium viguisse docent *effata* et *Christi* et *Pauli*. *Christus* enim in sermone contra pharisaeos: „Vae vobis, (ait) scribae et pharisaei hypocritae, qui circuitis mare et aridam (terram), ut faciatis unum proselytum; et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos!" (Matth. 23, 15.) Itaque ipsi scribae, etiam palaestinenses atque hierosolymitani videntur egressi esse in diasporam, ut acquirerent advenas. Ipsum Christum aliquando suspicantur iturum esse ad gentes docendas: „Numquid in dispersionem gentium iturus est et docturus gentes?" (Io. 7, 35), fere sicut Eleazar, legisperitus, qui Izati, regi Adiabenes, persuasit, ut circumcisionem admitteret (*Ios.* Ant. 20, 2, 4). *Paulus* simili ratione increpat Iudaeum, qui instructus in Lege, sciens Dei voluntatem, hac scientia confisus iactat se „esse ducem caecorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in Lege; qui ergo alium doces, te ipsum non doces . . . qui in Lege gloriaris, per praevaricationem Legis Deum inhonoras" (Rom. 2, 19—23). Quae ad verbum fere repetunt verba Christi: „Vae vobis, duces caeci . . ." (Matth. 23, 16) et aliud illud: „dicunt enim et non faciunt" (23, 3).

Ipsi dein proselyti nominantur in *evangelio Ioannis,* Hellenes scilicet, qui rogabant Philippum: „Domine, volumus Iesum videre!" (12, 21), et pluries in *Actibus apostolorum.* Ex ipsis tum asseclae religionis christianae a Paulo praedicatae tum eiusdem inimici acerbissimi prodierunt. Vocantur vel proselyti (προσήλυτοι 2, 11; 6, 5; 13, 43) vel timentes Deum (φοβούμενοι 10, 2 22; 13, 16 26; σεβόμενοι 13, 43 50; 16, 14; 17, 4 17; 18, 7) vel „proselyti timentes" (13, 43).

Testimonia scriptorum *ethnicorum* antea iam partim allata sunt (n. 174); cf. praeterea *Seneca* (Epist. 95, 47); alium textum servavit *Augustinus* (De civ. Dei 6, 11), in quo conqueritur Romanus, quod consuetudo iudaica „per omnes iam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt". Observationem sabbati, in quo „dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae", describit *Persius* (Sat. 5, 179 sqq.) atque *Suetonius* in Vita Tiberii (32), qui scilicet exsul degens Rhodi in insula a philosopho Diogene „in septimum diem" dilatus est. Huc spectant testimonia *Horatii* (Sat. 1, 9, 68 sqq.), *Iuvenalis* (Sat. 14, 96 sqq.), *Cassii Dionis* (37, 17)[15].

Ceterum hoc tempore, post eversionem nempe Urbis atque bello peracto Bar Kocheba (135), iam *cessavit* propagatio iudaica,

vel sub influxu pharisaico-rabbinico, qui observationem Legis quam exactissimam postulavit potius quam religionis mosaicae extensionem (cf. n. 177), vel simul ob aemulationem religionis christianae, quae eodem tempore, expulsa e terra palaestinensi, asseclas suos e solis fere ethnicis sibi adscivit. Antea autem, tempore Christi et primae praedicationis apostolicae, propagandae iudaicae religionis studium viguit atque *tendentiam quandam universalisticam* religioni mosaicae inesse ostendit, non quidem absolutam sed *moderatam,* essentialiter nimirum *nationalem,* licet vinculum sanguinis non praerequireretur, ut quis membrum sacrae communitatis Israel fieret.

Pars altera. De testimonio Iesu Christi.

Procedimus in hac parte altera ita, ut (I) Christi testimonium *implicitum* et *virtuale,* dein (II) eius testimonia et effata *explicite* et *diserte universalia* consideremus.

I. Testimonium Christi implicitum.

213. Christus nimirum doctrinam protulit, quae concedentibus omnibus est universalis ipsa sua interna indole. Iamvero haec indoles doctrinae auctorem eius, Christum, modo fuisset homo mediocris saltem ingenii, fugere nequaquam potuisset, praesertim cum vixerit eo tempore, quo viguerunt tendentiae universalisticae in populo suo, quas ipse novit et participavit. Ergo, si ipse Regnum Dei descripsit ut universale, praesumendus est perspexisse hunc universalismum eumque intendisse; ergo exspectanda sunt etiam effata Christi diserta, quibus scilicet hanc suam intentionem et voluntatem manifestaverit; ergo, si talia in fontibus nostris occurrunt, certe reici non poterunt eo, quod menti et indoli Christi alioquin notis contradicant. Iam singula paucis ulterius adumbremus.

214. 1. *Indoles doctrinae Christi est universalis.* Universalismus *virtualis* adeo praedicationi Christi inhaeret atque tam clare ex ea elucet, ut vel ipsi adversarii assertionis nostrae fateri cogantur Christum hanc suae doctrinae indolem, ipsum solum, non percepisse, cum tamen eius asseclae inde a prima christiana Ecclesia eam perspexerint.

Et re quidem vera, quidquid religionem christianam ad gentem aliquam particularem vel ad aliquas nationes coarctare potest, a Christo remotum est. Nam Regnum Dei a Christo praedicatum nullo modo est *politicum* (*Ass. 6,* n. 153 sqq.), neque est *nationale,* ut constat ex assertione praecedenti (*Ass. 7,* n. 167 sqq.); Israel, cum quo initum erat Vetus Foedus, reiectus, Vetus Foedus

accedente Novo abrogatum est. Ex altera parte doctrina Christi proponit Regnum Dei *ethicum,* quod ordinat relationes hominis ut talis ad Deum tamquam auctorem, summum dominum, patrem (*Ass. 5,* n. 139 sqq.); Regni deinde *gratiosi* bona imprimis interna et religiosa sunt, regeneratio hominis in filium Dei, quam promeruit Christus morte sua, pro „multis" oblata (*Ass. 5,* n. 135 sqq.). Onera igitur et munera, iura et officia huius Regni Dei sunt *natura sua universalia,* quippe quae spectant hominis animam eiusque salutem.

215. 2. Hanc autem indolem doctrinae propriae *Christus non cognoscere non potuit.* Etiamsi abstrahamus interim a legatione atque a filiatione Christi divina, eum tamen gradum *intellegentiae* Christo attribuamus necesse est, qui correspondeat ipsius doctrinae sublimitati. Omnis porro Iudaeus invenire potuit in *prophetis* universalismum, qui omnes gentes, ut se Israel adiungerent, invitabat; numquid Christus eum non viderit? Hac idea deinde universalistica permoti scribae profecti sunt in terras longinquas, ut populo suo et religioni suae *advenas* adsciscerent: numquid Christus reiecerit hunc zelum?

Fontes nostri referunt inter *cognatos* Christi viguisse ideas universalisticas (*Ass. 3;* n. 89 sqq.), porro ipsum Christum *conversatum* esse *cum alienigenis* et Samaritanis (Luc. 9, 51 sqq.: 10, 29 sqq.; cf. 17, 16. Io. 4, 4 sqq.) et ethnicis (Matth. 8, 5 sqq.: cum centurione; Marc. 3, 8: aderant auditores etiam extra Palaestinam habitantes; Matth. 8, 29 sqq. Marc. 5, 1 sqq. Luc. 8, 26 sqq.: Geraseni; Io. 12, 20 sqq.: Hellenes accedunt ad eum; cf. Matth. 23, 15; Io. 7, 35). Qui igitur fieri potuit, ut Christus ne cogitaverit quidem de quaestione, quid de ethnicis in Regno Dei ab ipso praedicato? Quodsi deinde ipse Christus *alludit* ad dicta prophetarum universalia, et in contextu quidem, qui omnem suspicionem interpolationis evangeliorum vel fictionis evangelistarum longe reicit (Matth. 12, 39 sqq.: exempla Ninivitarum et reginae Sabae; Luc. 4, 24 sqq.: exempla viduae in Sarepta, Naaman Syri: Marc. 11, 17 citatur Is. 56, 7), nonne iure inde concluditur Christum hanc quaestionem non solum novisse sed etiam decidisse?

Atque ex hac iam sola consideratione magnum auctoritatis pondus affertur defensioni genuinitatis historicae textuum, qui exhibent effata Christi diserte universalia.

II. Testimonium Christi explicitum et disertum.

Postquam (1) *textus principales,* qui universalismum continent, recensuerimus, (2) eorum *genuinitatem historicam* ostendemus maxime eo, quod ideam universalisticam evangelia integra pervadere evin-

camus. Si quis igitur his testibus vel minimam fidem adhibere velit, concedere debet effata, Christo adscripta, universalia minime pugnare cum eius doctrina, immo ab ipsa requiri. Ita tota atque integra textuum et testimoniorum series enumerabitur.

1. Textus principales eorumque explicatio.

216. *Christus* quidem *ipse* non est „missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel" (Matth. 15, 24), sicut respondet discipulis, qui eum compellebant, ut, extra fines Palaestinae degens, sanaret filiam mulieris chananaeae (15, 21 sqq.). Sensum autem huius effati ipse explicat eo quod ait: „Non est aequum (καλόν), adimere filiis panem eumque dare catellis" (15, 26), quibus verbis addit EvMarc. alia: „Sine *prius* saturari filios" (7, 27). Christus igitur *praerogativas Israel* agnoscit, quibus Iudaei vocati sunt, ut primo audirent evangelium et satiarentur bonis regni messianici; alii autem ab hoc regno nequaquam excluduntur. Eodem sensu intellegendum est mandatum, quod dedit apostolis suis in eorum *missione praevia:* „In viam gentium ne abieritis et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves, quae perierunt domus Israel" (Matth. 10, 5 sq.), quod in ipso tenore verborum consonat cum responso mulieri chananaeae dato. Immo etiam post mortem Christi apostoli prius Iudaeis, deinde gentibus evangelium praedicare a Christo iubentur (Luc. 24, 47. Act. 1, 8), sicut Paulus dicit Iudaeis Antiochiae Pisidiae: „Vobis oportebat *primum* loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud . . . ecce convertimur ad *gentes*" (Act. 13, 46; cf. verba Petri 3, 26).

Ex eadem consideratione determinatur sensus alius dicti Christi, quo nimirum apostolis suis duodecim promittit eos secum, tamquam rege, functuros esse muneribus regalibus, scilicet *iudicii super duodecim tribus Israel* (Matth. 19, 28. Luc. 22, 29 sq.). Duodecim autem tribus Israel vel sumuntur de universitate credentium, qui, utpote Christo inserti, dicuntur filii Abrahae (Gal. 3, 29. Rom. 4, 12; 11, 17 sqq. Phil. 3, 3)[16], vel ex condicione adhuc vigente populi Israel explicantur, qui scilicet primus erat invitatus ad bona messianica, ut in eo et per eum ceteri populi benedicerentur.

Et hi quidem sunt textus praecipui, qui afferri solent, ut ostendant Christum universalismum vel non novisse, vel etiam reiecisse. Veniamus ad eos, qui universalismum ipsum positive asserunt.

Praeter expressiones quasdam generales expositione dignae sunt (a) parabolae et (b) effata quaedam diserte universalia.

217. Christus loquens de suis apostolis eos vocat „salem *terrae*“ et „lucem *mundi*“ (Matth. 5, 13 sq.); ipse venit ignem mittere in *terram,* non autem pacem (Luc. 12, 49 51). Evangelistae autem Ioanni vox „mundi“ (κόσμος) maxime familiaris est.

a) *Parabolae,* quibus Christus Regnum Dei describit, indolem eius universalem quam clarissime exhibent.

Septem illae, quas *Matth.* coniunxit (13, 1 sqq.; cf. n. 122) parabolae, omnes quidem universalitatem Regni Dei exprimunt, aliae autem alio modo. *Negative* potius et *virtualiter* parabola de *semente* (13, 3 sqq. Marc. 4, 3 sqq. Luc. 8, 5 sqq.), quae contendit omnem hominem, dummodo cum dono verbi divini cooperetur, posse fieri membrum Regni Dei; similiter in parabolis de *thesauro* et de *margarita* (Matth. 13, 44 sqq.) *„homo“* invenit vel quaerit Regnum Dei, nullo facto discrimine nationali. *Positive* autem eundem sensum efferunt parabola de *zizaniis* (13, 24 sqq.) et praecipue eius expositio (13, 36 sqq.: „ager est mundus“), parabola porro de *grano sinapis* et de *fermento* (13, 31 sqq.; cf. Marc. 4, 30 sqq.; Luc. 13, 18 sq.) deque *sagena,* quae immissa in *mare* ex omni genere piscium congregat (13, 47 sqq.). Etiam parabolae, quas *EvLuc.* proprias habet, imprimis in magna intercalatione 9, 52—18, 14, saltem virtualiter universalitatem Regni Dei praedicant. Et clare quidem parabola de *Samaritano* misericorde (10, 29 sqq.), cui accensenda est narratio de decem leprosis sanatis, inter quos solus Samaritanus gratias Christo agit (17, 11 sqq.). Parabolae deinde de *ove* et *drachma perdita* (15, 1 sqq.) deque *filio prodigo* (15, 11 sqq.), de *villico iniquo* (16, 1 sqq.), de *divite* et de *Lazaro* paupere (16, 19 sqq.), de *iudice impio* (18, 1 sqq.), de *pharisaeo* et *publicano* in templo orantibus (18, 9 sqq.) sunt saltem negative universales, quatenus abstrahunt ab indole nationali vel etiam laudant alienigenas prae Israelitis.

Clarius loquuntur parabolae, quibus Christus Hierosolymis indicat *reiectionem Israel* mox futuram, nisi paenitentiam egerit (cf. *Ass. 7;* n. 188). Parabola quidem de *duobus filiis* (Matth. 21, 28 sqq.) non diserte loquitur de reiectione Israel integri; attamen publicani, considerati ut excommunicati fere et exclusi ex sacra communione Israel, ethnicis merito aequiparantur. *Vinitores* autem, de quorum scelere narrat parabola sequens (Matth. 21, 33 sqq. Marc. 12, 1 sqq. Luc. 20, 9 sqq.), in poenam criminis, secundum sententiam ipsorum auditorum Christi, excluduntur ex vinea eiusque usufructu; regnum autem dabitur omni populo, qui afferet fructum (21, 43).

Parabola deinde de *nuptiis regalibus* (Matth. 22, 1 sqq. Luc. 14, 16 sqq.) complectitur totam fere historiam salutis, scilicet

vocationem Israel, qui venire renuit („omnia parata sunt; venite ad nuptias!"). „Et coeperunt simul omnes excusare": neglexerunt verba regis, immo aliqui ex iis servos regios occiderunt. Rex autem iratus reos morte mulctavit atque eorum civitatem succendit. „Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque (ὅσους) inveneritis, vocate ad nuptias" (Matth. 22, 8 sq.). Secundum *Luc.* vero non solos pauperes et debiles et caecos et claudos ex plateis et vicis *civitatis* ipsius adduci rex iubet, sed, cum servus eius, mandato impleto, ei nuntiaret: „Domine factum est, ut imperasti, et adhuc est locus!" rex ait ei: „Exi in vias et saepes (*extra* civitatem) et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam!" (Luc. 14, 22 sqq.)[17] *Matth.* iterum ex sua traditione addit verba Christi, quibus docet etiam discumbentium cooperationem vel dispositionem eatenus saltem requiri, quod vestem nuptialem ultro eis datam induant, atque sic digni dapibus regalibus intersint. Idea igitur universalismi utrique relationi, et Matth. et Luc., inest, ea tamen differentia, ut Luc. eam ut principalem atque ut unicam fere exhibeat[18].

b) Effata Christi *diserte universalia.*

218. „Dico autem vobis, quod multi venient *ab oriente* et *occidente* et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum; *filii autem Regni* eicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium" (Matth. 8, 11 sq. Luc. 13, 28 sq.). *Matth.* haec verba Christi refert in narratione servi centurionis, quem Christus sanavit in Capharnaum; *Luc.,* licet et ipse hanc sanationem habeat (7, 1 sqq.), hoc tamen Christi verbum alio in contextu inserit, scilicet in responso Christi, cum interrogatus esset: „Domine, si pauci sunt, qui salvantur?" (Luc. 13, 23.)

Instructio, quam Christus apostolis suis dat ante praeviam eorum missionem (Matth. 10, 5 sqq.; cf. Marc. 6, 8 sqq.; Luc. 9, 3 sqq.; cf. 10, 4 sqq.), apud *Matth.* continet alteram partem, quae respicit missionem definitivam, futuram (Matth. 10, 16 sqq.), quaeque iterum occurrit in sermone eschatologico (24, 9 sqq.). In utroque loco *missio* haec describitur ut *universalis.* Persecutiones enim apostolos exspectant non solum ex parte Iudaeorum (synedrii et synagogae), sed etiam a legatis romanis (ἡγεμόνες) et regibus gentium (βασιλεῖς), et quidem „in testimonium illis (Iudaeis) et gentibus" (10, 18; cf. Act. 1, 8 „eritis mihi testes..."). „Et eritis odio omnibus propter nomen meum" (Matth. 10, 22; cf. Marc. 13, 13; Luc. 21, 17).

„Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis Regnum Dei et dabitur *genti facienti fructum* eius" (Matth. 21, 43). Haec verba Christi, dicta in parabola de iniquis vinitoribus (cf. n. 217), non asserunt Regnum Dei, reiecto populo Israel, denuo *singulari* alicui genti traditum iri, sed omni genti omnibusque hominibus, modo fideles fuerint vinitores, qui suo tempore domino vineae fructus afferant.

„Et praedicabitur hoc evangelium Regni *in universo orbe,* in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio" (Matth. 24, 14. Marc. 13, 10). Lucas eandem praedictionem modo paululum variante praebet: „Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur (Iudaei) in omnes gentes. Et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur *tempora nationum*" (Luc. 21, 24; cf. Rom. 11, 25 sq.: „. . . caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret . . .").

„Amen, dico vobis: ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium *in toto mundo,* dicetur et quod haec fecit in memoriam eius" (Matth. 26, 13. Marc. 14, 9), scilicet unctio, qua mulier in domu Simonis leprosi Christum unxit „in sepulturam".

„Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli eius cum eo (cf. Matth. 13, 40 sqq. 49 sq.), tunc sedebit super sedem maiestatis suae. Et congregabuntur ante eum *omnes gentes,* et separabit eos ab invicem . . ." (Matth. 25, 31 sq.). In ultimo igitur iudicio Christus, indutus gloria sua regali, iudicabit omnes gentes, et quidem secundum normam caritatis, quam quisque membris Christi ex amore Christi praestiterit (cf. Matth. 10, 40 sqq.; 12, 50); supponit ergo etiam in hac vita Regnum Christi esse universale normamque eius notam omnibus hominibus.

219. His iam effatis Christi potius *assertivis* accedunt alia, quae *praeceptiva* dici possunt. Atque imprimis *Matth. 28, 18 sqq.* continet mandatum Christi formale, ut apostoli evangelium praedicent omnibus gentibus atque omnes homines ut discipulos Christo adducant. „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete (facite discipulos, μαθητεύσατε) *omnes gentes . . .;* et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi." *Conclusio* vero *Marci* eandem Christi missionem exhibet: „Euntes in mundum universum praedicate evangelium *omni creaturae*" (Marc. 16, 15). Atque haec conclusio, si cui non probetur ut pars evangelii Marci, saltem erit testis consensus christiani saeculi primi, quo modo ultimum Christi mandatum, apud Matth. relatum, intellectum sit[19]. *Luc.* vero tum in evan-

gelio (24, 46 sq.: „oportebat . . . et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum *in omnes gentes,* incipientibus ab Ierosolyma") tum in Actibus (1, 8: „eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et *usque ad ultimum terrae*") refert missionem apostolorum universalem.

220. Inter omnes constat *evangelium Ioannis* ideam universalisticam summopere excolere. Neque enim soli textus illi numerosi, qui loquuntur de „mundo" (κόσμος), pro cuius salute Christus venit (cf. e. g. Io. 1, 29; 3, 16 sq.; 6, 33; 8, 12 = 9, 5 = 12, 46 sq., verba scilicet vel Christi vel evangelistae), universalismum continent, sed etiam effata Christi explicita. Christus nempe ut *pastor bonus* (Io. 10, 11) non solos Iudaeos reget; sed insuper „*alias* (ait) oves habeo, quae *non* sunt *ex hoc ovili;* et illas oportet me *adducere,* et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor" (10, 16; cf. e. g. Eph. 2, 11 sqq. et verba evangelistae Io. 11, 52). Cum porro Hellenes Iesum videre quaererent (12, 21), ipse eis respondet: „Et ego, si exaltatus fuero a terra (in cruce: 12, 33), *omnia* traham ad me ipsum" (12, 32). Idem demum dicit in *oratione sacerdotali* quae vocatur (17, 1 sqq.). Deus dedit ei „potestatem *omnis carnis*" (cf. Matth. 11, 27; 28, 18), ut Christus ei det vitam aeternam (17, 2). Hinc mittit apostolos suos in mundum (17, 18); pro ipsis rogat, ut Pater eos sanctificet. „Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui crediturі sunt per verbum eorum in me; ut *omnes unum* sint, sicut tu Pater in me et ego in te . . ." (17, 20 sq.). Eadem igitur est missio Filii Dei, per quem solum pervenitur ad vitam (3, 36), eadem missio apostolorum, quibus suam tribuit missionem (17, 18): „Sicut misit me Pater, ego mitto vos . . ." (20, 21). Nulla salus absque Christo, *omnis salus* per Christum, *omni homini,* qui crediderit. „Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio Dei, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum" (3, 36).

221. Ex hoc mandato Christi natum est *ius* supremum, vere divinum, apostolorum et hinc (ut deinceps probabitur) Ecclesiae, ut possint libere praedicare evangelium omnibus hominibus; omnes vero homines obligantur ex eadem voluntate Christi, ut non solum Christi legatis libertatem concedant eosque non solum audiant, sed etiam amplectantur doctrinam apostolicam, sub sanctione amissionis aeternae vitae et salutis. Ex altera parte apostolis (et Ecclesiae) *onus* gravissimum et semper urgens *obligatio* imponitur, ut evangelium praedicent atque ita omnibus hominibus viam salutis aperiant, omnes ad ingressum in Regnum Dei invitent, eosque ritu initiationis, baptismo dico (Matth. 28, 19), recipiant. „Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo in-

vocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur . . .?" (Rom. 10. 13 sq.) Hinc officium praedicationis evangelii. „Nam si evangelizavero", ait Paulus, „non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Vae enim mihi est [i. e. poena mihi imminet: *Zorell,* LG s. v. οὐαί], si non evangelizavero!" (1 Cor. 9, 16; cf. 1, 17.)

2. De genuinitate effatorum Christi universalium historica.

222. Quoniam iisdem argumentis ostendi potest genuinitas et *litteraria* (effata scilicet universalia non esse, evangeliis iam conscriptis, postea interpolata) et *historica* (effata scilicet Christo attributa non esse fictiones evangelistarum vel primaevae Ecclesiae, quas hagiographi bona fide ut Christi dicta susceperint et retulerint, sed ea ab ipso Christo prolata esse), sufficiat alteram genuinitatem, historicam nempe, solam paulo fusius ostendere. Cum porro inter omnes constet evangelia Marc., Luc., Io. scripta esse proxime pro christianis ex ethnicis conversis, iam patet illa ideam universalisticam non solum continere, sed eandem ut fundamentum supponere. Inquisitio sequens proinde imprimis examinabit *EvMatth.,* quippe quod, pro christianis ex Iudaeis conversis scriptum, forte universalismum non tam clare exhibet; forte etiam, ita opinantur qui negent universalismum Iesu, conservavit vestigia saltem ideae particularisticae et nationalis. Iamvero *EvMatth.* — et idem valet a fortiori de ceteris evangeliis — eiusque partes et singulae fere pericopae tam intime cum idea universalismi conexae sunt, ut hic, salva essentia et substantia evangelii atque salva imagine, quam de Christi persona et opere delineat, eliminari nullatenus possit. Quodsi evangeliis fides denegetur in iis, quae de universalismo Iesu asserunt, iam actum est de eorum indole historica tota.

Quod ut efficacius ostendamus, supponamus interim *theoriam „duorum fontium"* quae nuncupatur, secundum quam *EvMatth.,* prout nunc legitur, non sit opus apostoli Matthaei, sed compilatum ex duobus fontibus primitivis, scilicet ex *collectione* quadam *sermonum Domini* (*Q*) et ex *EvMarc.* (sive ea forma, qua nunc exstat, sive alia, antiquiore et breviore), ex quo potissimum partes narrativae desumptae sint. Haec opinio, ab exegetis criticis protestantibus fere omnibus admissa, reiecta vero iure a catholicis ut carens fundamento atque contradicens traditioni veteri [20], secundum eiusdem fautores nos adducit ad fontes antiquissimos vitae Christi. Si igitur ipsi hi fontes sunt universalistici, tota traditio christiana primaeva dici debet universalistica, i. e. viguit inde ab initio persuasio *Christum docuisse Regnum Dei universale.*

223. a) Auctor primi evangelii dicta Christi, quae secundum theoriam duorum fontium invenit in *„logiis“* (*Q*)[21], in quinque *„sermonibus“* composuit: 5, 1—7, 27; 10, 5—42; 13, 1—52; 18, 1—35; 23, 1—25, 46; quos singulos formula finali („et factum est, cum consummasset Iesus verba haec . . .“ [7, 28] vel simili) concludit[22]; in omnibus praevalet idea Regni universalis.

Et in *sermone* quidem *montano* (5, 1 sqq.), qui concedentibus omnibus Regni Dei propriam naturam et indolem describit, et bona huius Regni et officia ab hominibus praestanda virtualiter saltem universalia a Christo annuntiantur: Deus etenim est pater hominum, homines vero prosequantur Deum amore filiali, alios homines amore fraterno. Hac ratione Lex mosaica perficitur, eo quod limites particulares iam nunc partim removentur (5, 21 sqq.). Regnum Dei novum omnibus hominibus patet, qui omnes sale condiendi, lumine illustrandi sunt (5, 13 sq.).

Instructio porro *apostolorum* (10, 5 sqq.) agit proxime de missione eorum praevia; sed in hac iam parte indicatur sors evangelii et Regni Dei; erunt inter ipsos Iudaeos, qui non admittent praedicationem apostolorum, et exinde gravius punientur quam ipsae civitates ethnicae (10, 15). Accedit deinde altera pars sermonis diserte universalis (10, 16 sqq.; cf. n. 218).

Sermo parabolarum (13, 1 sqq.) exhibet Regnum Dei ut universale (cf. n. 217). *Instructio* vero *altera apostolorum* (18, 1 sqq.; cf. n. 318 sqq.), utpote habita postquam Iesus super Petrum suam se Ecclesiam fundaturum promisit (16, 13 sqq.), clare supponit et effert universalitatem praedicationis et curae pastoralis apostolorum. Pater caelestis vult omnium suorum liberorum salutem (18, 14); potestas dein apostolis promissa est quam maxime universalis, complectens nimirum non solam terram, sed etiam caelum ipsum (18, 18).

Sermones denique *iudiciales* indicant non solam reiectionem Israel (23, 37; cf. n. 188), sed iudicium futurum et super Hierosolyma et super totum mundum (25, 31 sqq.; cf. 24, 4 sqq.).

224. b) „Logia“ igitur Christi nequeunt divelli ab idea universalismi, quae doctrinae Christi est essentialis; atque idem dicendum est de *altero fonte,* quem admittit theoria duorum fontium, *narrativo* nempe, qui secundum substantiam servatus esse dicitur in *EvMarc.* Percurramus iam ceteras partes *EvMatth.*, ut inde eluceat, utrum alia fuerit sententia auctoris „fontis narrativi“, an vero eadem ac in fonte *Q*.

Verba Christi incipiunt referri inde a capite 4. Iam hoc ipso capite narrantur *tentationes* Christi, messianicae (cf. n. 97), quibus

Christus reicit ideam *Regni Dei politici* et *nationalis* atque illud *religiosum* esse declarat.

Capita 8 et 9 exponunt, *quibus signis* Christus suam missionem *probaverit;* atque haec ipsa relatio arcte cohaeret cum controversia de potestate Christi, qua remittit peccata (9, 1 sqq.), et de ieiunio (9, 14 sqq.), cuius occasione Christus adhibet comparationem vestis detritae et utris veteris. Insuper affertur (8, 11 sq.; cf. n. 218) effatum Christi de filiis Regni eiciendis.

In capitibus 11 et 12 secundum criticos plures sunt partes e fonte *Q* depromptae; ita verba Christi *de Ioanne Baptista* (11, 7 sqq.), ita *defensio* Christi contra calumniam pharisaeorum (12, 25 sqq.); utroque loco Christus declarat Regnum Dei esse iam *praesens* (cf. n. 123 sq.), et quidem ut *religiosum,* licet ab Israel eiusque ducibus non sit agnitum. Hinc nil mirum, quod *civitates ethnicae* praeferuntur civitatibus Galilaeae incredulis (11, 20 sqq.), Ninivitae et regina Sabae pharisaeis signum petentibus (12, 38 sqq.), cognatis et sanguine iunctis ii, qui fecerint voluntatem Patris, qui in caelis est (12, 48 sqq.).

Iesus non solum *spiritum* pharisaeorum eorumque *traditiones,* utpote Legi Dei adversas, atque ipsam *„plantationem“,* quam non plantavit Pater caelestis (15, 13), reicit, sed etiam, procul a terra Iudaeorum, novum Regnum suum *super novo fundamento* se conditurum esse promittit (16, 13 sqq.). In hoc contextu speciali consideratione digna sunt verba, quae dirigit Christus ad *mulierem chananaeam* (15, 26), et illa, quibus apostolos suos monet, ut caveant a *„fermento pharisaeorum“* (16, 6).

Post promissionem primatus Simoni tradendi Christus praeprimis apostolos suos docet *passionem et mortem* suam futuram *expiatoriam* et *redemptricem* (16, 21 sqq.; 17, 22 sqq.; 20, 17 sqq.) *universalem* (20, 28). Simul eos instruit de sua *persona* (in transfiguratione: 17, 1 sqq.), de *relatione suae Ecclesiae* super Simonem Petrum fundandae ad templum et Foedus Vetus (17, 24 sqq.: de didrachma solvenda), de *virtutibus apostolicis* (18, 1 sqq.: sermo de cura pastorali; 18, 21 sqq.: de caritate; 19, 1 sqq.: de castitate, paupertate, humilitate, quibus Regni Dei perfectio adumbratur). Sequuntur parabolae de *reiectione Israel* (21, 18 sqq.), altercationes cum pharisaeis et sadducaeis (22, 15 sqq.: de tributo Caesari solvendo; 22, 23 sqq.: de resurrectione; 22, 34 sqq.: de maximo mandato; 22, 41 sqq.: de filio David), quae opponunt ideam Regni Dei veram opinionibus politicis et terrenis adversariorum Christi. Textus, qui diserte universalitatem Regni Dei edicunt, non desunt (21, 43; 22, 7 sqq.; cf. n. 217 sq.). Post sermones iudiciales refertur *passio* et *mors* Christi, quae diserte dicitur redemptiva et quidem pro *omnibus*

hominibus, cum quibus nempe Novum Foedus pangitur (26, 26 sqq.; cf. n. 192 sq.). Sic demum intellegitur effatum Christi ultimum, quod in *EvMatth.* narratur, *missio* scilicet undecim apostolorum *ad omnes gentes* docendas et ritu baptismali initiandas, ut fiant Christi discipuli, in Christi Ecclesia (Matth. 28, 18 sqq.). Sed quoniam de hoc textu speciales solent moveri difficultates, eius veritas et genuinitas speciali quoque inquisitione certae reddantur.

225. De genuinitate *litteraria,* auctorem videlicet primi evangelii hos versus (*Matth. 28, 18—20*) scripsisse, nulla potest esse controversia [23]. Editiones criticae omnes eos retinent sine ullo signo critico. Neque adsunt lectiones variantes tales, ut inficiant sensum [24]. Insuper autem haec missio apostolorum ultima est *conclusio formalis* evangelii, quod ut opus artis eximium tali conclusione carere nequit, resumens et consummans ideas evangelii et praedicationis Christi. Et haec quidem ratio probat genuinitatem tum litterariam tum *historicam,* quae nempe asserit Matthaeum referre ipsa *verba Christi.*

Primum etenim evangelium describit Christum ut *Messiam,* licet reiectum a populo suo, tamen verum, signis a Deo manifestatum ut talem, immo ut *Filium Dei* unigenitum sensu naturali. Externe quidem insidiis inimicorum suorum succubuit; morte turpissima necatus est; at non interiit neque ipse neque opus quod annuntiavit, *Regnum Dei* novum, messianicum. Hinc et *resurrectio* Christi narratur (28, 1 sqq.) et mandatum regium, quo iubet legatos suos regnum suum, Regnum Dei novum, praedicare et condere inter homines.

Id quod etiam clarius sese manifestat examinanti textum istum eiusque *concatenationem* cum aliis textibus cognatis cumque totius evangelii structura. Soluto Foedere Vetere, reiecto porro populo Israel, iam ultro oritur *quaestio*: Quidnam de *consiliis divinis*? quidnam de Regno Dei iamiam annuntiato? Christus deinde ex suis discipulis quosdam elegit, quos *apostolos* vocavit et speciali aliquando auctoritate se induere velle indicavit, super quos „*Ecclesiam suam*“ (16, 18) se esse fundaturum promisit. *Quandonam* haec promissio impleta est? Et haec quidem consideratio, potius negativa, intime conectitur — ab ipso auctore evangelii — cum altera, positiva, cum colligatione nimirum *textuum* quorundam *principalium* huius evangelii, quorum ultimus, corona quasi et terminus, est missio universalis apostolica. *Matth. 11, 25 sqq.* iam Christus ipse iisdem fere verbis suam cum Patre aequalitatem asserit: „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo“ (11, 27), atque ex hac aequalitate deducit iura sua regalia in Regno Dei: „Venite

ad me omnes . . . tollite iugum *meum* super vos . . . iugum enim *meum* suave est et onus *meum* leve" (11, 28—30). Paulo postea, Caesareae Philippi, iterum divinitatem suam asserit, confirmans videlicet confessionem Petri: „Tu es Christus, Filius Dei vivi!" (16, 16), atque hac occasione etiam clarius loquitur de Regno Dei tamquam de *Regno suo:* „. . . super hanc petram aedificabo Ecclesiam *meam*. . . . Et tibi dabo claves *Regni caelorum*. . . ." (16, 18 19). Id quod tunc temporis futurum erat pro apostolis, praesens sistitur in apparitione Christi *resuscitati*[25] in monte Galilaeae (28, 16 sqq.). „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra" (28, 18), quia scilicet est Filius Dei, cum Patre et Spiritu Sancto verus Deus (28, 19). Hac iam potestate nunc mittit apostolos suos: „Euntes ergo docete (facite discipulos: μαθητεύσατε) *omnes gentes,* baptizantes eos . . . docentes eos servare omnia . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" (28, 19—20). Missio igitur haec definitiva complectitur totam doctrinam, quam Iesus Christus *de se* deque *opere* et *munere* suo dederat; intime deinde conectitur cum praedicationis suae evangelicae indole *universali* et cum sorte, quam coram Iudaeis nacta est, cum *reiectione* Messiae et *praeparatione novi fundamenti* regni messianici super Simonem, qui ob idipsum vocatur Petrus (cf. infra n. 362 sqq.).

Immo *singula fere verba* huius missionis alludunt ad effata Christi aliis in occasionibus dicta: „Data est mihi omnis potestas": cf. 11, 27; 16, 18 sq.; 18, 18; „in caelo et in terra: cf. 16, 18 sq.; 18, 18; „facite discipulos (μαθητεύσατε)": cf. 13, 52 („scriba doctus in Regno caelorum: γραμματεὺς μαθητευθείς"); „omnes gentes": cf. 10, 16 sqq.; 24, 14; 25, 32; 26, 13; 20, 28; 26, 28; „vobiscum sum . . .": cf. Matth. 16, 18 (hinc portae inferi non praevalebunt); 18, 19 sq.

Hac denique ratione impletur, quod de *„Filio hominis"* — nomen nempe hoc Christus sibi attribuit prae ceteris messianicis — legitur apud *Danielem:* „Et dedit ei potestatem et honorem et regnum. Et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient (πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς κατὰ γένη καὶ πᾶσα δόξα αὐτῷ λατρεύουσα). Potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur" (7, 14).

226. De *ceteris evangeliis* pauca admodum adiungere liceat. Generatim dici potest *EvMarc.* universalitatem Regni Dei potius supponere quam ut eam tam diserte exhibeat sicut *EvMatth.* Desunt quidem in ipso effata Christi correspondentia ad Matth. 10, 5 sq. („in viam gentium . . ."); 19, 27 („iudicantes duodecim

tribus Israel . . .“), sed etiam aliqua ex dictis eius diserte universalibus, quae apud Matthaeum leguntur; retinuit nempe haec: Matth. 26, 13 = Marc. 14, 9; Matth. 28, 18 sqq. = Marc. 16, 15 sq. Insuper autem duobus locis universalitatem Regni Dei clarius quam *EvMatth.* refert: Marc. 7, 27 („sine *prius* satiari filios . . .“; cf. Matth. 15, 26) et Marc. 11, 17 (textus propheticus integer adducitur: „domus orationis *omnibus gentibus*“; cf. Matth. 21, 13).

De *Lucae* sententia universalistica nequit esse disputatio. Ipse enim in primis capitibus, quae de Christi infantia agunt, munus eius universale enuntiat, verbis tum angelorum in annuntiatione nativitatis Christi (2, 14) tum Simeonis (2, 29 sqq.). De parabolis, quas Lucas solus affert, egimus supra (cf. n. 217). *Missionem* vero *universalem* definitivam eandem refert ac Matthaeus, scilicet Luc. 24, 47; eandem deinde in Actibus apostolorum (cf. n. 231).

EvIo. totum quantum est *universalisticum.* „In principio erat Verbum . . . et Deus erat Verbum“ (1, 1). „Et Verbum caro factum est . . .“ (1, 14). „*Quotquot* receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri“ (1, 12). „Et de plenitudine eius *omnes* nos accepimus . . .; quia Lex per Mosem data est: gratia et veritas per Iesum Christum facta est“ (1, 16 sq.). Haec verba prologi thema et indolem totius evangelii indicant. Idem evangelista repetit in conspectu (12, 36 sqq.), in quo verba ipsius Christi affert haec: „Ego lux in *mundum* veni, ut *omnis,* qui credit in me, in tenebris non maneat“ (12, 46). Lux mundi ad illuminandum *omnem* hominem venientem in hunc mundum, haec erat *missio Christi,* hanc dedit *apostolis* suis: „Sicut tu me misisti in mundum (ait ad Patrem), et ego misi eos in mundum“ (17, 18).

Scholion 1. Testimonium primaevae Ecclesiae.

Ipsi iam evangelistae et ipsa evangelia testimonium perhibent persuasionis, quae in prima Ecclesia vigebat. Quibus, quo magis vis huius consensus appareat, adiungimus effata et Pauli et aliorum hagiographorum necnon aliqua saltem testimonia aetatis apostolos subsequentis.

1. Paulus quid de universalitate Regni Dei sentiat.

227. Paulus quidem, ut universalitatem salutis, quae in Christo Iesu hominibus affulsit, ostendat, non solum (A) docet omnia huius *impedimenta* aliquando exsistentia iam esse *sublata,* sed (B) etiam *unitatem* religionis christianae (et Ecclesiae) *universalem* praeclare adumbrat.

A. Omnia, quae perfectam unitatem et universalitatem Regni Dei impedire possunt, sublata sunt. Iam age, *impedimentum*

principale, utpote statutum ab ipso Deo, erat vinculum nationale-religiosum *Foederis Veteris,* quo nimirum Deus unum prae ceteris populum sibi elegit in peculium; „qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum et gloria et testamentum . . . et promissa; quorum (sunt) patres et ex quibus est Christus secundum carnem . . ." (Rom. 9, 4 sq.). Sed hoc Foedus abrogatum est institutione Novi et aeterni Foederis, ipse vero Israel ob duritiem suam reiectus est (cf. *Ass. 7;* n. 196). Eodem autem Foedere Novo, universali gentes aliae, quae aliquando „longe erant", factae sunt „prope in sanguine Christi" (Eph. 2, 13). Ipse enim maceriem, quae separabat gentes a populo promissionis, solvit atque unitatem et pacem constituit inter utramque partem, reconcilians „ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso" (2, 16). Hinc gentes non iam sunt advenae et hospites, alienati a civitate (πολιτεία) Israel (2, 12), sed „cives sanctorum et domestici Dei", nihilo deteriores quam Israelitae, quoniam omnes aedificati sunt super idem fundamentum, apostolorum nempe et prophetarum, „ipso summo angulari lapide Christo Iesu" (2, 20).

Neque in hac nova civitate Dei ulla *natio prae alia* praerogativas sibi adscribere potuit. Perfectius enim quam unitas et universalitas regnorum Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Graecorum, quam imperium Romanorum, plenius quam cultus ethnici atque imprimis mystici qui vocantur, qui asseclas suos ex omnibus gentibus sibi adsciverunt, religio christiana, transcendens et auferens omnes limites nationales, est supernationalis et vere universalis et „catholica". Hinc Paulus saepius coniungit „Iudaeos et Graecos" (1 Cor. 1, 24; 10, 32; 12, 13. Gal. 3, 28. Rom. 1, 16; 2, 9 sq.; 3, 9; 10, 12. Col. 3, 11); „non enim est distinctio Iudaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum" (Rom. 10, 12). Nil differunt „Iudaei et gentes". „An Iudaeorum Deus tantum? nonne et gentium? Immo et gentium, quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem per fidem et praeputium per fidem" (Rom. 3, 29 sq.; cf. 9, 24). Neque ulla *differentia inter varias gentes* asseri potest; nam evangelium praedicandum est „Graecis et barbaris, sapientibus et insipientibus" (Rom. 1, 15), quia „non est gentilis et Iudaeus, circumcisus et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus" (Col. 3, 11). „Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu" (Gal. 3, 27 sq.).

228. B. *Adumbratio universalitatis* Regni Dei et religionis christianae. — „Christum induistis" (Gal. 3, 27; cf. Rom. 13, 14), i. e. „novum hominem", secundum Christum formatum et creatum in iustitia et sanctitate (Col. 3, 10. Eph. 2, 15; 4, 24), quo facti sunt christiani „nova creatura": „In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura" (Gal. 6, 15; cf. 2 Cor. 5, 17). Ex his iam hominibus regeneratis novus populus Dei novaque eius civitas exsurgere poterit. Quomodo?

a) Terminus, a quo incipit nova creatura et nova civitas, est *peccatum Adae* per Christum deletum. Iamvero sicut peccatum Adae erat *universale,* transiens nimirum in omnes eius descendentes, qui in Ada „omnes peccaverunt" (Rom. 5, 12), ita redemptio facta est „per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae" (5, 18). Regno mortis universali successit *regnum gratiae item universale* (5, 21). „Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur" (1 Cor. 15, 22; cf. 15, 45 55). Inde etiam necessitas *vitae christianae:* „Caritas enim Christi urget nos, aestimantes hoc: quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus, ut, et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit" (2 Cor. 5, 14 sq.). Itaque Christus factus est reconciliatio nostra, „quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi . . ." (5, 19).

229. b) *Medium* vero ad novam hanc creaturam efformandam est *baptismus,* medium *universale.* Quotquot Christi esse volunt, baptizari oportet „in Christum" (Gal. 3, 27) seu „in nomen" Christi (1 Cor. 1, 13 sqq.), i. e. „in eius mortem" (Rom. 6, 3). „Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus" (Rom. 6, 4; cf. Col. 2, 12: „consepulti ei in baptismo"), participes scilicet facti gratiae, quam Christus morte sua nobis promeruit (cf. 1 Cor. 1, 13: „numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?").

Baptismus proinde est *vinculum uniens omnes* christianos: „Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi" (1 Cor. 12, 13), vinculum *unum* (Eph. 4, 5: „Unus Dominus, una fides, unum baptisma") et *universale:* „Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus" (1 Tim. 2, 5 sq.), mediator scilicet N^i T^i (Hebr. 9, 15; 12, 24; cf. 1 Cor. 11, 25; 2 Cor. 3, 6; Gal. 4, 24) atque aeterni (Hebr. 13, 20). *Ratio* vero *ultima* est *voluntas salvi-*

fica universalis Dei, „qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire" (1 Tim. 2, 4). Nam est „unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis" (Eph. 4, 6).

230. c) *Sequela* et *fructus* huius voluntatis Dei est *apostolatus universalis,* per quem aedificatur *„corpus Christi",* complectens omnes homines, quotquot baptismo Christum induerunt.

Ipse Paulus identidem *missionem* suam *universalem* effert atque gratiam suae vocationis praedicat. Apostolatus est munus Ecclesiae universalis (1 Cor. 12, 28 sqq. Eph. 2, 20; 4, 11; cf. infra n. 288 sqq. 404 sqq.), quod respicit non solos Iudaeos, sed etiam ethnicos (Gal. 2, 7 sqq.), munus porro Paulo concreditum peculiari ratione, quatenus est „apostolus gentium" (Rom. 11, 13), vocatus ab ipso Christo, „per quem accepimus gratiam et apostolatum ad oboediendum fidei in omnibus gentibus" (1, 5), atque sic factus „debitor" omnibus hominibus (1, 14). Hoc nomen sibi tribuit honori: „Constitutus sum praeco et apostolus . . . doctor gentium . . ." (1 Tim. 2, 7; cf. 2 Tim. 1, 11), quia datum est ei, ut possit mysterium revelare: „gentes esse coheredes et concorporales (σύσσωμα: insertas ut membra eidem corpori) et comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per evangelium, cuius factus sum minister secundum donum gratiae Dei . . . in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti (μυστηρίου) absconditi a saeculis in Deo" (Eph. 3, 6—9; cf. Col. 1, 24 sqq.). Hanc vocationem suam Paulus fideliter implevit „ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum" (Rom. 15, 19), immo usque ad urbem Romam, „propter gratiam, quae data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans (sacrum ministerium implens circa) evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta (coram Deo) et sanctificata in Spiritu Sancto" (15, 15 sq.).

Fructus porro praedicationis apostolicae est *„corpus Christi",* unitas omnium christianorum in universalitate religionis christianae: „unum corpus et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae" (Eph. 4, 4). Unum templum omnes constituunt, aedificatum super fundamentum apostolorum et prophetarum (2, 20 sq.), unum corpus, quod usque crescat, „donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei . . . et crescamus in illo, qui est caput, Christus; ex quo totum corpus compactum et conexum per omnem iuncturam subministrationis . . . augmentum . . . facit in aedificationem sui in caritate" (4, 15 sq.; cf. Col. 1, 18; 2, 19). Hoc vero „corpus Christi" non esse solummodo

internum et „mysticum", vinculo dumtaxat formatum gratiae, postea ostendendum erit (cf. *Ass. 16;* n. 395 sqq.).

231. ***2. Actus apostolorum*** ea fere confirmant, quae docent Pauli epistulae, describentes *viam religionis christianae*[26].

„Eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae" (Act. 1, 8), haec verba Christi indicant argumentum totius libri. Ita factum est. Incipit praedicatio apostolorum Hierosolymis, persecutione exorta Philippus praedicat in *Samaria* (8. 5 sqq.), alii hellenistae dispersi in provinciis adiacentibus (8, 1; 11, 19 sqq.), in Phoenicia, in insula Cypri, in Syria eiusque capite, *Antiochiae* (11, 20), ubi prima ecclesia ex ethnicis conversa effloruit. Interim autem ipse Deus, stans promissioni (Act. 1, 8; cf. Luc. 24, 49; Io. 16, 12 sqq.), providit missioni universali, vocans *Paulum* (9, 1 sqq.; cf. 22, 3 sqq.; 26, 9 sqq.) et instruens *Petrum* visione (10, 1 sqq.) de ratione atque forte etiam de tempore praedicationis universalis; etenim Petro aliisque apostolis persuasum fuisse se esse vocatos ad apostolatum universalem legenti ipsa verba Petri minime dubium esse potest. Prophetia *Ioel,* quam allegat Petrus in primo sermone, ipso die pentecostes habito, est universalis (2, 16 sqq.): „et erit: quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit" (2, 21; cf. Rom. 10, 12 sq.). In altero deinde sermone explicat relationem inter Iudaeos et alias gentes: „Vos estis filii prophetarum et Testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae. Vobis *primum* Deus suscitans filium suum misit eum, benedicentem vobis . . ." (3, 25 sq.). Hoc sensu deciditur deinde quaestio de valore Legis mosaicae (Act. 15, 1 sqq.; cf. *Ass. 7;* n. 195).

Accuratius porro sequitur Lucas *vias Pauli,* magistri sui, quibus voluntate Dei immediate manifestata (cf. Act. 13, 4; 16, 6 sqq.; 19, 21; 23, 11; 27, 24) ducitur Corinthum (18, 1 sqq.), Ephesum (19, 1 sqq.), Romam (28, 14 sqq.), caput orbis terrarum. Omnia extensioni religionis favent: et praedicatio apostolorum, et miracula crebro patrata, et persecutiones fideles affligentes et dispergentes, et visiones Dei et deliberationes apostolorum, donec, elapsa vix una generatione post Christi mortem, Paulus sibi videatur in partibus orientalibus imperii non iam habere locum (Rom. 15, 23), atque, in Italiam perveniens, Puteoli atque in ipsa Roma invenit christianos, ecclesiam florentem ac bene organisatam, et sibi proponit nomen iam Christi annuntiare Iberis in Hispania (Rom. 15, 28).

Scholion 2. Testimonia postcanonica.

232. Ex testimoniis postcanonicis pauca afferre satis erit, quibus nimirum appareat eandem ac apostolis fuisse persuasionem aetati apostolos sequenti.

Et *Clemens* quidem in sua, quam Corinthiis scripsit epistula, missionem apostolorum, sicuti per Iesum Christum a Deo procedit, ita ad totum mundum omnesque eius regiones et urbes factam esse asserit (42; *K* 12). „Da concordiam ac pacem et nobis et omnibus habitantibus terram . . .!" (60, 4; *K* 15). — Preces eucharisticae, quae in *Doctrina apostolorum* inveniuntur, petunt, ut, „sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum" (9, 4; *K* 2). „Collige eam a quattuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quod ei parasti . . .!" (10, 5; *K* 3). — In epistula *Barnabae* christiani vocantur „populus novus" (λαὸς καινός 5, 7; 7, 5). — *Ignatius* dein Antiochenus scribit Smyrnaeis Christum per resurrectionem suam in saecula elevasse vexillum „pro sanctis et fidelibus suis, sive in Iudaeis sive in gentibus, in uno corpore Ecclesiae suae" (1; *K* 24), quam ipse iam vocat „catholicam": „ubi (ait) fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia" (Smyrn. 8; *K* 21), quia nimirum super totam terram diffusa. „Etenim Iesus Christus . . . sententia (verbum) Patris est, sicut et episcopi usque ad fines (terrae) constituti in sententia (consensu) Iesu Christi sunt (Eph. 3, 2). — In scripto quod *Kerygma Petri* nuncupatur, cuius fragmenta servavit Clemens Alexandrinus, haec legimus verba Christi ad suos apostolos: „Elegi vos duodecim discipulos . . . et quoniam fideles apostolos vos esse duxi, mitto vos in mundum, ut annuntietis evangelium (totius) orbis terrarum hominibus" (Strom. 6, 6, 48). „(Religio) enim Graecorum et Iudaeorum inveteravit; nos autem christiani ut genus tertium nove colimus (Deum)" (6, 5, 41). — In *epistula apostolorum* apocrypha, quam attribuunt saeculo II, apostoli scribunt ecclesiis occidentis et orientis, septentrionis et meridiei (2), praedicant duodecim tribubus et gentibus (30); Paulus vero erit apostolus gentium (31)[27]. — *Pastor Hermae:* „Montes isti sunt duodecim tribus, quae habitant totam terram (oecumenam)" (Sim. 9, 17, 1). — Relatio *martyrii Polycarpi* scripta est „omnibus, ubicumque sunt, sanctae et catholicae Ecclesiae paroeciis"; Polycarpus orat „pro omnibus orbis terrae (oecumenae) ecclesiis" (5, 1). — In apologia *Aristidis* est sermo de christianis tamquam de tertio genere (2; cf. n. 198)[28]. — *Iustinus* dicit prophetas veteres praedixisse apostolos exituros esse in universum mundum praedicare evangelium (Apol. I, 31;

cf. 53; Dial. 40, 63, 5). — Epistula ad *Diognetum* comparat religionem christianam animae mundi; „(sicut) diffusa est per omnia corporis membra anima, (ita) et christiani per mundi civitates" (6, 2). Cf. *Minutii Felicis* Octavius 9, 1; 31, 8; epistula *eccl. Viennensis et Lugdunensis* (apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 1, 45); *Acta Pionii* nominant Limnum „presbyterum Ecclesiae catholicae" (2; cf. 4, 13).

233. Quae omnia sapiunt intimam persuasionem: religionem (et Ecclesiam) Christi esse unam et universalem, transcendentem et auferentem omnes limites religiosos olim exsistentes, nationales ac sociales, quae scilicet complecti debet secundum Christi voluntatem omnes homines, quippe qui omnes redempti sunt pretioso ipsius Dei Filii sanguine. Omnis igitur *nationalismus* exaggeratus, maxime in re religiosa, quam longissime abest a mente Christi; unitas vero mentium quam perfectissima, fundata in eadem vocatione ad fidem, in eodem ritu initiationis atque in eadem gratia filiationis divinae, in una eademque spe gloriae futurae, exercita caritate universali, quae uniat omnes Christi fideles omnium nationum, haec, inquam, unitas unice correspondet Christi voluntati, immo eius quodammodo constituit mandatum regium, quod ipse vocavit „novum" et „suum", „ut diligatis invicem, sicut dilexi vos!" (Io. 13, 34; cf. 15, 12.)[29]

234. NOTAE. - - **1** Ideas eschatologicas exponit et defendit *A. Schweitzer**, Gesch. der Leben-Jesu-Forschung. Cf. n. 108 110. — **2** *A. v. Harnack**, Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten I (⁴ Leipzig 1924) 44 sqq.: „Es hat sich also ergeben, daß beide Evangelisten (Markus und Matthäus) in den Rahmen der öffentlichen Verkündigung Jesu nichts von der Heidenmission eingetragen haben außer in der eschatologischen Rede und bei der Salbungsgeschichte. . . . Sofern sich bei beiden Evangelisten, oder eigentlich nur bei Matthäus, Universalistisches bei Missionssprüchen Jesu findet, ist es jener Reich-Gottes-Horizont, der auch bei ATlichen Propheten hervortritt. Um so kräftiger hebt sich nun das Wort des Auferstandenen Matth. 28, 18 ff. von dem Vorhergehenden ab, und Matthäus selbst muß diesen Abstand nicht nur gefühlt, sondern muß ihn absichtlich zum Ausdruck gebracht haben. Ein Herr und Heiland, der seine Predigt auf das jüdische Volk beschränkt und auch nicht einmal den Befehl zur Weltmission gegeben hat, war in der Zeit, in der unsere Evangelien geschrieben worden sind, eine Unmöglichkeit. Hat er den Befehl nicht vor seinem Tode gegeben, so hat er ihn als der Verklärte erteilt. Es ergibt sich aus diesem Sachverhalt, daß ein solcher Befehl überhaupt nicht von Jesus herrührt, daß er also aus den geschichtlichen Entwicklungen der Folgezeit konstruiert und sachgemäß erst dem Auferstandenen in den Mund gelegt worden ist. Paulus weiß auch von einem solchen allgemeinen Befehl nichts." — Ex plurimis qui contra Harnack scripserunt cf. e. g. *M. Raich* in Katholik LXXXIII (1903 I) 240 sqq.; *L. de Grandmaison*, Études XCVI (1903) 459 sqq.; *J. Rivière*, La propagation du christianisme (Science et religion 454/5), Paris. 1907. Imprimis autem cf. opus praeclarum *M. Meinertz*, Jesus und die Heidenmission (Neutest. Abhandl. I,

1./2. Heft, Münster 1908). — Similem descriptionem indolis Iesu Christi invenies in opere *Ed. Meyer**, Ursprung und Anfänge des Christentums II (Stuttgart und Berlin 1921) 420 sqq.: „Jesus von Nazaret". — **3** Similiter *Keim**, *v. Hase**, *Bertholet**, *Weinel**, *B. Weiss**, alii. Singulas sententias earumque fautores recenset *Meinertz* l. c. 9 sqq. — **4** Praeter protestantes conservativos, ut *P. Feine**, Die Religion des N. T. (Leipzig 1921) 237 sqq., plures etiam liberales critici agnoscunt ideas universalisticas Christi, ut *F. Chr. Baur**, *Schleiermacher**, *Renan**, *Noesgen**, *Monnier**, alii; cf. *Meinertz* l. c. 13 sq. — **5** Cf. praeter *Meinertz* (l. c. 17 sqq.) e. g. *P. Heinisch*, Die Idee der Heidenbekehrung im A. T. (Bibl. Zeitfragen VIII, 1./2. Heft, Münster 1916). — **6** De epistula Aristeae cf. e. g. *R. Cornely*, Introductio I², n. 120 sqq.; *idem*, Compendium n. 88; *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes III⁴ 608 sqq.; *P. Wendland** in *Kautzsch*, Apokryphen II 1 sqq.; *Andrews** in *Charles*, Apocrypha II 83 sqq. — **7** De historiographis Iudaeorum cf. *C. Müller*, Fragmenta hist. graec. III 207 sqq.; *E. Schürer** l. c. 468 sqq. — **8** De philosophis iudaicis cf. *I. Felten*, Neutest. Zeitgesch. I 564 sqq.; *E. Schürer** l. c. 633 sqq.; *O. Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Literatur II² 714 sqq. Cf. *P. Krüger**, Philo und Josephus als Apologeten des Judentums, Leipzig 1906. — **9** *E. Schürer** l. c. 553 sqq. — **10** *I. Felten* l. c. 514 sqq.; *E. Schürer** l. c. 150 sqq.; p. 172 de ritu initiationis. — **11** *A. v. Harnack**, Mission I⁴ 10, ubi bibliographia. — **12** *P. Heinisch*, Die Idee der Heidenbekehrung im A. T. (Bibl. Zeitfragen VIII, 1./2. Heft, 15 sqq). — **13** *E. Schürer** l. c. 187; cf. Apocalypsim *Henoch* 50, 2 sq., ubi dicitur etiam peccatores (gentes?), si modo paenitentiam egerint atque cessaverint ab operibus suis malis, posse salvari, licet nullum honorem (sicut iusti) coram Deo habituri sint. — **14** *M. Meinertz* l. c. 46; *E. König**, Prophetenideal 78. — **15** *E. Schürer** l. c. 165 sqq. — **16** *I. Knabenbauer*, Comm. in evang. sec. Matth. II³ (1922) 170 sqq.; cf. *M.-J. Lagrange*, Évangile selon S. Matthieu 382. De munere Duodecim eiusque relatione ad tribus Israel cf. *Ass. 9*, n. 269 sqq. — **17** *M.-J. Lagrange* l. c. 166 censet ordinem quidem Lucae esse praeferendum, tenorem vero verborum ab EvMatth. accuratius exhiberi. — **18** Explicationem parabolarum vide apud *Meinertz* l. c. 142 sqq. — **19** Critici generatim negant genuinitatem Marc. 16, 9 sqq. Editiones criticae recentiores hos versus vel in uncis includunt *(Westcott-Hort*, v. Soden*)*, vel in margine ponunt *(Tischendorf*, B. Weiss*)*; *Vogels* eos admisit in textum sine signis criticis. Cf. Responsum *Commissionis de re Biblica* (26. Iunii 1912), *D* 2156. — **20** Cf. *E. Jacquier*, Hist. des livres du N. T. II (⁵1906) 322 sqq.; *H. I. Cladder*, Unsere Evangelien (Freiburg 1919) 25 sqq.; Responsa *Comm. de re Biblica* (19. Iunii 1911), *D* 2151 et (26. Iunii 1912), *D* 2164 sq. — **21** Hoc nomen transumptum est ex *Papiae* fragmentis, quae refert *Eusebius* (Hist. eccl. 3, 39, 16; *K* 49); cf. e. g. *Cladder*, Unsere Evangelien 62 sq. 141 sq. — Synopsim quandam pericoparum, quae singulis fontibus attribuendae sunt, compilavit *I. Weiss**, Synoptische Tafeln zu den drei älteren Evangelien mit Unterscheidung der Quellen, in vierfachem Farbendruck. Ergänzung des Werkes: „Die Schriften des N. T. neu übersetzt und für die Gegenwart erklärt", Göttingen 1913. — **22** *H. I. Cladder*, Unsere Evangelien, vel eiusdem auctoris liber: Als die Zeit erfüllt war (²/³ Freiburg 1922), qui totum evangelium optime dispositum esse demonstrat. — **23** *E. Riggenbach**, Der trinitarische Taufbefehl Matth. 28, 19, Gütersloh 1903; *I. Lebreton*, Les origines du dogme de la Trinité. Paris 1910; *A. Merk* in *Knabenbauer-Merk*, Comm. in Evang. sec. Matthaeum II³ 583 sq. — **24** Lectiones variantes Matth. 28, 18 sqq. non sunt nisi leves, inter quas eminent πορεύεσθε loco πορευθέντες : D e syr$^{pesch. hl.}$ Origenes, Tertull., Cypr.; — addunt οὖν : B W Δ Θ minusc. vers. lat. syr$^{pesch. hl.}$; —

βαπτίσαντες loco βαπτίζοντες : B D. — **25** Qui sicut *Harnack**, atque liberales communiter, resurrectionem Iesu Christi ex opinionibus praeconceptis neget, nequit verbum Matth. 28, 18 sqq. relatum agnoscere, sed illud atque totam traditionem primaevae Ecclesiae ut figmentum „primitivae cuiusdam theologiae" reiciet. — **26** Cf. e. g. *A. Wikenhauser*, Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert (Neutest. Abhandl. VIII, 3.—5. Heft, Münster 1921), cum notis criticis, quas addit *L. Murillo* in periodico „Estudios eclesiásticos" II (1923) 427 sqq.; III (1924) 3 sqq.; porro *H. Dieckmann*, Antiochien 13 sqq.; *idem*, Die Verfassung der Urkirche (Berlin 1923) 25 sqq. 31 sqq. 47 sqq.; Stimmen der Zeit CIII (1922) 396 sqq. — **27** Ed. *K. Schmidt**, Texte u. Untersuch. XLIII (Leipzig 1919) 26 sq. 94 sqq. 96 sqq. — **28** Ed. *E. J. Goodspeed**, Die ältesten Apologeten (Göttingen 1914) 4. — **29** Cf. quae scripsi in period. „*Verbum Domini*" IV (1924) 119—127.

TRACTATUS II.

DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE.

PRAEMITTENDA. — Aliqua de sensu et scopo huius tractatus deque eius divisione et partibus praemittenda sunt.

1. De sensu et scopo huius tractatus.

235. Iesus Christus loquens de Regno Dei deque eius natura messianica iam indicavit eiusdem indolem externam et socialem. De hac indole sociali ulterius agendum nobis est, i. e. inquisitio nostra fertur in Regnum Dei *ut societatem religiosam,* quae secundum verba Iesu Christi sub certa ratione similis est coetui sacro Veteris Foederis (kahal Iahve).

Iamvero omnis societas habet suam formam determinatam, qua et in certa specie constituitur et ab omnibus aliis distinguitur. Societas enim est coniunctio hominum eo fine inita, ut plurium cooperatione id obtineatur, quod singuli suis quisque viribus praestare et perficere nequeunt. Iamvero *finis,* bonum scilicet cooperatione obtinendum (bonum sociale seu commune), sicut est causa (finalis) societatis, ita eandem, ultimatim saltem, *specificat,* i. e. certam ei formam socialem tribuit. Finis enim dirigit et ordinat cooperationem membrorum societatis, ut nimirum eorum actus inserviant bono communi et hac ratione sint vera media ad hoc bonum obtinendum. Ex natura sua haec cooperatio (actus sociales), quippe quae singulorum libertatem restringit, membris certas obligationes certaque onera imponit.

Haec iam elementa, finis (bonum commune) videlicet et media (actus sociales seu obligationes), determinant et specificant societatem. Omnes enim socii ut tales habent sua iura relate ad bonum commune simulque suas obligationes et sua officia relate ad cooperationem socialem. Ita saltem, si in abstracto et in genere loquimur; in concreto autem, in societate, sicuti revera inter homines exsistit, accedit certa quaedam *inaequalitas iuris,* ea nempe ratione, ut unus pluresve habeant et exerceant pote-

statem dirigendi ceteros, quae potestas *auctoritas* nuncupatur. Finis enim mere ut talis neque circumscribit actus sociales, quos quisque in concreto et in singulis casibus praestare debeat, neque efficaciter valet socios adigere, ut actibus suis fini communi inserviant, etiamsi hic forte obsit bono proprio. Utrumque autem iam praestat auctoritas, persona scilicet vel physica vel moralis, quae vi potestatis socialis tuetur societatem eiusque iura contra membra societatis et curat finem socialem obtinendum; hinc dirigit et ordinat membrorum cooperationem in finem communem, idque, si opus fuerit, etiam vi coactiva. Prout fines societatis sunt varii, ipsa quoque auctoritas alia est atque alia.

236. Vario proinde modo et gradu specificatur societas; in abstracto quidem a fine, quem socii conspiratione sua obtinendum sibi proposuerunt, in concreto autem ex determinatione iurium et obligationum, quae competunt tum auctoritati tum reliquis membris societatis; ita nimirum constituitur unitas socialis, qua plures in unum eundemque finem assequendum cooperantur, praediti tamen iure sociali inaequali, ita ut alii aliis sint subordinati. Quoniam vero societas tali modo constituta apte comparatur cum corpore vivo seu organismo, cuius quippe actus, utpote immanentes, procedunt ex cooperatione plurium partium (organorum) eiusdem suppositi viventis et ad unum finem (bonum totius) diriguntur, hinc ipsa vocatur *organisatio,* sua forma organisata.

Quibus expositis iam patet, quid sit *„constitutio"* illa, de qua hic noster tractatus agit. Est etenim ipsa forma socialis concreta alicuius societatis (forma organisationis), quae ita circumscribi potest: Summa iurium et obligationum socialium, quae singulis membris et organis (imprimis auctoritati) socialibus pro uniuscuiusque condicione conveniunt.

237. *Origo* porro constitutionis non est omnibus societatibus eadem. Nam forma socialis constitui potest vel libera conventione hominum, qui aliquam societatem (liberam) fundant et ineunt, vel voluntate legitimi alicuius superioris, imprimis Dei, qui pro suo arbitrio vel ipse aliquam societatem condit cum certa organisationis forma, vel societati iam exsistenti novam imponit formam socialem. Ita Deus in V° T° positiva sua voluntate cum Israel iniit aliquod foedus, quo populo certa constitutio religioso-politica tribuebatur, theocratica nimirum; similiter in N° T° *Christus* tamquam Dei Legatus novam *societatem religiosam* condidit, quam vocavit *Regnum Dei*, destinatam non iam pro singulari aliquo populo, sed pro omnibus omnium temporum hominibus, cui certam formam socialem ipse dedit, certam scilicet constitutionem.

De hac iam *constitutione Regni Dei* quaerimus. Haec autem quaestio est virtualiter duplex: 1. num Christus societati religiosae a se conditae, Regno nimirum Dei, certam constitutionem dederit; 2. quaenam haec forma socialis fuerit. De *Christi* ergo *intentione et voluntate* quaerimus, quid ipse, auctor et conditor societatis, senserit, quomodo constitutionem descripserit atque inter homines exsistere in Regno Dei voluerit. Quaecumque enim Christus determinaverit, eaque sola, Regno Dei erunt necessaria.

238. Cum in tractatu praecedenti sermo fuerit de solo Regno Dei a Christo annuntiato, ita ut, quae ex Christi verbis eruimus, describant dumtaxat naturam Regni Dei, iure quaeritur, qua ratione inquisitio huius tractatus feratur in constitutionem *Ecclesiae;* nondum enim constat, *quaenam relatio* intercedat inter *Regnum Dei* et *Ecclesiam Christi,* num scilicet Ecclesia sit illud Regnum Dei a Christo Legato divino fundandum. Et re quidem vera sunt plurimi, qui hanc identitatem inter Regnum Dei et Ecclesiam *negent,* agnoscentes quidem Christum, qui praedicaverit Regnum Dei, reicientes vero Christum, qui fundaverit Ecclesiam. Neque soli *eschatologistae* (cf. n. 108), quorum placitum *Loisy* hisce fere verbis exhibet: „Regnum quidem Dei praedicatum est, advenit autem Ecclesia“ [1], sed omnes fere asseclae *scholae* protestanticae *liberalis* asserunt Christum ne potuisse quidem cogitare de Ecclesia condenda, Ecclesiam non esse nisi figmentum temporis apostolici. „partum conscientiae collectivae“ religiosae (Encycl. *„Pascendi“; D* 2091), cui evolutio dogmatica primitiva[2] certam formam dederit atque originem tribuerit divinam. Quae sententia sane supponit evangelia nostra non esse documenta proprie historica et fide digna, sed digesta a christianis secundae et tertiae generationis atque ob rationes sive apologeticas sive religiosas sive theologicas in certam formam redacta (Decretum *„Lamentabili“; D* 2013 sqq.), „continuis additionibus et correctionibus aucta . . .: in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium“ (*D* 2015; cf. n. 2096 2100).

Huius quidem tractatus non est denuo discutere quaestionem biblicam N^i T^i atque omnia argumenta proponere, quibus sacrorum librorum fides demonstratur; hanc nempe inquisitionem in „Introductione“ absolutam esse iure supponimus. Breviter tamen in singulis huius tractatus capitibus *fontes describemus* et, cuius valoris historici sint, ostendemus. Insuper autem *textus* quosdam *principales,* quibus scilicet magnam partem argumentationis superstruimus, atque imprimis promissionem primatus Petro factam (Matth. 16, 13 sqq.), in qua primum occurrit vox „Ecclesiae“ in ore

Christi, speciali considerationi subiciemus eosque contra impugnationes vindicabimus ut genuinos et fide dignos. Interim vero, supposita evangeliorum fide historica, quaerimus, num iure, ex mente scilicet Christi, *aequiparemus Regnum Dei* et *Ecclesiam Christi*. Responsum nostrum continet duas partes; asserimus enim (1) *Ecclesiam esse* quidem *Regnum Dei* a Christo annuntiatum ut messianicum (cf. n. 85 sqq.) et ab eodem Christo ut tale conditum, (2) Ecclesiam autem *non sub omni respectu* aequiparari cum Regno Dei, sed esse Regnum Dei *praesens* (cf. n. 121 sqq.), illud nimirum, quod exsistat in condicionibus huius temporis, quodque terminum suum et perfectum statum habebit in altera vita. Utrumque, si placet, paucis adumbremus, conspectum scilicet exhibentes vitae Christi publicae quae vocatur[3].

239. Evangelia nostra, atque imprimis illud quod scripsit Matthaeus, distinguunt *duas quasi periodos* in vita Christi publica. Et prior quidem continet primam Christi praedicationem populique *concursum* et *exspectationem messianicam*. „Vox videlicet clamantis in deserto", Ioannes Baptista, qui iam vitae suae ratione omnes ad paenitentiam adhortabatur, habitu suo apparebat ut alter Elias (Matth. 3, 4. 4 Reg. 1, 8), praedicatione sua annuntiavit Regnum Dei, messianicum, omnium animos excitavit atque „venturo" (Christo) vias paravit. Ipse dein Christus, post baptismum asseclas et discipulos sibi adsciscens, vocem „Regni Dei" ab ore quodammodo Ioannis excepit atque, quaenam eius esset natura et indoles, explicavit (Matth. 4, 17). Tantaque erat in eo gratia sermonis (Luc. 4, 22; cf. Io. 7, 46), talis simul loquentis auctoritas (Matth. 7, 28 sq.), ut vulgus, conferens Iesu doctrinam cum instructione rabbinica legisperitorum, facile perciperet maiorem quendam in Israel exsurrexisse magistrum ad instar veterum prophetarum, immo ut opinio effulgeret ipsum esse Messiam. Quam opinionem confirmare videbantur miracula omnis generis tamquam totidem signa divina (Matth. 4, 23 sq.; 8—9).

Hinc nil mirum, quod brevi fama Iesu increverit atque ipsos limites palaestinenses transgressa sit (4, 24); nil porro mirum, quod populus, *spe messianica* iamiam excitata, sicut Ioannem interrogaverat „Tu quis es?" (Io. 1, 19 sqq.; cf. Luc. 3, 15 sqq.), ita maiore vigore sperabat fore ut Iesus, cui Ioannes testimonium perhibuerat, esset Messias, tanto tempore tam anxie exspectatus. At cum Israel paratus esse videretur, ut susciperet salutem messianicam, duces eius, *legisperiti* e *secta pharisaeorum* nempe, *odio Iesum prosequentes*, eius vestigia insectantur, verba et facta detorquent, insidias ei parant, populum ab eo divertunt dictitantes

Iesum mira illa patrare non virtute divina sed daemonum (Matth. 9, 34; 12, 24). Inde iam vulgus divisum, mentes praeoccupatae, animi dispositio vel penitus sublata; caeci caecos sequentes duces. „Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt“ (Matth. 15, 14); faciem caeli interpretari norunt, signa vero temporis dignoscere non valent (16, 3). Hinc *deficiunt* a Christo: admittunt quidem eius miracula atque caritatem beneficam, respuunt autem eius doctrinam, eius regnum omnemque salutem messianicam. Nam Iesus erat Messias, suum regnum erat messianicum, sua praedicatio erat invitatio ad nuptias regales a saeculis promissas. Israel noluit; hinc domus eius relinquetur deserta, *Israel reicitur* (Matth. 23, 37 sq.).

240. Quid autem de Regno Dei toties a Deo per prophetas praedicto et praedicato? *Consilia quidem Dei* respiciunt atque adeo reverentur libertatem humanam; attamen mala hominum voluntate *non irritantur*. Christus iam dudum, praeditus scilicet futurorum praescientia, paucos quosdam ex populo elegerat, paraverat, instruxerat, qui essent germen quoddam Regni Dei vel, ut ipse ait, fundamentum, super quo, relicto vetere, novum regnum messianicum aedificaret (Matth. 16, 16 sqq.). *Novum* istud *fundamentum* ponitur in Simone et ceteris „apostolis“ qui vocantur.

Haec Christi consilia atque haec populi Israel condicio prae oculis habenda sunt, ut recte intellegantur ea, quae Christus in priore vitae publicae periodo de Regno Dei docuerit. Praedicat scilicet Regnum Dei, atque imprimis eius indolem describit in sermone montano (Matth. c. 5—7), eius sortes eiusque historiam adumbrat in parabolis (Matth. c. 13). Et haec quidem coram *omni populo;* attamen in hac iam praedicatione alius atque alius est Christi modus loquendi ad vulgum. Et sermo quidem montanus pro auditoribus habet et discipulos Christi et turbas populi (Matth. 5, 1); parabolae autem proferuntur a Christo quidem coram populo (13, 2), at non pro toto populo; interpretatio enim *discipulis seorsum* traditur (13, 10 sqq. 34 sqq.). Ratio denique, curnam Christus ita procedat, est oppositio quaedam inter Christum et populum; iam enim calumniae pharisaeorum (Matth. 12, 24 sqq.) divellebant populum a Christo. Hinc illa separatio, quae viget inter auditores Christi ea quidem ratione, ut soli discipuli ulteriorem de Regno Dei doctrinam audiant; Christus enim, praevidens populi caecitatem et obstinationem definitivam simulque Regno suo messianico providens, nova parat ponitque fundamenta.

241. Sed hisce iam intramus in *alteram vitae publicae* Christi *periodum,* in qua populum non quidem deserit, quin potius etiam-

num omni quo potest conatu satagit, ut eum liberet a funesto influxu pharisaeorum sibique conciliet itaque salvet. Inde enim illae disceptationes hierosolymitanae cum pharisaeis, legisperitis, herodianis, sadducaeis (Matth. c. 21—23), cum quibus multum litigandum erat de populo Israel eiusque salute. At *instructiones* iam de *Regno Dei* spectant vel exclusive vel saltem praecipue discipulos et apostolos duodecim.

Ita coram solis Duodecim sollemnissime voluntatem suam regiam manifestavit, qua Regnum suum conderet et quidem *super fundamentum novum,* firmum, perenne, super Simonem scilicet, quem ob idipsum vocavit Petrum (Matth. 16, 13 sqq.) atque ut vicarium suum in terris reliquit; ipse etenim post passionem suam et mortem (16, 21 sqq.) expiatoriam et redemptivam (20, 28; 26, 28) reversurus erat in caelum. Et in hac quidem occasione fuit, quod vocaret Regnum Dei (16, 19) *„Ecclesiam suam"* (16, 18): aptissime sane eam vocat *suam.* Nam Regnum Dei iam non constituitur populo Israel, qui hucusque formavit „kahal Iahve", sed significat coetum eorum, qui Iesum agnoscunt tamquam Messiam et Filium Dei. Ecclesiae Israel proinde opponitur et substituitur Ecclesia Christi.

In hac igitur pericopa ab ipso Christo *relatio* inter *Regnum Dei et Ecclesiam* explanatur et determinatur: „. . . super hanc petram aedificabo *Ecclesiam meam* . . .; et tibi dabo claves *Regni caelorum*" (Matth. 16, 18 sq.), i. e. Ecclesia est Regnum Dei seu messianicum a Christo fundandum et fundatum his in terris. Ita ex hoc textu, ita ex textu parallelo, in quo iterum vox Ecclesiae 18, 17; cf. 18, 1) occurrit, in instructione nempe, qua speciatim apostolos suos edocet curam, quam agere debent ut pastores gregis Christi.

242. Quibus expositis iam patet artum nexum intercedere inter Ecclesiam et Regnum Dei, immo quandam identitatem; quaeritur nunc, quousque haec se identitas extendat. Certe enim conceptus Regni Dei latius patet quam notio Ecclesiae, siquidem Ecclesia definiri potest: Ecclesia est Regnum Dei *praesens, quod de facto a Christo institutum* est. Duplex igitur nota restrictiva adicitur ideae Regni Dei. Et alteram quidem determinationem „quod *de facto* a Christo *institutum* est" modo satis evolvimus; Christus scilicet de facto post defectionem Israel regnum suum super Petrum eiusque coapostolos fundavit. Prior vero restrictio: Ecclesiam scilicet esse Regnum Dei *praesens,* ex iis quae antea de Regno Dei praesente disputavimus (n. 121 sqq.) constat; Ecclesia nimirum non est Regnum Dei sensu pleno et perfecto, ita ut

adaequate cum ipso coincidat, sed eius periodus tantummodo terrena et huius saeculi, statusque praeparationis, qui quidem dona et bona regni messianici essentialia continet suisque asseclis elargitur, nondum tamen modo securo, definitivo, perfecto. Ecclesiae enim cives peregrinantur a Domino; filii quidem vere Dei atque heredes, sed secundum spem vitae aeternae (2 Cor. 5, 6. Tit. 3, 7) et beatae. Itaque Ecclesia est quidem perennis, non autem aeterna; et perennis quidem, quatenus manebit usque ad consummationem saeculi; neque vero aeterna, quia post ultimum iudicium transibit in Regnum Dei caeleste et perpetuum.

Quae singula in ipso decursu tractatus enucleatius, si libet, videamus.

2. De divisione tractatus.

Quoniam omnis tractatus huius scopus in eo est ut certitudinem paret de Ecclesiae (1) institutione et munere doctrinali, cui nimirum Christus suam revelationem tradiderit, deque eiusdem (2) reali exsistentia, scilicet Ecclesiam catholicam esse hanc Christi Ecclesiam, duae quaestiones distinguendae et solvendae erunt:

a) Quidnam sit de Christi Ecclesia, quaenam nimirum eius *constitutio* secundum Christi *voluntatem;*

b) Quinam ex his coetibus, qui se a Christo christianos vocant, sit *vera* Christi Ecclesia.

243. a) Et *priorem* quidem *quaestionem* mediis historicis solvemus, adhibitis videlicet fontibus illis, e quibus *Christi voluntas* cognosci possit. Alii autem testes alio modo hanc Christi voluntatem exhibent. Sunt enim qui *ipsa Christi verba* referant atque imprimis eius praedicationem messianicam (evangelium), unde et ipsi eorum libri *„evangelia"* nuncupantur. Et haec quidem, utpote scripta vel a testibus ocularibus (apostolis: Matthaeo et Ioanne) vel a discipulis et coaetaneis apostolorum (apostolicis: Marco et Luca), maxima auctoritate gaudebant inde ab initio, ita ut ab aliis scriptis, postea compilatis, interpolatis, falsificatis tamquam ab *apocryphis* evangeliis, probe distinguerentur; quattuor enim illa priora eaque sola in *canonem* recepta sunt, i. e. in usum publicum Ecclesiae. Nostrae quoque inquisitioni haec evangelia testimonia prima et primaria sunt, e quibus voluntatem atque intentionem Christi, qua Ecclesiam suam condidit, discamus; ideo in *primo capite* huius tractatus ponderanda sunt.

Cui testimonio Christi directo accedit *indirectum* eorum, quibus, comites et discipuli familiares atque eiusdem legati cum fuerint,

peculiaris quaedam auctoritas tribuenda est in exponenda Christi voluntate et doctrina, ita quidem ut eorum consensus interpretatio authentica ipsius Christi dici debeat. Unde est quod in *secundo capite* colligamus, quidquid in *scriptis apostolorum* inveniatur de Christi Ecclesia, certa scilicet ducti persuasione: hac nos via pervenire in verum ipsius Christi sensum. Huic inquisitioni inserviunt imprimis *Actus apostolorum*, quippe qui sunt Ecclesiae nascentis historia, et *epistulae apostolorum* ac praecipue Pauli, quae iam indole sua omnem fidem rei narratae faciunt.

Cum tamen condicio apostolorum speciales quasdam praerogativas sibi annexas habuerit, itaque dubium esse possit, quaenam institutiones ecclesiasticae temporis apostolici mansurae et perennes essent, hinc addendum esse ducimus *tertium* aliquod *caput*, cuius sit investigare in formam Ecclesiae *aetatis apostolis posterioris*, in eam nimirum, quam secundum testes nostros ipsi apostoli ut perennem Ecclesiae tradiderunt ex voluntate et auctoritate Christi. *Patres* igitur *apostolicos* qui vocantur *scriptoresque antiquissimos* usque ad medium fere saeculum II, in aliquibus quaestionibus (e. g. de primatu Romani Pontificis) etiam ulterius, explorabimus, fideliterque, quid ipsi de Ecclesia Christi senserint, prosequemur, donec Ecclesiae constitutio clare appareat.

Triplex licet sit *gradus* inquisitionis, *nequaquam triplex* est *argumentum*. Nam testimonium aetatis postapostolicae nobis non est nisi explicatio antiqua et certa sensus apostolici de Christi Ecclesia; scripta vicissim apostolica exhibent interpretationem authenticam verborum et intentionum Christi, ita ut omnia testimonia, in unum coalescentia, id demum spectent ut ad genuinum et certum sensum ipsius auctoris et fundatoris Ecclesiae progrediamur, Iesu Christi.

244. b) Quibus absolutis via iam panditur ad *alteram quaestionem* solvendam, scilicet, quinam ex multis coetibus religiosis, qui praetendunt esse Christi Ecclesia, sit verus. Quam partem brevius, quam in aliis operibus fieri solet, expedire visum est, propter nostri tractatus indolem antea expositam (n. 6 sqq.). Agemus *de notis Ecclesiae* easque Ecclesiae catholicae competere ostendemus. Porro addemus illud argumentum, quod celebratum a concilio vaticano maius nostris temporibus pondus nactum videtur esse, *ex* ipsius nimirum *Ecclesiae indole miraculosa*, qua tamquam miraculum perenne et „signum levatum in nationes“ est „magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile“, quo probetur tamquam vera Christi Ecclesia.

Quattuor itaque sunt huius tractatus capita: scilicet
Caput I. De Ecclesiae institutione.
Caput II. De Ecclesia, qualis fuerit tempore apostolorum.
Caput III. De Ecclesia, qualis fuerit tempore postapostolico.
Caput IV. De Ecclesia Christi nunc exsistente.

245. NOTAE. — **1** „Jésus annonçait le royaume, et c'est l'Église qui est venue" (L'Évangile et l'Église [Paris 1902] 111). Sensu scilicet adversativo intellegit Regnum Dei et Ecclesiam: Regnum Dei, quod a Christo intentum et annuntiatum est; Ecclesiam, quae vel ultra vel contra voluntatem Christi orta sit ex evolutione quadam et necessitate practica. Cf. decretum *„Lamentabili"* (*D* 2052 sq.). — **2** „Gemeindeglaube" vel „Gemeindetheologie", de qua cf. infra n. 358 sqq., ubi de genuinitate historica pericopae Matth. 16, 16 agitur. — **3** *H. I. Cladder,* Als die Zeit erfüllt war, $^{2/3}$ Freiburg 1922; *idem,* Unsere Evangelien (ibid. 1919) 50 sqq.; *A. Merk* in tertia editione, quam paravit Comm. in Evang. sec. Matth., auctore *I. Knabenbauer,* I (Paris. 1922) 34 sqq.

CAPUT I.

DE ECCLESIAE INSTITUTIONE.

246. 1. Inquisitio huius capitis fertur, ut dictum est, *in ipsa verba Iesu Christi,* ex quibus videlicet discamus eius intentiones et consilia, ad Ecclesiam quod attinet. Simul autem exponuntur et *origines et status* huius Christi *Ecclesiae tempore vitae* eius, quomodo nempe Christus eam praeparaverit, fundaverit, quonam porro modo fas sit loqui de Ecclesiae institutione et constitutione, qua ratione ad voluntatem Christi reducantur.

Ex *Assertione* quidem 7 (n. 192 sq.) tractatus praecedentis iam constat morte demum Iesu Christi V^{us} T^{um} abrogatum eique N^{um} T^{um} novumque Regnum Dei substitutum esse. Quoniam autem Regnum Dei a Christo fundandum est ipsius Ecclesia, sequitur ipsam quoque *Ecclesiam ortum suum ducere ex morte Christi.* Quae conclusio est verissima, si spectetur *fundamentum iuris,* actus scilicet Christi redemptivus, quo, sublato Foedere Vetere promissivo, praefigurativo, praeparativo, regnum iam gratiae erigebatur, quod omnibus hominibus pateret. Ipsa autem Ecclesia ut societas organisata secundum Christi voluntatem initium sumpsit atque *formaliter* constituebatur die demum Pentecostes, quo videlicet Spiritus Sanctus organismum eius iamiam formatum animavit, suam cuique organo tribuens operationem totique corpori vitam et vigorem et incrementum continuum.

Ante mortem igitur Christi Ecclesia sensu proprio et iuridico non exsistebat. Christus quidem eius constitutionem delineavit, eius potestates ac munera adumbravit, eius organa praeparavit.

Neque desunt asseclae, discipuli, apostoli, qui quasi *germen* Ecclesiae futurae considerari possunt, ex quibus prima membra eius prodibunt, per quos muneribus suis fungetur Ecclesia. Sed vivente Christo hi omnes, filii cum essent populi Dei, pertinebant ad theocratiam V^{is} T^{i} eiusque legibus et auctoritatibus manebant subiecti.

Triplex itaque Ecclesiae *status* distingui potest, scilicet:

a) status *incohativus* seu *initialis,* tempore nimirum Christi, qui novum Regnum Dei annuntiavit et praeparavit.

b) status exsistentiae *fundamentalis,* inde a morte Christi, qua, scisso contractu vetere, novus initus est inter Deum et homines, novum a Deo conditum Regnum, messianicum nempe seu Ecclesia.

c) status exsistentiae *formalis,* quando per descensum Spiritus Sancti singula membra et organa Ecclesiae efformata actus suos exercebant sociales, membra viva organismi vivi.

Investigatio huius capitis respicit imprimis statum incohativum, dicta nempe et facta, quibus Christus manifestavit, quo modo Ecclesiam suam constitutam esse voluit.

2. De divisione huius capitis.

247. Modus procedendi, utpote historicus, sequetur Christi tam quam Ecclesiae auctoris et fundatoris verba, quantum fieri potest ordine chronologico, atque eo ipso Ecclesiae origines et primordia.

Inde enim ab initio Christus sibi *asseclas discipulosque* adscivit, non secus ac alii magistri et prophetae atque ipse eius praecursor Ioannes Baptista. Mox ex iis, qui eum sequuntur, quosdam eligit, Duodecim, quibus nomen indit *„apostolorum“*, specialem curam impertit, certa munera certaque iura promittit, et haec quidem relate ad regnum suum messianicum seu Ecclesiam suam.

Nostrae proinde inquisitionis erit, indagare in horum munerum ac iurium indolem, eo imprimis fine, ut clare appareat, utrum Christus apostolis suis dederit veram *potestatem socialem* (auctoritatem) necne. Nam inde pendet decisio alius quaestionis, utrum nimirum Christus Ecclesiae suae dare statuerit *constitutionem hierarchicam* — ita asserit Ecclesia catholica —, an vero *democraticam aliamve,* sicut alii coetus christiani opinantur.

Et haec quidem constabunt ex argumentis *quaestionis prioris:* de apostolatu eiusque potestate et auctoritate.

In *altera dein* huius capitis *quaestione* investigamus formam, structuram, organisationem ipsius auctoritatis ecclesiasticae. Ratio autem huius ulterioris disquisitionis est peculiaris aliqua *Simonis*

Petri condicio, primatus qui dicitur. Inde est quod quaeramus, utrum auctoritas, quam Christus apostolis suis dedit, tota et summa resideat penes *collegium* apostolorum, cuius membra proinde, *iure aequali* praedita, constituant auctoritatem collegialem, *aristocraticam* vel *oligarchicam,* an vero unus ex iis, Simon nimirum, prae aliis maiore gaudeat auctoritate, suprema et *monarchica,* ita ut ipsi et ceteri apostoli et alii omnes Christi asseclae subiciantur. Haec est quaestio *de primatu Petri*, gravissima sane et ob hanc causam vehementissime disputata, cui propterea peculiaris consideratio merito tribuetur.

248. 3. De *fontibus* huius capitis non est cur denuo agamus. Nam quae de evangeliis eorumque auctoritate dicenda sint, complexi sumus in priore capite tractatus praecedentis (n. 83); de aliis vero fontibus (Actibus apostolorum et epistulis Pauli), quae raro et obiter tantum, in quaestione scilicet de Pauli apostolatu, adhibentur, postea fusius agetur (n. 388 sqq.), in inquisitione nimirum de Ecclesia tempore apostolorum.

Quaestio 1. De apostolatu eiusque auctoritate.

249. Ipsa iam huius quaestionis inscriptio certam quandam *restrictionem* indicat, eandem plane, quam in toto tractatu servamus. Licet enim apostoli non sola auctoritate i. e. potestate *sociali* seu regendi praediti sint, sed aliis insuper iisque gravioribus et nobilioribus muneribus, iuribus, potestatibus — puta munere sanctificandi et docendi —, nostra tamen consideratio, sicut pro obiecto habet *constitutionem* Ecclesiae ut *societatis* religiosae, ita spectat solum apostolorum munus sociale potestatemque *socialem* seu *auctoritatem*. Nihilominus ceterae quoque potestates apostolorum eatenus saltem tanguntur, quatenus ad exponendam rationem apostolatus requiruntur. Ulterior enim descriptio muneris *docendi* seu magisterii erit argumentum tractatus sequentis, qui de magisterio ecclesiastico inscribitur (n. 632 sqq.). Munus vero *sanctificandi* seu sacerdotale in tractatu dogmatico de sacramentis explanari solet. Addemus tamen etiam in fine huius libri, quo plenius manifestetur Ecclesiae natura, conspectum quendam horum munerum atque, quomodo cum Ecclesiae indole et fine cohaereant, explicamus (n. 897 sqq.).

A. De apostolatus institutione.

In exponenda iam ratione apostolatus ita procedemus, ut ostendamus Christum ipsum (a) apostolatum *instituisse;* (b) apo-

stolis suis veram *potestatem socialem* (seu auctoritatem) in sua Ecclesia commisisse.

Et prior quidem affirmatio, quippe quae considerat et collegium *duodecim apostolorum,* qui Christum comitati sunt in eius vita publica, et *Paulum,* qui post mortem demum Christi vocatus est, bipartita duas assertiones continet in se, quarum altera agit de apostolatu Duodecim, altera de Pauli apostolatu.

ASSERTIO 9. Christus collegit discipulos et asseclas, e quibus elegit Duodecim, qui ut tales formarent aliquod collegium et essent sui legati et apostoli.

Iesu Christi sensus et intentio, qua Ecclesiam suam condidit et instituit, apparet in eius *dictis* et *factis;* utraque igitur nostrae inquisitioni subsunt, ita quidem ut facta historica, qualia sunt in hac assertione collectio discipulorum et electio apostolorum, dilucidentur ex ipsius Christi verbis tamquam ex authentica interpretatione, qua mentem suam aperit.

Agemus in hac assertione primo de *discipulorum* collectione, dein de electione Duodecim, denique de fine, ob quem Duodecim electi et ad quem destinati sunt, scilicet de *apostolatu.*

I. De discipulorum collectione.

250. *Discipulos* intellegimus tales, quales tunc temporis magistros, imprimis religiosos, sequi solebant, qui videlicet non solam instructionem intellectualem vel theoreticam quaerebant, sed simul practicam, moralem, religiosam. Fieri enim nequit, ut quis sibi magistrum religiosum seligat, quin eius doctrinam admittat atque etiam vitae propriae rationem componat secundum praecepta et vivendi modum magistri. Ita discipuli rabbinorum [1], ita discipuli Ioannis Baptistae, ita etiam Christi discipuli vinculo quodam arctiore cum magistro suo erant coniuncti. Et licet cavere oporteat, ne, exaggerantes huius vinculi nexum et effectum, opinemur hos iam Christi discipulos efformasse novum quendam et ab aliis Iudaeis separatum coetum religiosum, asseri tamen potest inter hos discipulos fuisse qui occasione data, condito nimirum novo Regno Dei, huius novae societatis religiosae membra evaderent.

Argumentum huius partis ita statuimus, ut ostendamus (1) Christum *de facto* habuisse, qui eum sequerentur, asseclas et discipulos; (2) Christum re vera collegisse discipulos, i. e. *voluisse,* ut se ipsum sequerentur, doctrinam suam susciperent, vitam agerent secundum sua praecepta et consilia atque etiam exempla. Cum autem utrumque legenti evangelia ilico pateat, sufficiet textus quosdam quasi principales proponere atque quid testentur, ordine indicato, eruere.

1. Christus de facto habuit discipulos.

Christus praedicatione sua, tot miraculis confirmata, plurimorum sibi auditorum mentes conciliavit, qui, prout vario modo a Christi doctrina afficiebantur, prout porro variis in condicionibus vitae erant constituti, alii alio modo eum sequebantur, veri tamen omnes Christi discipuli.

251. a) Et alii quidem Iesum *pro propheta* et *Legato Dei* habuerunt, e quibus evangelistae pauca admodum nomina tradunt, ut *Lazari* eiusque sororum (Io. 11, 1 sqq.; cf. Luc. 10, 38 sqq.). Multi alii insuper ex proceribus populi crediderunt quidem in Iesum, eum tamen „propter pharisaeos non confitebantur" (Io. 12, 42), inter quos erant *Ioseph ab Arimathaea,* quem discipulum Iesu fuisse evangelia diserte testantur (Matth. 27, 57: ἐμαθητεύθη, cf. 13, 53; 28, 19), licet occultum propter metum Iudaeorum (Io. 19, 38), et *Nicodemus,* pharisaeus ipse et legisperitus, qui ex eadem ratione noctu ad Iesum veniebat (Io. 3, 1 sqq.), attamen eum in synedrio defendebat (7, 50) et post eius mortem simul cum Ioseph eum honorifice sepelivit (19, 39 sqq.). Ad nobiliores populi pertinuerit etiam ille paterfamilias, cui „magister" per Petrum et Ioannem dicit: „Tempus meum prope est; apud te facio pascha cum discipulis meis" (Matth. 26, 18; cf. Marc. 14, 12 sqq.; Luc. 22, 7 sqq.). Atque hi omnes, sive in Iudaea sive in Galilaea, sive noti sive occulti discipuli, agnoscebant quidem Iesum tamquam magistrum qui venit a Deo (Io. 3, 2), neque vero eum continenter sequebantur ut comites et discipuli assidui, sicut multi alii, per longius vel brevius tempus.

252. b) Alii videlicet plurimi, sub influxu verborum et miraculorum Christi, eum *sequebantur* vel per aliquod tempus — sicut turbae populi de quibus sermo est in altera multiplicatione panum (Matth. 15, 32; cf. Marc. 8, 2) —, vel ut eius discipuli *sensu stricto* continenter eum comitabantur in itineribus suis. Ad hanc sequelam artiorem se offert legisperitus quidam dicens: „Magister, sequar te, quocumque ieris!" (Matth. 8, 19; cf. Luc. 9, 57), vel alius quidam, qui a Christo petiit, ut sibi primo permittat reverti et sepelire patrem suum (Matth. 8, 21; cf. Luc. 9, 59). Ex Iesu dein responso elucet sequelam eius esse separationem a familia (Matth. 8, 22), esse vitam similem et communem cum Christo, Filio hominis (Matth. 8, 20).

De *numero* talium discipulorum sensu stricto parum scimus. Aliquando Christus, post missionem Duodecim, misit alios *septuaginta* e discipulis suis, qui eum praeirent (Luc. 10, 1). Neque omnes in proposito suo et in sequela Christi perseverarunt; nam

post sermonem eucharisticum in Capharnaum habitum „*multi* ex discipulis" iam *non „ambulaverunt" cum Christo* (Io. 6, 66). In utroque casu videntur intellegi discipuli sensu arctiore; aliter forte dicendum erit de multitudine discipulorum (πᾶν τὸ πλῆθος), quae Christo descendenti de monte Oliveti et Urbem ingressuro acclamaverunt „Benedictus" (Luc. 19, 37; cf. 6, 17).

253. c) Qui vero Christi discipuli erant sensu strictiore, *certum quendam modum vivendi* ab aliis diversum tenebant, quo se esse Iesu discipulos palam profitebantur. Alii enim Iudaei Iesum interrogant: „Cur discipuli Ioannis et discipuli pharisaeorum *ieiunant*, tui vero discipuli *non ieiunant?*" (Marc. 2, 18; cf. Matth. 9, 14; Luc. 5, 33.) Discipuli porro Ioannis et pharisaeorum solebant certas *orationes* fundere, forma determinata ut videtur (Luc. 11, 1), etiam publicas (Matth. 6, 5 sqq.); aliter Iesu discipuli, qui nil tale observarunt. Christi igitur discipuli ut tales *agnoscebantur* aliisque scholis aequiparabantur; immo Ioannis discipuli certa quadam *aemulatione* eos prosequebantur, quae tamen a mente Baptistae prorsus aliena erat (Io. 3, 25 sqq.). Simili ex ratione, quod scilicet Iesus „plures discipulos facit", pharisaei insidiis suis Christum cogunt, ut relicta Iudaea revertatur in Galilaeam (Io. 4, 1 sqq.). Ratio autem huius aversionis est ipsum factum, quod nempe Christus discipulos suos *aliam vitae rationem* doceat ac pharisaei, tum in ieiunando et orando tum in observandis traditionibus seniorum (Matth. 15, 1 sqq.; cf. Marc. 7, 1 sqq.), quas ipsi summi faciebant. Ex qua impugnatione elucet et Christi in suos auctoritas, et discipulorum animus et fortitudo, et ipsius discipulatus ratio et natura: est re vera sequela magistri in vita religiosa, quae respicit non solum intellectum, sed ipsum vivendi modum. Eo ipso sese *distinguunt* et a discipulis pharisaeorum (de quibus cf. insuper Matth. 12, 27; 22, 16), et Baptistae (cf. 11, 2 sq.; Luc. 7, 18 sqq.), et a vulgo atque etiam a discipulis sensu latiore. Nitide hanc distinctionem ipse Christus exhibet (cf. Matth. 13, 10 sqq.; 15, 16; 16, 13 sqq.), clare etiam evangelistae, narrantes e. g. in multiplicatione panum et priore (Matth. 14, 19. Marc. 6, 41. Luc. 9, 16) et altera (Matth. 15, 36. Marc. 8, 6) Christum dedisse panes et pisces discipulis suis, discipulos dein populo. *Ipsis* porro *discipulis* persuasum fuisse se esse peculiari modo cum Iesu coniunctos testatur Ioannes apostolus: „Praeceptor, vidimus quendam in nomine tuo eicientem daemonia et prohibuimus eum; quia non sequitur nobiscum" (Luc. 9, 49). *Inimici* denique Christi sunt etiam discipulorum inimici, quia nempe „cum Nazaraeo erant" (Matth. 26, 69 sqq.: de Petro:

Marc. 14, 67 sqq.; Luc. 22, 56; Io. 18, 25; cf. Matth. 27, 64: de omnibus Christi discipulis)[2].

2. Christus collegit discipulos.

Facto itaque discipulatus statuto, simul quidem et ex iisdem textibus iam constat hanc sequelam consonare *cum Christi voluntate,* quia videlicet neminem vetat et prohibet et a sua sequela arcet; immo vero auditores suos diserte invitat, ut se ad ipsum applicent.

254. a) Et in genere quidem ipsum iam factum praedicationis et instructionis, e. g. in sermone montano (Matth. 5—7), clare manifestat Christi intentionem, qua *velit* auditores suam doctrinam tum *„audire"* tum etiam *„facere"* (7, 24 sqq.), verbum Dei et audire et intellegere (13, 19 sqq.), qui habeant „aures audiendi" (11, 15). *Diserte* etiam eos *vocat,* ut doctrinam et sequelam suam amplectantur: „Venite ad me omnes . . . tollite iugum meum super vos! Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est et onus meum leve" (11, 28 sqq.). Est etenim iugum Filii Dei simul (11, 25 sqq.) et Filii hominis.

Quam invitationem postmodum extendit *ad omnes gentes:* „Ite, ait apostolis suis, facite discipulos omnes gentes (μαθητεύσατε)" (28, 18 sqq.). Hinc vocavit, instruxit, misit quosdam ex discipulis speciatim, qui utpote legisperiti novi Regni Dei atque edocti in schola et doctrina Christi (γραμματεὺς μαθητευθεὶς τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν) ad instar boni patrisfamilias ex thesauro suo proferre possent nova et vetera (13, 52).

255. b) Quibus iam diversitas quaedam indicata est, quae in *vocatione* discipulorum obvenit. Certos enim discipulos vocavit Iesus *diserte* et *personaliter.* Triplex talis vocatio in evangeliis distingui poterit. Et Ioannes quidem refert (1, 35 sqq.) Christum iam *ab initio* vitae suae publicae quosdam sibi comites adiunxisse, ex discipulis scilicet Ioannis Baptistae Andream primum, qui Simonem, et alterum quendam (Ioannem), qui itidem fratrem suum (Iacobum) ad Iesum adduxerit (1, 40 sqq.). Mox, in Galilaeam iamiam profecturus, Iesus dicit Philippo: „Sequere me!" (1, 43); Philippus vicissim Nathanael invitat ad sequendum Christum (1, 45 sqq.). Omnes dein ipse Iesus in proposito confirmat promissione hac: „Amen amen dico vobis, videbitis caelum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis" (1, 51), paulo post etiam primo miraculo in Cana patrato. „Et crediderunt in eum discipuli eius" (2, 11).

Neque vero, qui ita vocati erant, exinde iam videntur secuti esse Christum continenter, quin potius reversi in patriam victui quaerendo denuo sese addixerunt. Christus tamen *iterum* eos vocat: „Venite post me! Et faciam vos fieri piscatores hominum“ (Matth. 4, 18 sqq. Marc. 1, 16 sqq; cf. Luc. 5, 1 sqq.). Hisce, Petro et Andreae et Iacobo et Ioanni, paulo post addit Matthaeum publicanum (Matth. 9, 9 sqq.), quem ceteri synoptici Levi vocant (Marc. 2, 13 sqq. Luc. 5, 27 sqq.). *Tertia* denique *vocatio* erat potius electio ad apostolatum, de qua in secunda parte (Matth. 9, 35 sqq. Marc. 3, 14 sqq. Luc. 6, 13 sqq.).

256. c) Hos discipulos ita vocatos ipse *Christus ut suos considerat,* qui quodammodo familiam suam constituunt (cf. Matth. 12, 46 sqq.; Marc. 3, 31 sqq.; Luc. 8, 19 sqq.), pari scilicet et communi vitae ratione inter se et cum magistro suo coniuncti, familiari consuetudine, conversatione, instructione Christi utentes, immo etiam protectione et tutela. Cum enim Christi inimici, non audentes magistrum ipsum aggredi, eius discipulos accusant vel de ieiunio neglecto (Matth. 9, 14 sqq.), vel de spicis sabbato evulsis (12, 1 sqq.), vel de traditionibus non servatis (15, 1 sqq.), vel de daemone non expulso (17, 14 sqq.; cf. Marc. 9, 14), Iesus non solum suos defendit, sed etiam eorum condicionem clarius effert; sunt enim „filii sponsi“ (9, 15), ministri Filii hominis, qui est maior templo et dominus sabbati (12, 6 8); discipuli non magistrorum humanorum dumtaxat eorumque qui sicut pharisaei pervertunt Legem Dei (15, 3 sqq.) et hinc eradicabuntur (15, 13 sqq.), sed Filii Dei (15, 13), qui, ut eorum famam coram plebe restituat, eorum fidem reficiat et erigat, a miraculo patrando non absistit (17, 17 sqq.; cf. simile quid de Simone Petro: 17, 24 sqq.).

Verum quidem est plura ex his, quae modo allata sunt, spectare imprimis ad collegium Duodecim, quod ab ipso Christo formatum artiore modo cum ipso coniunctum videmus.

Brevi *conspectu* si ea exhibeamus, quae evangelia de discipulis testantur, haec fere dicimus: Christus ipse collegit discipulos, simili modo atque Ioannes Baptista et pharisaei. Hi porro discipuli Iesum non solum considerant ut magistrum vel prophetam vel legatum Dei (Messiam), neque solam eius doctrinam admittunt, sed etiam vitae rationem parem et communem cum Iesu habentes in sequela personali et locali unam quodammodo cum ipso communitatem constituunt, quam vulgus et aliorum magistrorum discipuli agnoscunt.

Germina proinde alicuius *societatis* adsunt, e quibus, accedente vinculo unitivo formali, societas vere talis oriri poterit. Talem

autem societatem proprie dictam Christum condidisse probandum est in secunda parte.

II. De electione Duodecim.

257. Non abs re erit, hoc iam loco attendere ad distinctionem inter duo nomina diversa, quibus illi designantur, quos vocare solemus „*duodecim apostolos*“. Haec enim appellatio continet *duplex nomen,* aliud et aliud significans. „*Duodecim*“ enim est nomen *collegiale* neque aliud quid indicat nisi vinculum quoddam sociale, quo duodecim ex Christi discipulis peculiari modo inter se coniuncti sunt. „*Unus e Duodecim*“ vel „Duodecimvir“ igitur hunc solum nexum socialem Duodecim inter se et cum Christo exprimit. „*Apostolus*“ autem est nomen *muneris* et quidem missionis vel legationis (ἀπόστολος = missus, legatus); praescindit igitur plane ab ulla indole sociali. Apostolus Christi de se poterit aliquis esse, qui non pertineat ad collegium (sicut Paulus), et quidem eodem sensu ac ipsi Duodecim.

Quam distinctionem modo expositam ut clarius exhibeamus, in hac secunda parte agemus nonnisi de collegio Duodecim, in tertia deinde de fine, ob quem Christus hoc collegium instituerit, seu de apostolatu.

Collegium constituunt hi Duodecim eo, quod vinculo aliquo sociali inter se uniuntur itaque a reliquis discipulis distinguuntur et separantur. Auctor huius vinculi et hinc collegii est voluntas et vocatio Christi, qui, eligens hos Duodecim ex omnibus suis discipulis iisque proponens specialem aliquem finem eosque vocans ad peculiarem et artiorem quandam sequelam, veram inter eos societatem condidit, coniunctionem scilicet plurium, qui cum Christo et sub Christo inter se coniuncti in finem aliquem communem cooperantur.

De hoc fine interim non agimus; neque indagamus in quaestionem, quaenam huius societatis sit relatio ad Regnum Dei et Ecclesiam a Christo fundandam; statuimus *solum factum:* Christum ipsum collegium Duodecim fundasse.

Fontes nobis sunt *evangelia* et, pro catalogo Duodecim, insuper Actus apostolorum, quorum scilicet auctor idem est ac tertii evangelii, Lucas nimirum. De *genuinitate* horum textuum *litteraria* non tantopere disputant, acerrime autem de veritate *historica.* Theologi nempe protestantes liberales longe plurimi negant apostolatum, de quo in tertia parte, esse a Christo institutum. De collegio autem Duodecim eiusque veritate historica non est una omnium liberalium sententia, aliis (e. g. Weizsäcker, v. Dob-

schütz, Monnier, v. Harnack, aliis)[3] eam affirmantibus, aliis (e. g. Seufert, W. Weber, J. Weiss, Schütz[4]) eandem negantibus.

258. *Rationes* huius negationis secundum *Seufert* hae fere sunt: (1) Evangelia non consentiunt *in assignando tempore* electionis, nam *EvMatth.* refert electionem simul cum missione praevia (10, 1 sqq.), supponit autem collegium Duodecim iamiam exstitisse, id quod summe improbabile, sicut aliis criticis, ita etiam Seufert videtur. *EvMarc.* clare distinguit inter electionem (3, 7) et missionem (6, 7); *EvLuc.* maius etiam intervallum supponit inter utrumque factum, eo quod post missionem Duodecim aliam septuaginta discipulorum narrare intendit (6, 13; 9, 1 sqq.; 10, 1 sqq.). *Ioannes* denique contendere dicitur Iesum inde ab initio vitae publicae apostolos sibi elegisse (1, 35 sqq.; cf. 6, 67 sqq.). Ratio autem, curnam haec Duodecim electio alio tempore ab aliis evangelistis narretur, et curnam tempus proxime ad initium vitae publicae Christi admoveatur, secundum Seufert exhibetur in Actibus (1, 21 sq.), quia nimirum Duodecim debeant esse testes Christi inde a baptismate Ioannis.

Hisce porro iam inter se dissentientibus relationibus obest alia, quae nimirum missionem Duodecim adscribit *Christo exaltato* (Matth. 28, 18 sqq. Luc. 24, 47. Act. 1, 8) eamque considerat tamquam *donum Spiritus Sancti.*

(2) *Numerus duodenarius* deinde est typicus et *symbolicus,* desumptus ex numero tribuum Israel (cf. Luc. 22, 30 cum Matth. 19, 28), forte etiam ex numero duodecim filiorum Iacob et duodecim praefectorum, quos Salomon posuit super omnem Israel (3 Reg. 4, 7 sqq.), sicut opinatur *Schütz* (p. 73). Id quod confirmatur narratione Lucae, qui, postquam descripsit missionem Duodecim (ad tribus Israel), adiungit missionem Septuaginta (ad gentes). — Accedunt rationes a parte Iesu eligentis, qui hunc numerum determinare secundum Seufert non potuit; nam cur hunc numerum prae aliis elegerit? cur inter istos Duodecim Iudam admiserit? Numquid omnino numerum fixit, cum tamen constet eum voluisse omnes suos discipulos fieri apostolos, non quidem vi alicuius mandati vel missionis, sed vi insitae cuiusdam virtutis et necessitatis internae, experientiae scilicet religiosae, quam omnes suos asseclas ad praedicandum evangelium cogere Iesus supposuerit? Nulla igitur missio praevia, nulla etiam definitiva Christi resuscitati. Fides discipulorum in Iesum exaltatum, en unicum factum historicum; cetera omnia ficta sunt decursu temporis in Ecclesia primitiva, et quidem a iudaeo-christianis.

(3) *Catalogi* igitur apostolorum duodecim non sunt nisi fictiones eorundem iudaeo-christianorum, valoris exigui historici. Nam neque *ordine* nominum, quae exhibent, inter se consonant, neque *ipsis nominibus.* Cuius rei ratio alia inveniri sane nequit nisi traditionis historicae defectus; inde nomina quaedam adiecta esse, alia ab aliis auctoribus aliisque e fontibus.

(4) Accedit porro, quod praeter et ante Duodecim aliud *collegium minus* exstitisse videatur, trium nempe discipulorum *Petri, Iacobi, Ioannis;* filii enim Zebedaei iam erant socii (κοινωνοί) Petri in piscatione miraculosa (Luc. 5, 10), simul dein iique soli erant testes resuscitationis filiae

Iairi (Marc. 5, 37. Luc. 8, 51), transfigurationis Christi (Matth. 17, 1. Marc. 9, 2. Luc. 9, 28), agoniae in horto (Matth. 26, 37. Marc. 14, 33). Simul denique cum Andrea interrogant Dominum de eius parusia (Marc. 13, 3; cf. tamen Matth. 24, 3; Luc. 21, 7).

(5) *Paulum* denique non posse advocari testem collegii Duodecim, cum unicus textus, qui id commemorat (1 Cor. 15, 5), dicitur esse *critice dubius,* quia aliqui testes legunt ἕνδεκα loco δώδεκα; insuper autem, quoniam haec ratio levior videri possit, contendunt Paulum *citare* hoc loco traditionem ecclesiasticam (*Schütz* p. 74), ipsum vero nequaquam agnoscere numerum fixum apostolorum[5].

Et haec fere sunt, quae proferuntur contra veritatem historicam collegii Duodecim. Ipsa iam haec brevis enumeratio ostendit non requiri, ut singula quaeque refutemus; plurima destitui omni vi et auctoritate patet. Alia vel in huius vel in sequentis partis explicatione solventur.

Procedemus in hac parte ita, ut afferamus (1) testimonia evangeliorum, dicta scilicet ipsius Iesu Christi et catalogos Duodecim; (2) confirmemus eorum testimonium consensu primae christianitatis, inde a priore epistula Pauli ad Corinthios.

1. Testimonium evangeliorum.

259. a) Evangelia duo (Marcus et Lucas) narrant electionem Duodecim, duo vero (Matthaeus et Ioannes) eandem supponunt.

Et primum quidem *Marcus* in evangelio suo narrat *diserte* electionem Duodecim. Postquam scilicet Christus ad mare in medio discipulorum turbas plurimas docuit earumque aegrotos sanavit (3, 7 sqq.), ascendit in montem (3, 13 sqq.) et „vocavit ad se quos voluit ipse; et venerunt ad eum“ (ἀπῆλθον: secedentes a reliquis discipulis). Quibus verbis ipsa electio, libera ex parte Christi, clare pronuntiatur. Deinde evangelista prosequitur: „Itaque fecit (collegium) Duodecim, (eo quidem fine) ut (1) essent cum ipso (sequentes eum sequela peculiari et assidua), et (2) ut mitteret eos praedicare (finis electionis et collegii: apostolatus seu missio) et ut haberent potestatem eiciendi daemonia“ (in signum suae legationis divinae, simile ac ipse Christus eam exercuit: 1, 21 sqq.). Repetit dein Marcus hac electione constitutum esse collegium Duodecim: „ita fecit (collegium) Duodecim (τοὺς δώδεκα).“ Adiungit iam catalogum nominum.

Simili plane ratione *Lucas* narrat electionem Duodecim (6, 12 sqq.): Christus, postquam noctu in monte oravit, mane vocat discipulos suos ad se et ex iis eligit (ἐκλεξάμενος) Duodecim, „quos et apostolos nominavit“ (sequitur catalogus nominum). Postea dein, referens missionem primam horum electorum ita dicit: „Convocans Duodecim (τοὺς δώδεκα; apostolos, *Vg*) dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia et sanandi languores; et misit

illos praedicare Regnum Dei . . .“ (9, 1 sq.). Ipse itaque Lucas narrat et electionem Duodecim a Iesu factam et nominis impositionem, quo prae aliis uterentur, ut finem huius electionis significaret: missionem.

260. Brevius *Matthaeus* factum electionis potius supponit quam refert. Misericordia scilicet motus, quia populus suus erat sicut grex absque pastore, Christus iam curat operarios mittendos in messem Dei (9, 35 sqq.), qui scilicet opus Christi continuarent et extenderent, in praedicando et in sanando omni languore (9, 35). Hinc vocat *duodecim discipulos* (τοὺς δώδεκα μαθητάς) ad se (10, 1), dans eis potestatem daemoniorum et sanationis virtutem. „*Duodecim* autem *apostolorum* nomina sunt haec . . .“ (10, 2). „Hos *Duodecim* misit Iesus . . .“ (10, 5), dicens iis: „Euntes autem praedicate . . . infirmos sanate . . . daemones eicite . . .“ (10, 7 sq.). Ex quibus verbis elucet Matthaeum idem factum exhibere ac Marcum et Lucam.

Ioannes denique electionem et numerum duodenarium quam clarissime testatur, licet ansam electionis non afferat. Cum enim post sermonem eucharisticum multi ex Christi discipulis non iam cum eo ambularent, Iesus sese vertens ad Duodecim interrogat: „Numquid et vos vultis abire?“ (6, 67.) Confitenti dein Simoni Petro fidem Iesus respondet: „Nonne ego vos (collegium) Duodecim (τοὺς δώδεκα) elegi? Et ex vobis unus diabolus est!“ Evangelista autem adiungit Christum locutum esse de Iuda proditore, qui erat eum traditurus, „cum tamen esset *unus e Duodecim* (εἷς ὢν ἐκ τῶν δώδεκα: 6, 71). De eadem electione loquitur in colloquio familiari, quod in ultima coena cum Duodecim habuit, antequam manifestavit proditorem: „Ego scio, quos elegerim“ (13, 18). Elegerat enimvero eos libera sua et divina voluntate: „Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis . . .“ (15, 16; cf. 15, 19). Iterum in oratione sacerdotali hanc electionem adducit eamque attribuit voluntati Patris: „Tui erant et mihi eos dedisti. . . . Ego pro iis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt . . .“ (17, 6 9). „Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum . . . Non pro iis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me“ (17, 18 20).

Electio itaque immediata et personalis, sicut ab evangelistis synopticis refertur (cf. etiam Act. 1, 2), ita ab Ioanne, simul cum illo facto, quod, nisi certum esset, testes hi non attulissent: traditionem Iudae nimirum, qui fuit „unus e Duodecim“ (cf. Act. 1, 15 sqq.). Omnes vero evangelistae in eo conveniunt, quod vel

supponant vel describant collegium Duodecim, quippe quod in Ecclesia primitiva omnibus christianis erat notissimum.

261. Etiamsi autem evangelia non diserte edicerent Christum ipsum Duodecim elegisse atque eo ipso in collegium aliquod coadunasse, hoc idem certo constaret tum *ex modo agendi* Christi tum ex iterata *agnitione* Christi. Duodecim enim identidem dicuntur *instituti* speciatim a Christo. Et Matthaeus quidem plures instructiones, quae vere pastorales vel apostolicae dici possunt, licet compendiose, refert. Ipse iam sermo montanus, partim saltem, proxime spectat ad discipulos prae ceteris auditoribus (Matth. 5, 13 sqq.); ad Duodecim autem instructio illa, quam Christus praemittit primae missioni Duodecim (10, 1 sqq.), forte etiam explicatio parabolarum (13, 16 sqq.; cf. tamen Marc. 4, 10), certe interpretatio legis puritatis leviticae (15, 15 sqq.), explicatio „fermenti pharisaeorum" (16, 8 sq.). A promissione dein primatus (16, 13 sqq.) soli fere Duodecim instituuntur Regno Dei eiusque mysteriis, messianitatis videlicet et filiationis Christi divinae (16, 13 sqq.), crucis et mortis (16, 21 sqq.; 17, 22; 20, 17 sqq.; 26, 2), virtutibus dein christianis et apostolicis (18—20), mysterio mortis expiatoriae (20, 28. Marc. 10, 45) et Novi Foederis in sanguine Christi initi (Matth. 26, 20. Marc. 14, 17. Luc. 22, 30), sed etiam futurae gloriae tum Christi tum suorum asseclarum: „. . . in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel" (Matth. 19, 28; cf. Luc. 22, 30), allusio igitur formalis ad numerum duodenarium. Similis allusio inest verbis, quibus Petrum vetat uti gladio: „An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?" (Matth. 26, 53), qui efficacius quam duodecim discipuli valerent defendere regem (13, 41) suum.

Quantopere vero ipse Christus Duodecim non solum agnoverit, sed etiam prae ceteris discipulis suis *extulerit,* quam clarissime manifestat eo quod, ut proditorem deterreret a proposito facinore, provocavit ad vinculum hoc speciale, familiare, intimum, quo Duodecim cum ipso coniuncti erant. Discumbens scilicet cum illis dixit illis: „Unus ex vobis tradet me!" (Marc. 14, 18; cf. Matth. 26, 21). Et cum illi perturbati et contristati eum interrogarent singuli: „Numquid ego?" respondet: „Unus ex Duodecim!" (Marc. 14, 20.) Similiter iam antea locutus erat simili quadam occasione, post promissionem nempe eucharistiae (Io. 6, 70). Hinc nil mirum, quod idem modus loquendi observari licet apud evangelistam

Lucam, qui, narrans proditionem Iudae, „intravit (ait) autem satanas in Iudam, . . . unum de Duodecim (ὄντα ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα, Luc. 22, 3).

262. b) Hoc ultimo testimonio iam pervenimus ad *consensum evangelistarum*, qui omnes vocem „Duodecim" adhibent sensu determinato, sociali nempe. Usus eorum loquendi videri licet ex conspectu qui sequitur:

EvMatth.: Duodecim (οἱ δώδεκα) 10, 5; 20, 17; 26, 14 20 47;
duodecim discipuli (οἱ δώδεκα μαθηταί) 10, 1; 11, 1;
duodecim apostoli (οἱ δώδεκα ἀπόστολοι) 10, 2;
undecim 28, 16 (testes apparitionis in Galilaea);
decem 20, 24 (indignabundi de filiis Zebedaei).

EvMarc.: Duodecim 3, 14 16; 4, 10; 6, 7; 9, 35; 10, 32; 11, 11; 14, 10 17 20 43;
undecim 16, 14;
decem 10, 41;

EvLuc.: Duodecim 6, 13; 8, 1; 9, 1 12; 18, 31; 22, 3 47 (22, 14: *Vg*);
undecim 24, 9 33;

Act.: Duodecim 6, 2;
undecim 1, 26 (Matthias adnumeratur undecim); 2, 14 (Petrus cum undecim);

EvIo.: Duodecim 6, 67 70 71; 20, 24 (Thomas unus e Duodecim);

Apoc.: Duodecim 21, 14 (duodecim apostoli);

1 Cor. 15, 5: Duodecim (lect. var.: undecim D*FG 122 it. *Vg* syr^{hl}).

Collegium proinde *Duodecim* tam notum erat, ut, deficientibus vel uno (Iuda proditore) vel duobus (filiis Zebedaei), reliqui vocarentur, ratione collegii, *„undecim"* vel *„decem"*, quia vinculum, quo inter se coniungebantur, etiamtum manebat fixum et validum; immo aliquando, non obstante numero diminuto, undecim nominantur nihilominus „Duodecim" (Io. 20, 24. 1 Cor. 15, 5).

Certissimum porro documentum singularis illius auctoritatis, qua Duodecim gaudebant in Ecclesia primitiva, itaque etiam pro veritate eiusdem collegii historica praebent *catalogi* Duodecim, quos Matthaeus, Marcus, Lucas operibus suis inseruerunt; soli enim Duodecim ita nominatim in evangeliis enumerantur.

Catalogi sunt hi:

EvMatth.	EvMarc.	EvLuc.	Act.
Simon Petrus	Simon Petrus	Simon Petrus	Petrus
Andreas	Iacobus	Andreas	Ioannes
Iacobus	Ioannes	Iacobus	Iacobus
Ioannes	Andreas	Ioannes	Andreas
Philippus	Philippus	Philippus	Philippus
Bartholomaeus	Bartholomaeus	Bartholomaeus	Thomas
Thomas	Matthaeus	Matthaeus	Bartholomaeus
Matthaeus	Thomas	Thomas	Matthaeus
Iacobus Alphaei	Iacobus Alphaei	Iacobus Alphaei	Iacobus Alphaei
Thaddaeus	Thaddaeus	Simon Zelotes	Simon Zelotes
Simon Cananaeus	Simon Cananaeus	Iudas Iacobi	Iudas Iacobi
Iudas Iscariotes	Iudas Iscariotes	Iudas Iscariotes	

263. Quibus catalogis pauca quaedam explicationis gratia subiungantur. (1) Omnes catalogi *incipiunt* a Simone Petro, *desinunt* (exc. Act.) cum Iuda proditore. (2) Constant singuli *tribus quaternionibus*, ea quidem lege, ut in omnibus catalogis singulae quaterniones incipiant ab iisdem nominibus (Petro, Philippo, Iacobo Alphaei). (3) Intra vero has quaterniones *ordo nominum non est idem;* nam in *prima quaternione,* quae exhibet duo paria fratrum, Matthaeus et Lucas ordinant secundum vinculum consanguinitatis; Actus vero enumerant secundo loco Ioannem, cum quo Petrus arcte coniunctus erat (3, 1 3 4 11; 4, 13 19; 8, 14; cf. Io. 1, 35 sqq.; 13, 23 sqq.; 20, 2 sqq.; 21, 2 sqq.). In *secunda* quaternione principium ordinis non apparet; consentiunt inter se Marcus et Lucas; Matthaeus et Actus eatenus, quatenus ponunt Matthaeum ultimo loco. In *tertia* quaternione occurrunt insuper *varia nomina*. Et *Simon Cananaeus* (Matthaeus, Marcus) sine ulla difficultate identificatur cum Simone Zelota, quem tradunt *EvLuc.* et Actus (קַנָּאִי = zelotes). Quid autem de *Thaddaeo* (Matth., Marc.) et *Iuda Iacobi* (Luc., Act.)? Ex ipso iam catalogo Lucae, qui non independens esse potest ab aliis, cum Lucas opera et Matthaei et Marci noverit, suadetur Thaddaeum et Iudam Iacobi esse eundem Christi discipulum. Nulla enim apparet ratio, cur Thaddaeus non plura nomina gesserit, sicut e. g. Matthaeus (Matth. 9, 9), qui et Levi (Marc. 2, 13. Luc. 5, 27) appellatur. At gravior inde haec quaestio evadit, quod tertium nomen a multis testibus traditur; textus scilicet occidentalis qui vocari solet (imprimis *D* 122 f k) loco Thaddaei ponit *Lebbaeum* (Matth. 10, 3); plures alii testes utrumque nomen coniungunt et legunt „Lebbaeus qui nominatur Thaddaeus" (C EFG L Θ), aliqui tandem codices Veteris Latinae (a b g h q) habent „*Iudas Zelotes*". Quae lectiones variantes certe difficultatem quandam indicant, quae ortum suum fortasse ducit ex diversitate nominum in catalogis canonicis. De „Iuda Zelota" cur seriam inquisitionem instituamus non est ratio; quaeritur de nomine Lebbaei; cuius quidem originem nescimus: at fortasse

designat Iudam Thaddaeum, ut ab alio, qui ex patria videtur nomen habuisse Iscariotes, distingueretur, a vico Lebba (*Libba: Ios.,* Ant. 14, 1, 4; *Lemba:* ibid. 13, 15, 4)[6], forte etiam idem significat, scilicet hominem cordatum (vel amatum: *Monnier*[7]). Res non liquet. - Neque vero ex hac solutione pendet fides nominum vel totius catalogi vel veritatis historicae collegii Duodecim. Non catalogi; nam membra collegii potuerunt varia cognomina habere, immo alia apud alios aliis temporibus, prout necessitas ferebat distinguendi inter se duos viros eiusdem nominis (cf. Io. 14, 22). Non collegii et numeri duodenarii; nam etiamsi in catalogis invenirentur nomina falsa vel ficta — id quod nullatenus concedimus —, ipsa tamen enumeratio Duodecim persuasionem manifestat firmiter in Ecclesia primitiva vigentem: Duodecim fuisse prae aliis Domini discipulis ab ipso electos, ut tamquam apostoli suam Ecclesiam conderent, propagarent, regerent.

264. Nomina quidem partim saltem eadem affert *EvIo.;* catalogum autem non contexit. Enumerat enim: *Petrum* eiusque fratrem *Andream,* alterum par fratrum, inter quos ipse auctor evangelii erat (Io. 1, 35 sqq.; imprimis 1, 41), deinde *Philippum* et *Nathanael* (1, 43 sqq.); hunc ultimum, qui etiam occurrit 21, 2, identificant cum Bartholomaeo (= filio Tholomai). Porro nominantur *Thomas* (11, 16; 14, 5; 20, 24 sqq.; 21, 2), *Iudas* (Iacobi; 14, 22), Iudas *Iscariotes* (6, 71; 12, 4; 13, 2 26 29; 14, 22; 17, 12; 18, 2 sqq.).

2. Consensus primae Ecclesiae.

265. *Evangelia* (et *Actus*) modo considerata duplex testimonium praebent, et formale et virtuale. Et *formale* quidem, quia diserte enuntiant Christum ipsum elegisse Duodecim; *virtuale* autem, quatenus hac sua assertione probant et ipsa et christianos sui temporis persuasum habuisse: collegium Duodecim originem ducere ex institutione Christi. Hinc eorum testimonium valet pro tempore circiter 50—63.

Ulterius ascendit testimonium *Pauli* in epistula prima ad Cor. 15, 5, quae scripta est anno 56 vel 57. Cum enim Paulus haec verba afferat non ut sua, sed *ex traditione* iam pridem accepta (15, 3), cumque ipsa forma versuum 3 - 5 fixa iam et fere symbolica videatur, sponte infertur numerum duodenarium apostolorum non esse a Paulo primum introductum, sed inde ab initio Ecclesiae et religionis christianae ut factum consideratum, inter primaria et inconcussa.

Textus ex *Actibus* (1, 26; 2, 14; 6, 2) et ex *Apocalypsi* (21, 12 sqq.) desumpti supra iam allati sunt. Ex fontibus dein *postcanonicis* pauca quaedam eaque principaliora enumerare satis erit.

266. *Didache* in ipsa sua inscriptione duodenarium apostolorum numerum profitetur, a quibus scilicet scripta esse contendit: „Doctrina duodecim apostolorum.“ [9]

Epistula quae dicitur *Barnabae* dicit Christum dedisse apostolis „praedicandi evangelii potestatem; quique sunt duodecim in testimonium tribuum, quia apud Israelitas duodecim erant tribus“ (8, 3).

Kerygma Petri (apud Clementem Alexandrinum, Strom. 6, 6, 48): „Ego vos, duodecim discipulos, elegi, quoniam dignos me vos duxi . . . et, cum persuasum habeam vos esse fideles apostolos, mitto vos in mundum, ut praedicetis evangelium hominibus, qui oecumenam incolunt.“ [10]

Marcion in suo evangelio, quod non est aliud nisi *EvLuc.* mutilatum et alteratum, licet praeter Paulum omnes alios apostolos respuat ut iudaicos, eorum tamen electionem, quam narrat Lucas (6, 12 ss.), non expunxit [11].

Pastor Hermae indirecte saltem videtur alludere ad eundem numerum, loquens de duodecim montibus (Sim. 9, 1, 4), qui sunt duodecim gentes seu „tribus, quae habitant totum mundum“ (Sim. 9, 17, 1). Omnes enim gentes in nomine Dei Filii vocatae sunt. „Accepto igitur sigillo unam cogitationem habuerunt et unum sensum, et una fides eorum fuit et una caritas, et spiritus virginum portaverunt cum nomine“ (Sim. 9, 17, 4). Dein sequitur explicatio duodecim montium (Sim. 9, 19 sqq.).

Iustinus idem testatur. In Apologia I 39 haec scribit: „Hierosolymis enim viri numero duodecim exierunt in mundum, iique imperiti (ἰδιῶται: Act. 4, 13), dicendi facultate non praediti; Dei autem virtute nuntiarunt omni generi hominum missos se esse (ἀπεστάλησαν) a Christo, ut omnes docerent verbum Dei.“ Idem in Dialogo cum Tryphone comparat apostolos cum duodecim tintinnabulis, quae pendebant ex talari summi sacerdotis Iudaeorum; ita duodecim apostoli dependent ex virtute aeterni sacerdotis Christi (42).

267. Libri *apocryphi* dein qui vocantur multoties manifestant eundem consensum, tum Ecclesiae catholicae tum sectarum imprimis gnosticarum. Praeter „*evangelium Duodecim*“ (saeculi II), „*evangelium Petri*“ (saeculi II medii), „*apocalypsim Petri*“ (saeculi II), „*Ascensionem Isaiae*“ (saeculi I vel II), „*Oracula Sibyllina*“ (saeculi II) [12] imprimis attentionem excitavit „*epistula apostolorum*“ quae vocatur, oriunda ex medio fere saeculo II. servata in versione aethiopica, coptica, fragmento latino. Textus aethiopicus incipit hoc modo: „Liber, quem Iesus Christus suis discipulis revelavit; et quo modo Iesus Christus librum propter collegium apostolorum, discipulorum Iesu Christi, librum omnibus destinatum, revelarit“ (1). Dein (2) ita apostoli pergunt: „Nos Ioannes, Thomas,

Petrus, Andreas, Iacobus, Philippus, Bartholomaeus, Matthaeus, Nathanael, Iudas Zelotes, Cephas scripsimus ad ecclesias Orientis et Occidentis, Aquilonis et Meridiei . . . quid audivimus ab eo (Domino Nostro Iesu Christo), quomodo eum tetigimus, postquam a mortuis resurrexerat, et quomodo nobis magnalia, stupenda, quae tamen facta sunt, revelavit." Notatu digna videntur esse haec: (1) Catalogus est undenarius, quia scilicet Iudas proditor iam non erat inter Duodecim; (2) primus seriei non est Petrus, sed Ioannes; Petrus tertio demum loco exhibetur; (3) Petrus distinguitur a Cepha, qui ultimo loco apparet; (4) desunt Iacobus Alphaei et Simon, cuius cognomen Zelotes accepit Iudas (Thaddaeus), sicut aliqui testes ad Matth. 10, 3 habent. Manet dubium, undenam haec nominum series, quae certe manifestat maximum influxum Evlo. Ex hoc albo vicissim catalogus dependere videtur, qui invenitur in libro *„Ordo apostolorum Ecclesiasticus"*; praebet enim haec nomina: Ioannes, Matthaeus, Petrus, Andreas, Philippus, Simon, Iacobus, Nathanael, Thomas, Cephas, Bartholomaeus, i. e. undecim nomina, ordine paululum mutato, attamen, si excipias Simonem (loco Iudae Zelotae), membra eadem ac catalogus epistulae [13].

Ceterum, non obstante varietate et nominum et ordinis, quo enumerantur, ipse numerus duodenarius ab omnibus testibus enumeratis pluribusque aliis unanimiter ut fixus firmusque consideratur.

268. Si denique quaeratur, *undenam numerus duodenarius* apostolorum, responsum proximum est ipsa voluntas Christi; elegit enim „quos ipse voluit" (Marc. 3, 13). Quodsi ulterius indagemus in rationem, cur hic numerus prae aliis electus sit, responsum innui videtur in ipsis evangeliis et verbis Christi, siquidem ipse asserit et suis apostolis promittit eos iudicaturos esse duodecim tribus Israel (Matth. 19, 28. Luc. 22, 30), immo apud Matthaeum addit: „sedebitis super duodecim thronos". Specialis igitur *relatio ad Israel,* non obstante missionis universalitate, hoc numero indicari videtur, ea nimirum ratione ut, etiamsi Israel iam non sit fundamentum novi Regni Dei, tamen ex speciali quadam benignitate Christi praedicatio evangelii prima habenda sit in Israel et ad Israel (Act. 1, 8. Luc. 24, 47). Simul autem eodem numero *universalitas Regni Dei messianici* significatur, si considerentur Duodecim fere ut duodecim patriarchae N^i T^i, a quibus ad instar filiorum Iacob in V^e T^o orirentur tribus novae christianae in universa terra (cf. Past. Hermae Sim. 9, 17 sqq.). Plura in assertione sequenti.

III. De fine collegii Duodecim seu de apostolatu.

269. 1. Auctoritas singularis, qua Duodecim in Ecclesia gaudebant, tota quanta derivatur ex condicione et ex munere, quod Christus eis commisit. Sunt etenim *„apostoli"*, legati Christi, ab ipso Christo immediate electi et instructi, ut deinceps ab eo mitte-

rentur, non ad opus quodcumque peragendum, sed ad *missionem ipsius Christi* continuandam, omnibus hominibus applicandam et ita perficiendam. Haec iam est illa singularis Duodecim condicio, haec illorum missio, ex qua omnis eorum auctoritas, ut scilicet sint vero quodam sensu successores Christi in exsequendo opere, ad quod consummandum ipse de caelis descenderat. Et *vitam,* salutem scilicet, quam redemptione sua hominibus iterum restitueret, et *lucem,* quam revelatione sua hominibus attulit, tradidit suis discipulis duodecim, ut hi vicissim utramque hominibus traderent tamquam Christi apostoli, legati, vicarii.

Missio igitur *apostolica,* ut ex dictis elucet, sensu *pleno* intellegitur. Vario enim modo apostolus seu legatus intellegi poterit. Vi nominis (ἀπόστολος, ἀποστέλλειν = mittere) potest significare *nuntium,* qui mandato alicuius hominis vel personae alteri aliquid communicat, ut e. g. angelus B. Virgini Mariae (Luc. 1, 26), vel discipuli illi, Petrus videlicet et Ioannes, per quos Christus inquit: „Magister dicit: tempus prope est, apud te facio pascha!" (Matth. 26, 18.) Talis nuntius non personam propriam gerit neque nomine proprio agit, sed nomine et auctoritate alterius. — Suntne apostoli Christi meri eius nuntii?

Apostolus potest significare *legatum* alicuius hominis (personae), qui instructus est certa *potestate* et *auctoritate,* vi cuius intra certum ambitum agere valet nomine proprio, quia scilicet *munus* aliquod accepit, cui certa iura exercenda adnexa sunt. — Numquid Christus apostolos suos tali modo instruxit, tribuens nimirum certa iura, munera, certam potestatem, auctoritatem in suo Regno? Hae quidem quaestiones sponte oriuntur ex solo nomine apostolorum; responsum tamen nondum in hac assertione dabimus: huius enim loci non est nisi solius *facti* historici probatio: *Christum* duodecim *apostolos vocasse,* quia certa quaedam munera et opera iis commisit [14].

270. 2. Iam in secunda huius assertionis parte dictum est theologos protestanticos *liberales* fere omnes historicam *institutionem* apostolatus *negare;* eosdem nimirum, qui negant Christum Ecclesiam instituisse actu formali et iuridico.

Et *principia* quidem scholae liberalis sunt apud omnes eadem, in *ulteriore* tamen *explicatione* apostolatus in varias partes abeunt.

Quas omnes recensere longum est neque indoli huius tractatus convenit. Satis igitur sit, ut veluti specimen proponatur explicatio, quam dedit *A. v. Harnack* (in libro suo: Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten I [4]1924).

a) Historice certum est, ita Harnack, Christum *tempore vitae* suae *misisse* discipulos suos ad praedicandum evangelium (Matth. c. 10. Marc.

c. 6. Luc. c. 9), ad solos scilicet Iudaeos, opinatus hanc esse unicam et ultimam missionem. Et in hoc quidem Christum errasse. Post mortem autem Christi eius verba (Matth. 10, 7): „Euntes praedicate!" sensu universali intellecta, ansam dedisse primis christianis, ut Christo resuscitato et exaltato mandatum missionis definitivae attribuerint: „Euntes ergo docete omnes gentes!" (Matth. 28, 19.) Ex quibus iam sequitur hanc missionem universalem non esse historicam (cf. *Ass. 8,* n. 203 sqq.)[15], ideoque neque apostolatum universalem (39 sqq.). Id quod confirmatur testimonio evangeliorum.

b) *Evangelia* nimirum non utuntur voce apostoli nisi solus Lucas (332 sqq.). De *Ioanne* res constat; *EvMatth.* quidem uno loco loquitur de „duodecim apostolis" (10, 2), sed lectio originaria, quam servavit syr^{sin} est „duodecim discipuli". *EvMarc.* vero vocat Duodecim apostolos relate ad missionem praeviam (6, 30). *Lucas* autem sequitur modum loquendi *Pauli,* qui nempe, ut suam auctoritatem tueretur, auxit auctoritatem duodecim apostolorum, deinde se illis aequiparavit. Paulus igitur est, qui collegium duodecim apostolorum proprie creavit atque eos ut apostolos singularis auctoritatis prae aliis apostolis (missionariis) extulit. Inde Lucas usus est voce apostoli sensu particulari de collegio Duodecim.

c) Si iam quaeramus, *undenam* apostolatus (Duodecim) singularis, indicantur quattuor fere radices, scilicet (1) ratio fundamentalis est *indoles universalis* doctrinae Christi de Regno Dei (cf. *Ass. 8,* n. 213 sqq.), quae natura sua omnes gentes respiciebat, licet ipse Christus hanc indolem non perspexerit. (2) Accedit dein factum historicum: Christum collegisse *discipulos,* e quibus *Duodecim* elegerit, instruxerit, *miserit.* Hanc missionem praeviam extensam esse ad definitivam Duodecim, postea etiam Pauli (39 sqq.). (3) Sub influxu *„spiritus"* et donorum *pneumaticorum* ortam esse *„triadem"* charismaticam magistrorum christianorum: apostolorum nimirum, prophetarum, doctorum (346 sqq.); exemplum horum munerum, imprimis *apostolatus,* exsistebat in religione *iudaica* (340 sqq.). (4) Tandem *Paulus* singularem auctoritatem *duodecim* apostolorum et suam propriam fundavit.

Similes theorias alii auctores liberales statuerunt, e. g. *H. Monnier,* La notion de l'apostolat 100 sqq.; *J. Weiss,* Das Urchristentum 32 sqq.; *H. v. Soden,* Geschichte der christlichen Kirche I (Aus Natur und Geisteswelt 690) (1919) 121 sqq.; *R. Schütz,* Apostel und Jünger 66 sqq. Plurimae ex his suppositionibus et propositionibus vel antea refutatae sunt vel in ipsa exponenda nostra assertione dissolventur; de apostolatu iudaico speciatim agendum erit in Scholio 3 (n. 280 sqq.).

1. De testimonio evangeliorum.

271. Christo ut legato Dei commissa erat *legatio* prorsus *universalis,* sicut ipse testatur (*Ass. 8* de universalitate Regni Dei: n. 213 sqq.), annuntians Regnum Dei pro omnibus omnium temporum hominibus. Iamvero haec missio, extensive et temporaliter universalis, conaturaliter requisivit, ut Christus *socios* sibi adsciseret et *adiutores,* qui scilicet sua ipsius auctoritate instructi in nomine

Christi evangelium praedicarent et homines vel ipsi in Regnum Dei admitterent vel ad Iesum adducerent. Atque tale adiutorium, per legatos scilicet seu apostolos, quibus suam ipse Christus tribueret missionem, eo magis erat necessarium, quia Christus suam mortem proxime instare praesciebat et praedicebat (cf. Matth. 16, 21 sqq.). Iure igitur exspectamus Christum hoc modo providisse operi suo, i. e. discipulis suis duodecim, quos speciali modo elegerat, instruxerat, miserat, etiam continuandum opus suum actu formali et iuridico tradidisse. Iam quaeritur, quidnam evangelia de tali missione.

a) De nomine apostoli.

272. Et re quidem vera, evangelia clare et diserte testantur Christum Duodecim talem missionem dedisse; *Lucas* insuper addit ipsum Christum nomen apostolorum Duodecim indidisse. „Et cum dies factus esset, (Iesus) vocavit discipulos suos (τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ) et elegit Duodecim ex ipsis, quos et apostolos vocavit (οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν) . . .“ (6, 13), eodem scilicet modo, quo Simonem vocavit Petrum (ὃν καὶ ὠνόμασεν Πέτρον).

Hoc testimonium disertum ideo tantummodo ab aliquibus in dubium vocatur, quia solus Lucas haec Christi verba referat; at vero, etiamsi ita esset, nulla exinde instantia contra veritatem effati historicam peti posset. Nam aptissime sane Christus nomen apostoli (aramaice שְׁלִיחָא) adhibet, si agatur de legatis, quos suo nomine mittit missione praevia ad Iudaeos (Matth. 10. Marc. 6. Luc. 9). Deinde vero alii quoque N^i T^i libri vocant Duodecim apostolos, eadem quidem occasione, missionis scilicet praeviae. Et *Matthaeus* quidem diserte vocat Duodecim apostolos: „Duodecim autem apostolorum nomina sunt haec“ (10, 2). Neque asseri potest hanc lectionem esse critice dubiam; nam testimonium unius syr^{sin} (duodecim discipulorum) facile explicatur, utpote lectio facilior, ex contextu; praecedit enim immediate expressio „duodecim discipuli“ (10, 1).

EvMarc. similiter vocat Duodecim apostolos, redeuntes videlicet ex hac prima sua missione: „convenientes apostoli ad Iesum, renuntiarunt ei omnia, quae egerant et docuerant“ (6, 30).

273. Uterque evangelista, Matthaeus et Marcus, semel tantum hac appellatione utitur, et quidem ea occasione, qua Duodecim munus apostolatus Christi agunt; nomen enim quasi proprium, desumptum ex relatione speciali ad Iesum, est collegiale: Duodecim. Aliter *Lucas* pluries Duodecim nominat apostolos (6, 13; 9, 10; 11, 49; 17, 5; 22, 14; 24, 10). Et bis quidem vox occurrit in *ore* ipsius *Christi:* 6, 13 vocavit ipse Duodecim apostolos;

11, 49 vero indicat missionem futuram: „Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas et *apostolos,* et ex illis occident et persequentur . . .", cui effato correspondet verbum Christi apud Matth. 23, 34: „Ideo ecce ego *mitto* (ἀποστέλλω) ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex eis occidetis. . . ." Est igitur sermo de prophetis et apostolis N^i T^i, qui ad instar prophetarum V^{is} T^i sunt legati Dei et Christi.

Reliquis locis ipse Lucas Duodecim nominat apostolos. 9, 10: Duodecim redeuntes a missione praevia (cf. Marc. 6, 30). — 17, 5: „Et dixerunt apostoli Domino: Adauge nobis fidem!" (deest locus parallelus in aliis evangeliis). — 22, 14: „Et cum facta esset hora, discubuit et (duodecim: *Vg*) apostoli cum eo." Alii synoptici scribunt vel „duodecim discipuli" (Matth. 26, 20) vel „Duodecim" (Marc. 14, 17). 24, 9 sq.: Mulieres, quibus angeli resurrectionem Christi annuntiaverant, „nuntiaverunt haec omnia (illis: *Vg*) undecim et ceteris omnibus . . . dicebant ad apostolos haec".

Certe igitur vox *apostoli* Lucae erat familiaris, et magis quidem quam Matthaeo et Marco. Ratio esse potest vel ea, quod erat comes et discipulus Pauli; forte autem licebit admittere certam quandam *evolutionem in modo loquendi* primae Ecclesiae. Quo magis enim exercebatur potestas apostolica, quo clarius porro dignitas et auctoritas apostolica perspiciebatur, eo magis haec appellatio prae priore (Duodecim) usu venit, imprimis in ecclesiis, quae non tam arcte cohaerebant cum hierosolymitana. Cuius rei testis videtur Lucas esse etiam in *Actibus,* in quibus videlicet bis de Duodecim vel undecim (2, 14; 6, 2), semel de duodecim apostolis (1, 26), generatim de apostolis loquitur (1, 2; 2, 37 42 sq.; 4, 33 35 sqq.; 5, 2 12 18 29 34 40; 6, 6; 8, 1 14 18; 9, 27; 11, 1; 15, 2 4 6 22 sq. 33; 16, 4). Et his quidem locis designantur hoc nomine Duodecim; duobus vero aliis (14, 4 14) idem nomen adhibetur de Barnaba et Paulo.

274. Ex reliquis N^i T^i libris *Paulus* vocem adhibet de Duodecim (cf. *Ass. 10;* n. 300 sq.); semel eos vocat οἱ Δώδεκα (1 Cor. 15, 5). — *Petrus* seipsum nominat apostolum (1 Petri 1, 1. 2 Petri 1, 1); in altera dein epistula lectores suos monet, ut memores sint verborum, quae dicta sunt a prophetis, et mandatorum Domini et Salvatoris, quae acceperint per suos apostolos (2 Petri 3, 2). Simili plane ratione Iudas (17) ait: „Memores estote verborum, quae praedicta sunt ab apostolis Domini Nostri Iesu Christi!" — In scriptis dein *ioanneis* vox apostoli raro occurrit, semel scilicet in *evangelio,* ter in *apocalypsi.* Et in evangelio quidem sensu de se

generali significat legatum: „Non est servus maior domino suo, neque apostolus maior est eo, qui misit illum“ (13, 16). Sed sicut prius membrum (servus-dominus) respicit versum 13, in quo Christus se dicit dominum suorum discipulorum, ita alterum (apostolus-mittens) versum 20, in quo iidem dicuntur missi a Christo, i. e. apostoli Christi: „Qui accipit, si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.“ In epistula ad angelum ecclesiae ephesinae (Apoc. 2, 2) commemorantur apostoli falsi (cf. 2 Cor. 11, 13 sqq.) et mendaces, fortasse nicolaitae (2, 6). — Apoc. 18, 20: „Exsulta super eam (Babylonem incensam et dirutam) caelum et sancti et (om. *Vg*) *apostoli* et prophetae, quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de illa“; certe intellegendi sunt prophetae et apostoli christiani (cf. Eph. 2, 20; 3, 5; 4, 11), id quod confirmatur 21, 14, in descriptione scilicet urbis caelestis: „Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina *duodecim apostolorum* Agni“, sicut in portis eius duodecim inscripta sunt nomina tribuum Israel (21, 12). Ergo hoc quoque loco certa quaedam relatio innuitur inter Israel et numerum duodenarium apostolorum.

b) De missione duodecim apostolorum.

275. „Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse . . . et fecit (collegium) Duodecim, ut essent cum ipso et ut mitteret eos praedicare et habere potestatem eiciendi daemonia“ (Marc. 3, 13). Ita secundum textum graecum, a quo Vulgata nonnihil differt[16]. Clare igitur hisce verbis *finis* indicatur, ob quem Christus Duodecim ex omnibus suis discipulis elegerit, proxime quidem ut, artius et intimius ipsi coniuncti, sese praepararent ad opus quod illis commissurus erat; dein vero finis *proprius* et *ultimus* indicatur; ut essent *„missi“* seu *apostoli* Christi, qui scilicet opus Christi continuarent et praedicatione et impugnatione regni diaboli. Sicut *Christus* ipse erat legatus Dei — non servus sed filius (Matth. 21, 33 sqq.), non unus ex prophetis sed Messias Filius Dei (Matth. 16, 13 sqq.; cf. Hebr. 1, 1), et hoc sensu, plenissimo, *apostolus* (Hebr. 3, 1) - ita suos vicissim discipulos instituit legatos suos, quibus suam missionem tradidit. Quam exercuerunt modo restricto tempore vitae Christi (Matth. 10. Marc. 6. Luc. 9), ut pastores gregis derelicti et ut operarii messis divinae (Matth. 9, 36 sq.); postmodum autem exercebunt integram ut vicarii et successores Christi.

Ex hac consideratione intellegitur series illa, quae identidem in evangeliis occurrit: *Pater* misit Filium Iesum Christum, *Christus* misit *apostolos* suos. „Qui recipit vos, me recipit; et qui me

recipit, recipit eum, qui me misit" (10, 40); *Lucas* vero praebet hanc formam: „Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit (ἀθετῶν), spernit eum, qui misit me" (10, 16), et quidem in missione *septuaginta* discipulorum, cum verba apud *Matthaeum* relata sese referant ad missionem definitivam. Ad eandem pertinent effata Christi, quae *EvMatth.* habet tribus locis (11, 27 sqq.; 16, 13 sqq.; 28, 18 sqq.) inter se correspondentibus. „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo" (11, 27); hinc iugum novi Regni Dei est iugum Filii Dei, suave et leve onus, ad quod suscipiendum omnes invitat. Novum Regnum Dei est Ecclesia Christi, quam ut Dei Filius super Petrum fundabit (16, 13 sqq.); *Petro* igitur partes principales in suo Regno tradet, missionem specialem et insignem. *Omnibus* apostolis dein apostolatum definitivum et missionem completam commisit post resurrectionem, dicens eis in monte Galilaeae congregatis: „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos . . . docentes servare omnia, quaecumque mandavi vobis . . .!" i. e. *missionem propriam* iam tradit Duodecim, ita eos constituens et instituens *apostolos sensu et ambitu amplissimo.*

Ioannem non aliam habere notionem apostolatus iam ex illo textu elucet, quem supra allegavimus (13, 16 20). Christum missum esse a Patre saepissime effertur; sufficit enumerare locos, in quibus verbum ἀποστέλλειν vel πέμπειν habetur. Ita misit apostolos suos. Aliqua exempla rem illustrabunt: „Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. . . . Ego misi vos metere, quod non laborastis . . ." (4, 34 38). — Porro: „Sicut tu (Pater) me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum (Duodecim)" 17, 18: — „Sicut misit me Pater, ego mitto vos" (20, 21).

276. Ex quibus textibus consonis omnium evangeliorum constat de *sensu apostolatus:* est nimirum missio Christi, quae ex voluntate Christi ad Duodecim transiit. Ulteriorem eius determinationem dare, non est huius loci; sufficiat interim ea indicare, quae in locis modo allatis exhibentur, scilicet missio Duodecim complectetur et munus *doctrinale* (Matth. 10, 1 sqq.; 28, 18 sq.) et munus *sanctificandi* homines, ritu saltem initiationis seu baptismo (Matth. 28, 18).

Et haec quidem missio *sanctificatoria* seu sacerdotalis, quae etiam religiosa sensu stricto dici potest, est principalis; sicut Christus vitam suam dedit „redemptionem pro multis" (Matth. 20, 28) atque in proprio sanguine pepigit Novum Foedus (26, 28),

Regnum Dei mere religiosum (*Ass. 6,* n. 153 sqq.) condidit ut sacerdos, ita etiam apostoli, qui ritu baptismali veraque regeneratione interna (Io. 3, 3 sqq.) homines suscipiunt in hoc Regnum Dei et praesens et futurum vitae aeternae (3, 3 16; cf. 20, 22 sqq., ubi Christus apostolis suis potestatem dat dimittendi peccata), munus sacerdotale gerunt. Alterum deinde munus, priori subordinatum, est *doctrinale,* quo instructi apostoli evangelium Christi praedicent omni creaturae. Utraque autem missio est *socialis,* i. e. et gratia redemptionis et donum revelationis christianae hominibus communicantur non singulis, sed ut membris alicuius societatis religiosae, scilicet Regni Dei seu Ecclesiae. Hinc praeter potestatem sacerdotalem et doctrinalem missio apostolica complectitur etiam munus sociale et potestatem socialem seu *auctoritatem.* De hac iam auctoritate religiosa agendum nobis erit in hoc tractatu.

Scholion 1. Testimonium litteraturae postcanonicae.

277. Quoniam de auctoritate et veneratione, qua tempore postapostolico gaudebant Duodecim ut apostoli, infra agendum erit (cf. *Ass. 19,* n. 458 sqq.), hoc loco brevi enumerentur textus quidam principales testium, qui tempore proxime libros canonicos sequuntur.

Didache novit in inscriptione „duodecim apostolos", sensu igitur stricto; praeterea autem apostolos sensu latiore seu missionarios (cf. 11; *K* 4).

Epistula *Barnabae* refert apostolorum et electionem et missionem evangelicam: 5, 9; cf. 8, 3, ubi iidem vocantur Duodecim.

Clemens Romanus narrat in epistula sua martyrium „bonorum apostolorum" Petri et Pauli (5; *K* 10), describit apostolos omnes ut praecones evangelicos (42; *K* 12) et praepositos Ecclesiae (44; *K* 13), recordatur speciatim Pauli apostoli, utpote fundatoris ecclesiae corinthiacae (47, 1 4).

Ignatius Antiochenus laudat Ephesios, quod semper consenserint apostolis (ad Eph. 11, 2), ut Pauli symmystas (12, 2). Saepius apostolorum coniunctionem intimam cum Christo effert (ad Magn. 6, 1; 7, 1; 13, 1 2; ad Trall. 2, 2; 3, 1 3; 12, 2; ad Philad. 5, 1; ad Smyrn. 8, 1) vel auctoritatem apostolorum singularem (ad Trall. 3, 3; 7, 1; ad Rom. 4, 3). Speciali mentione dignae sunt expressiones hae: . . . „quam (ecclesiam trallensem) et saluto in . . . apostolico charactere" (ad Trall. inscr.) et: per Christum tamquam ianuam ingrediuntur patriarchae et „prophetae et apostoli et Ecclesia" (ad Philad. 9, 1).

Secundum *Polycarpum* apostoli in Christi nomine praedicant evangelium (ad Phil. 6, 3). Philippenses sequantur exemplum, quod viderunt „in ipso Paulo ceterisque apostolis“ (9, 1).

Usus loquendi *Pastoris Hermae* non tam clare constat; aliquando videtur loqui de apostolis sensu stricto, scilicet de Duodecim (Sim. 9, 17, 1; cf. 25, 2); aliquando autem de apostolis sensu latiore (Vis. 3, 5, 1. Sim. 9, 15, 4).

Secundum *Kerygma Petri* ipse Christus vocavit Duodecim, ut essent apostoli suoque nomine praedicarent evangelium.

Iustinus Martyr vocat Duodecim apostolos in Apol. I [39] 42 45 49 50 53 61 66 67; in Dialogo cum Tryphone 42 75 81 88 100 sqq. 106 109 110 114 119. — Ipse Christus vocatur apostolus Apol. I 12 63.

Accedunt plurima testimonia ex libris *apocryphis,* qui maximam partem ab aliquo apostolo scripti esse contendunt. Similiter *haeretici* vix non omnes auctoritatem apostolicam suae doctrinae praetendunt, sicut *ebionaei,* qui secluso Paulo admittunt *ErMatth.* (Irenaeus Adv. haer. 1, 26, 2; *K* 115), vel *Marcion,* qui e contra solum Paulum ut apostolum christianum agnoscit, Duodecim reicit, hinc in corpus Scripturae non admittit nisi epistulas Pauli et evangelium Lucae, discipuli Pauli, licet mutilatum et alteratum (cf. Adv. haer. 1, 27, 2; *K* 118; 3, 11, 7; *K* 127).

Scholion 2. De voce apostoli.

278. Quaestio illa, undenam sit usus vocis *apostoli,* quem in fontibus christianis observamus, sane non facile solvitur; sensus enim vocis ἀπόστολος ut *legati* ante documenta christiana vix umquam invenitur.

1. In *graecitate classica* occurrunt significationes sequentes: adiectivum ἀπόστολον e. g. πλοῖον, i. e. navigium dimissorium, quod a praefecto classium huc illucve dirigitur, ut nuntios et mandata eius aliis deferat. Substantivum ἀπόστολος designat vel apparatum classis vel expeditionem navalem vel etiam imperatorem et ducem, qui expeditioni praeficitur; dein litteras dimissorias (e. g. apud *Flavium Ios.* Ant. 17, 11, 1). Semel invenitur sensus „legati“, et quidem apud *Herodotum* (hist. 1, 21), qui scripsit ante annum 430 a. Chr. (Cf. *H. Stephani* Thesaurus graecae linguae).

2. In *papyris* significat (*F. Preisigke,* Fachwörter des öffentlichen Verwaltungsdienstes Ägyptens, 1915) ἀποστόλιον vectigal vel tributum, quod pendebatur militibus praesidii gratia ab itinerantibus (cf. *Dittenberger,* Orientis graeci inscriptiones selectae 674).

Ἀπόστολος sunt litterae dimissoriae. — Persona aliqua missa seu legatus vocatur ἀποσταλείς vel ἀπεσταλμένος (cf. ἀποστολεῖς, munus scilicet aliquod extraordinarium Atheniensium, quod invigilare debuit dimissioni [ἀπόστολος] classis: *Pauly-Wissowa*, Real-Encyclopädie II 3 182).

3. In *Versione alexandrina* V^{is} T^{i} invenitur usus hic:

Ἀποστολή adhibetur sensu vario, vel „missionis" seu *doni missivi:* 3 Reg. 4, 34 (*Vg* 9, 16) Pharao Aegyptii dedit Salomoni filiam in uxorem cum dotibus (ἀποστολαί); cf. 1 Mach. 2, 18; 2 Mach. 3, 2, — vel dimissionis seu *liberationis:* Deut. 22, 7 praecipitur, ut, si quis invenerit nidum avium, abire patiatur avem matrem (ἀποστολή); Eccli. 8, 8 agit de dimissione (ἀποστολή) militis in die belli; — vel emissionis, scilicet *plagae* a Deo immissae: Ps. 77 (78) 49; Ier. 39, 36 (*Vg* 32, 36); Bar. 2, 25. Cant. 4, 13 „Emissiones (surculi ἀποσταλαί) tuae paradisus. . ."

Apostolus (ἀπόστολος) semel occurrit sensu *legati,* 3 Reg. 14, 6: Ahias propheta uxori Ieroboam, consulturae super sortem filii sui aegrotantis, „Ingredere (ait) uxor Ieroboam! Quare aliam te esse simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius (καὶ ἐγώ εἰμι ἀπόστολος πρός σε σκληρός, hebraice שָׁלִיחַ). Addi potest ex versione Symmachi Is. 18, 2 (*Vg* angeli).

279. Ex quo conspectu sequitur rarissime vocem apostoli sensu legati adhiberi in documentis temporis prioris; numquam inveniri in libris cum N° T° coaetaneis.

Neque *Flavius Iosephus* Ant. 17, 11, 1 utitur voce apostoli sensu christiano legati, sicut contendit *Harnack* (Die Mission I 4 340, nota 1) scilicet Iosephum vocare Varum, ducem alicuius legationis iudaicae Romam profecturae, eius *apostolum;* eum secutus est *Juster,* Les juifs dans l'empire Romain I 388, nota 7, qui in hac re nimis fidit antecessori. Varus enim est legatus Syriae, qui anno 4 a. Chr., Herode mortuo, suppressit Iudaeorum rebellionem et dein rebus feliciter peractis Antiochiam revertitur. Cum autem Archelaus Romam peteret, ut suam tueretur in regno patris successionem, Iudaei contra eum legationem eo miserunt, et quidem permittente Varo hanc missionem (vel etiam cum litteris dimissoriis Vari? Οὐάρου τὸν ἀπόστολον αὐτῶν τῷ ἔθνει ἐπιχωρηκότος). Ergo de ‚legato' aliquo Varo non est sermo.

Quae cum ita sint, iure quaeritur, *undenam* hic *usus christianus.* Et alii quidem opinantur vocem apostoli *apud Iudaeos* in usu fuisse, versionem videlicet aramaicae vocis שָׁלִיחַ, itaque a christianis transsumptam esse; quae sententia, cum fulciatur usu versionis alexandrinae, improbabilis dici nequit. Quodsi quis, provocans ad silentium fontium omnium praeter christianos atque ad usum diversum nominis in Aegypto finitima, contendat apostolum esse

originis *christianae,* cuius radix forte sit 3 Reg. 14, 6, difficulter refutabitur; plura enim nomina vel nova vel nove a christianis adhibentur. Fautores autem sententiae prioris plurimi, etiam ulterius procedentes, probare sibi videntur non solam vocem sed etiam *ipsum institutum* apostolatus tempore apostolorum et Christi iam inter Iudaeos exstitisse ideoque ab eis adoptatum esse. Hinc iam de quaestione apostolatus iudaici.

Schol. 3. De apostolatu iudaico.

In hac inquisitione ita, si placet, procedimus, ut prius videamus testimonia illa, quae agunt de apostolatu iudaico post eversionem Hierosolymorum (anno 70); deinde quaeramus, num antea iam similis institutio in religione iudaica viguerit atque nomen apostolatus gesserit. Inde scilicet erui poterit, num apostolatus christianus derivari possit vel debeat a iudaico.

1. De apostolatu iudaico post annum 70.

a) De patriarcha iudaico.

280. Semper quidem coniunctio aliqua inter Iudaeos etiam dispersos exsistebat, neque ea sola religiosa et nationalis, sed etiam aliquatenus politica, aliqualis scilicet dependentia omnium Iudaeorum ab ethnarcha iudaico. Et hanc quidem ipsi Romani agnoverunt tempore Machabaeorum, forte etiam Idumaeorum. Deleta autem Urbe sancta simul centrum illud politicum penitus exstingui voluerunt. Postea tamen iterum dux aliquis et caput totius religionis et, cum religio fuerit nationalis, etiam populi apparet, consentientibus Romanis, destitutus quidem potestate omni politica et territoriali. Nominabatur vel ethnarcha vel saepius *patriarcha* (πατριᾶς ἄρχων, hebraice nassi).

De *indole* et *potestate* huius patriarchae haec fere constant: Destructo templo et exstincto summo sacerdotio gubernatio populi transiit ad rabbinos (pharisaeos), e quibus nimirum unus, qui ad instar veteris ethnarchae (summi sacerdotis) idem nomen accepit, populo toti praeerat. Sicut porro summum sacerdotium hereditarium erat, ita etiam patriarchatus membris *unius familiae Hillel* videtur reservatus fuisse. Potestatem eius *Origenes*[17] describit quasi regiam, ita ut ipse sententiam etiam mortis tulerit. Erat igitur potestas *monarchica,* licet restricta et per Romanos, qui eum nominant vel confirmant certisque iuribus et privilegiis instruunt (e. g. civitate romana, appellatione *viri clarissimi* vel *illustris*), et rerum natura ipsa, quia ei deest indoles sacerdotalis.

Potestates illius igitur sunt fere hae: Est *tribunal supremum religionis* iudaicae vel Iudaeorum in rebus religiosis, in quaestio-

nibus doctrinalibus et practicis. Omnes dein *praepositi coetuum localium* (synagogarum) pendent ab ipso, quatenus nominantur, instituuntur, munere destituuntur a patriarcha. Tandem habet *ius ad „aurum coronarium"* quod vocatur, i. e. tributum annuum fixum, quod componitur decimis et primitiis (ἀπαρχαί), determinatur et imponitur a patriarcha, impenditur ad sustentandum patriarcham eiusque adiutores[18]. Inter quos specialis dignitatis sunt qui vocantur „apostoli". De his iam agendum erit.

b) De apostolis iudaicis.

281. Patriarcha indigebat, ut suo munere rite fungi posset, adiutorum, imprimis ad fovendum commercium cum singulis synagogis, ad invigilandum earum praepositis (archisynagogis), ad colligendum aurum coronarium. His iam finibus inservierunt *apostoli* iudaici. Erant igitur patriarchae quasi senatus et consilium, imprimis autem, sicut nomen indicat, eius legati (ἀπόστολοι); hinc munus eorum vocatur ἀποστολή. Huius apostolatus *officia* enumerantur a fontibus haec: 1) deferre *litteras* encyclicas patriarcharum (*Iustinus,* Dial. 17 108 117; *Eusebius* in Is. 18, 1; *Macarius Magnes* 3, 22 29; *Hieronymus* in Gal. 1, 1; *Epiphanius,* Haer. 30, 11); 2) *invigilare* synagogis earumque vitae religiosae, corrigere praepositos malos (*Epiphanius* l. c.); 3) *colligere aurum coronarium* (idem l. c.; *Codex Theodosianus* 16, 8, 14 17). Quam functionem fuisse vel principalem vel inter principales concludere licebit ex sensu vocis ἀποστολή, quae aliquando ipsum tributum designat.

De *tempore* si quaeratur, quo patriarchatus et apostolatus iudaicus introductus sit, certum responsum dari nequit. Destructio nempe Urbis non est nisi terminus post quem; prima autem testimonia historica sunt ex saeculo III (pro patriarchatu) vel IV (pro apostolatu), nisi quis testimonium Iustini velit interpretari de apostolis iudaicis, cum tamen Iustinus hoc nomen non adhibeat.

282. *Textus* ipsi, qui in quaestionem veniunt, hic subiungantur: *Iustinus* in Dialogo 17: „. . . non modo (vos Iudaei) paenitentiam male factorum non egistis, sed viros delectos tunc Hierosolymis in universum orbem terrarum misistis, dicentes haeresim christianam impiam prodiisse, atque ea spargentes, quae in nos ab omnibus, qui nos ignorant, dicuntur. . . ." — 108 (iisdem fere verbis ac c. 17); „. . . viros delectos in universum orbem terrarum misistis, qui praedicarent impiam quandam et exlegem sectam a plano quodam Iesu Galilaeo excitatam esse . . .;" — 117: „. . . cuius (Christi) nomen ut profanaretur per omnem terram et blasphemiis appeteretur, summi sacerdotes populi vestri et magistri perfecerunt. . . ." — Eius

igitur testimonium respicit tempus ante eversionem Urbis, non utitur voce apostoli, neque munus aliquod videtur indicare.

Eusebius (in Is. 18, 1; *MSG* 24, 212/214): „Unde factum est, ut omnes ubique Iudaei pariter ex uno consensu christianae doctrinae contradicerent? In veterum scriptis reperimus hierosolymitanos iudaicae gentis sacerdotes et seniores litteras in omnes gentes misisse ad omnes ubique Iudaeos, quo Christi doctrinam traducerent ut novam ac Deo inimicam sectam, ac epistulis monuisse, ut ne illam reciperent. . . ." Isaiam praedixisse „malitiae incolarum Iudaeae sonitum . . . (ultra extrema terrae) pervenisse, apostolosque eorum epistulas biblinas deferentes. . . . Apostolos vero etiam nunc Iudaei nuncupare solent eos, qui circulares principum suorum litteras circumquaque deportant." Prior pars desumpta est ex Iustino; altera illud dumtaxat testatur tunc temporis, saeculo igitur IV Iudaeos habuisse apostolos proprios. —

Macarius Magnes (3, 22 29): „Paulus (2 Cor. 11, 13) non refutat pseudapostolos, qui cum Petro erant, sed missos a Iudaeis in totum orbem terrarum viros, qui epistulas circulares circumferunt; quos missos vocare solent apostolos." [19]

Hieronymus (in Gal. 1, 1, *MSL* 26, 311): „Usque hodie a patriarchis Iudaeorum apostolos mitti. . . . Apostolus autem, hoc est missus, Hebraeorum proprium vocabulum est, quod Silas quoque sonat, cui a mittendo missi nomen impositum est."

Iulianus Apostata in epistula 25 affirmat Iudaeos emissarios suos vocare apostolos (ed. *Hertlin* 512 sqq.).

Epiphanius plurima habet de condicione apostolorum iudaicorum. Tempore scilicet Constantini Magni vixisse Iosephum, quondam apostolum iudaicum, postea vero ad religionem christianam conversum. „Assident, (ita Epiphanius, qui haec ab ipso Iosepho se accepisse dicit) hi (apostoli) patriarchae et cum eo saepius diu noctuque versantur, quod eidem a consiliis sint ac de iis referant, quae ad Legem pertinere videntur" (Haer. 30, 4; *MSG* 41, 410 sq.; *CB* Epiphanius [ed. *K. Holl*] 338). Narrat deinde Epiphanius baptismum patriarchae Ellel, quem ei administraverit episcopus vicinus tiberiensis, arcessitus per Iosephum. Is interim, a patriarcha Iuda „apostolatus — dignitatis id nomen est — honore et commodis" exornatus (Haer. 30, 11; *MSG* 424 sqq., *CB* l. c. 346 sqq.) in Ciciliam proficiscitur (ἀποστέλλεται). „Quo cum accessisset, unoquoque ex oppido decumas ac primitias a provincialibus Iudaeis exigebat." Insuper vero munere suo fungens „summam prae se gravitatem atque in constituenda disciplina severitatem ferebat . . . ac plerosque synagogis praefectos et sacerdotes ac presbyteros et azanitas, quo nomine diaconos aut ministros appellant, homines improbos in ordinem redegerat ac dignitate privarat. . . ." Unde multorum odia, exploratio sedula, quid ageret. Et cum Iudaei comperissent Iosephum legere N^{um} T^{um}, eum gravissime persequuntur, donec, liberatus, aquis lotus baptismalibus religioni christianae sese addixerit.

E *Codice Theodosiano* huc spectat prohibitio lata die 11 Aprilis anni 399 (Cod. Theod. 16, 8, 14, ed. *Mommsen* I 2 890): „Superstitionis indignae

est, ut archisynagogi sive presbyteri Iudaeorum vel quos ipsi apostolos vocant, qui ad exigendum aurum adque argentum a patriarcha certo tempore diriguntur, a singulis synagogis exactam summam adque conceptam ad eundem reportent." Quae tamen iterum sublata est anno 404 25 Iulii (16, 8, 17, ed. *Mommsen* I 2 891): „Verum nunc amota prima iussione secundum veterum principum statuta privilegia cunctos scire volumus Iudaeis mittendi copiam a nostra clementia esse concessam." — Ita sub imperatoribus Arcadio (395—408) et Honorio (395—423).

Testimonia ulteriora adiungere iam non videtur esse necessarium. Quid autem de testimoniis prioribus iam videamus.

2. De apostolatu iudaico ante annum 70.

283. De exsistentia apostolatus iudaici ante annum 70 sunt *duae sententiae*. *Seufert* (Der Ursprung und die Bedeutung des Apostolats 14 sqq.), *v. Harnack* (Die Mission I⁴ 340 sqq.), alii contendunt iam ante eversionem Urbis fuisse et viguisse apostolatum iudaicum; Harnack insuper asserit christianos hanc institutionem a Iudaeis transsumpsisse; similiter *Schütz* (Apostel und Jünger 80 sqq.). Alii, etiam liberales, hoc negant, e. g. *Monnier* (La notion de l'apostolat 10 sqq.). *Juster* (Les juifs dans l'empire Romain I 388, nota 7) consentit cum *Harnack* et opinatur de *nomine* apostoli quaeri posse; hoc autem esse originis iudaicae.

Testimonia sunt haec:

a) *„Comites sacri"* (ἱεροπόμποι) solebant quotannis tributum annuum Iudaeis solvendum pro templo hierosolymitano (Ex. 30, 12 sq. Neh. 10, 32; didrachmum: Matth. 17, 23; cf. *Ios.* Ant. 18, 9, 1; Bell. Iud. 7, 6, 6; Mischna: schekalim) simul cum aliis donis (ἱερὰ χρήματα) transferre Hierosolyma (cf. *Tacitus,* Hist. 5, 5). Hoc quidem tributum eiusque transmissionem Romani propriis sanxerunt legibus; attamen cum auri sacra fames plurima provocaret pericula, hinc e singulis civitatibus, in quibus stipes colligebantur, comitatus sat numerosi praesidii gratia, viri scilicet principales et nobiliores, deferebant thesauros suos in Urbem, aliquando ad plura milia hominum. Hi legati, non stabilis muneris sed honorarii, non auctoritatis centralis sed singulorum coetuum localium, vocabantur non apostoli sed hieropompi (ἱεροπόμποι; cf. *Philo,* Legatio ad Caium 31 40). Ergo nil commune habent cum apostolatu temporis posterioris.

b) Simile quid dicendum erit de *„legato synagogae"* (שְׁלִיחַ צִבּוּר). In conventu nimirum synagogali quilibet ex iis qui assistebant potuit nomine communitatis recitare orationem (*E. Schürer,* Gesch. des jüd. Volkes II⁴ 515).

c) *Textus* denique, qui ostendant hunc apostolatum viguisse, afferuntur hi: Ex V° T° (*Schütz* 79): Esth. 9, 20 sqq.; 2 Mach.

1, 1 sqq.; 2, 16 sqq., in quibus sermo est de epistulis quibusdam circularibus, quae invitant ad certa festa celebranda. — Ex N° T° (*v. Harnack,* Mission I [4]342).: 2 Cor. 3, 1 (Paulus non indiget epistulis commendaticiis); 8, 23 („apostoli ecclesiarum", qui ad instar ἱεροπόμπων mandato Pauli deferant collectam stipem Hierosolyma); Gal. 2, 10 (Paulus acceptat obligationem curam gerendi pauperum ecclesiae hierosolymitanae); 5, 11 („ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc praedico . . ." ergone Paulus aliquando apostolus iudaicus?); Phil. 2, 25 (Epaphroditus vocatur „apostolus" ecclesiae Philippensium relate ad Paulum); Act. 9, 2; 22, 5 (Paulus petit et accipit epistulas a summo sacerdote contra christianos damascenos); 28, 21 (Iudaei romani Paulo: „Nos [aiunt] neque litteras accepimus de te a Iudaea, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit aut locutus est quid de te malum".)

Quibus accedit testimonium *Iustini* supra allatum, quod agit de auctoritate hierosolymitana.

At haec testimonia *rem non evincunt. Legati* etenim synagogae sive tributum deferentes sive preces recitantes non sunt apostoli sensu temporis posterioris. *Epistulae* deinde circulares, si quid ostendunt, potius indicare videntur defuisse munus legatorum. Manent tandem textus, in quibus vel occurrit *vox apostoli* (2 Cor. 8, 23. Phil. 2, 25); qui quidem forte probent usum huius vocis inter christianos fuisse familiarem, sed de munere apostolatus iudaici nil plane dicunt. Iustini denique verba, licet affirment emissarios Hierosolymis exiisse, eatenus tamen deficiunt, quatenus neque munus aliquod probant neque nomen apostolatus alioquin Iustino usitatum adhibent.

Quae cum ita sint, interim de exsistentia apostolatus iudaici ante annum 70 *dubitare* licebit, praesertim cum testimonia positiva saeculo demum III et IV appareant.

3. De relatione inter apostolatum christianum et iudaicum.

284. Apostolatus iudaicus, *etiamsi* christiano fuisset *exemplo,* tamen non obstaret veritati historicae electionis Duodecim eorumque missionis et apostolatus. Hoc quidem sat evidens videtur, attamen diserte iterum dicatur.

Apostolatus dein iudaicus, *si exstiterit* ante annum 70, de facto *non erat exemplo* christiano: essentialiter enim *differunt* inter se et constitutione et fine. Et *constitutione* quidem, quia apostolatus iudaicus erat senatus patriarchae, auctoritatis subordinatae; apostoli autem christiani ipsa auctoritas summa, includens ut gradum supremum primatum. *Finis* autem apostolorum iudaicorum primarius erat collectio tributi; hinc nomen muneris et

ipsius tributi erat idem: ἀποστολή. Neque apostoli iudaici mittebantur, ut praedicarent et promoverent religionem mosaicam, sed ut eam dumtaxat conservarent et dirigerent. Denique *origo* apostolatus iudaici non est divina, per legatum scilicet Dei eiusque Filium, sed humana, sicut ipse patriarchatus, cui inserviebat[20].

Hinc intellegitur, cur scriptores sacri christiani non norint nisi apostolos christianos, atque usu suo exclusivo indicare videantur alium tunc temporis apostolatum non exstitisse. Haec iam eadem ratio forte suadet, ut potius praeferatur sententia neque *nomen* apostoli fuisse in usu nisi inter christianos. Origo licet fuerit versio alexandrina V^{is} T^{i} (3 Reg. 14, 6), usus tamen ante et extra religionem christianam videtur fuisse vel rarissimus vel nullus. Sed haec salvo meliore iudicio.

Schol. 4. De relatione inter Christum et apostolatum.

285. *R. v. Nostitz-Rieneck* praeclare descripsit (Stimmen aus Maria-Laach 60 [1901] 121 sqq. 381 sqq.; 61 [1901] 372 sqq.) relationem inter Christum et apostolatum. Christus nimirum fundavit Ecclesiam secundum suam propriam intentionem et voluntatem, indens ei et formas essentiales constitutionis et virtutem vitae perennis. Ecclesia deinceps secundum leges ipsi a Christo inditas sese evolvit crevitque in extensionem universalem, quam auctor viderat atque in parabolis suis descripserat. Quae vicissim est eximia quaedam „ostensio Spiritus et virtutis“ (ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως, 1 Cor. 2, 4); et Spiritus quidem, quia verba Christi sunt vaticinia, quae eventus postea veridica exhibuit; virtutis autem, quia eadem sunt verba efficaciae absolutae, mandata etenim, quae sibi subdunt generationes futuras omnes ipsamque voluntatem liberam hominum (l. c. 60, 123).

Ipse enim apostolatus, cui Iesus Christus Ecclesiam suam inter homines plantandam, propagandam, fovendam commisit, includit *cooperationem liberam hominum.* Neque putandum est assistentiam Christi Ecclesiae promissam cogere homines, vel eandem esse gratiam, quae tollat eorum libertatem. E contra, apostolatus est quasi *perennis quaedam invitatio et vocatio* Christi: „Sequere me!“, quam unusquisque declinare potest; immo etiam militiam Christi susceptam deserere atque adeo iuramenti et sacramenti immemor prodere potest. Ita factum est tempore Christi, ita teste historia omnibus saeculis. Neque omnes, qui Christo fidem servant, vocationi tam sublimi correspondent: quanta fragilitas, tepiditas, pusillanimitas! Brevi: cooperatio humana — apostolatus — est fundamentum undequaque labile ac *medium*

natura sua minime aptum ad obtinendum finem absolute necessarium, salutem nempe hominum.

Nihilominus apostolatus vivit, viget, vincit, *spiritu et virtute Christi,* qui praevidit semper futuros esse homines, qui se suaque devoverent servitio Christi suaeque Ecclesiae, viros scilicet vel prae ceteris eminentes atque gloria sanctitatis insignitos, vel alios innumeros, quorum memoriam solus liber vitae interim tuetur. Qui omnes vineam Dei plantabunt et irrigabunt; incrementum autem dat ipse Deus (1 Cor. 3, 7), Christus suis assistens (l. c. 60, 391 sqq.).

Itaque in apostolatu perenni et per apostolatum eiusque adiutores conservatur et aedificatur perpetuo organismus ille universalis, Ecclesia inquam Christi (61, 386 sqq.), unitas fovetur perfecta inter tot homines diversissimos, stabilitas et firmitas per homines variabiles, mortales . . .; tales demum ac tantae discrepantiae, oppositiones, contradictiones, putaveris, quae mediis humanis nullatenus tolli possunt, virtute divina Christi consonant in cooperatione et caritate. Eo clarius sane elucet Christi, auctoris apostolatus, potestas, maiestas atque vere divina plenitudo (Io. 1, 16. Col. 2, 9. Eph. 4, 13), qui in hac ipsa institutione divino-humana Ecclesiae suae dedit sigillum divinae originis vitaeque divinae.

286. NOTAE. — **1** De discipulis rabbinorum cf. *I. Felten,* Neutest. Zeitgesch. I (1910) 337 sqq.; *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes II^4 377 384 sqq. 424 sqq. 493 sqq. — **2** Reliqui libri N^i T^i non habent vocem discipuli exceptis Actibus, qui saepissime hoc nomen adhibent ad designandos Christi asseclas (Christianos) inde a 6, 1 usque ad 21, 16. Mentione speciali digna est expressio discipula (9, 36: μαθήτρια). Huc spectant etiam loci illi, in quibus est sermo de „via" (ὁδός), qua incedunt christiani: 9, 2; 18, 25 sq.; 19, 9 23; 22, 4; 24, 14 22. — **3** *C. Weizsäcker*,* Das apostol. Zeitalter der christl. Kirche (^{3}Tübingen u. Leipzig 1902) 349 584; *H. Monnier*,* La notion de l'apostolat, des origines a Iréné (Paris 1903) 100 sqq.; *A. Harnack*,* Die Mission I^4 332 sq.; *E. v. Dobschütz*,* Das Kerygma Petri kritisch untersucht (Texte u. Unters. XI [1893] 54). **4** *I. Weiss*,* Das Urchristentum (Götting. 1913/17) 33 sqq.; *W. Weber*,* Die neutest. Apostellisten (Zeitschr. für wissensch. Theol. LIV [1912] 8 sqq.); *W. Seufert*,* Der Ursprung und die Bedeutung des Apostolates in der christl. Kirche der ersten zwei Jahrhunderte, Leiden 1887; *R. Schütz*,* Apostel und Jünger. Eine quellenkritische und geschichtl. Untersuchung über die Entstehung des Christentums (Gießen 1921) 71 sqq. — **5** *R. Schütz** censet apostolatum et numerum duodenarium esse partem evolutionis dogmaticae primitivae (Gemeindetheologie), iamiam efformatae, quando Paulus, tribus annis post suam conversionem, Hierosolyma ascenderit (Gal. 1, 17): „Aber diese Zeugnisse (Pauli) schließen nicht aus, daß die 12 Apostel ein Produkt der jerusalemischen Gemeinde waren" (p. 74). Visionibus scilicet Christi exaltati discipulos vocatos esse ad apostolatum, sicut ipsum quoque Paulum; „erst nachdem diese Apostelberufung erfolgt war, sind die 12 Apostel zu Begleitern Jesu gemacht worden, also nach seinem Tode. Das geschichtliche Kollegium der 12 kann zeitlich nicht viel früher entstanden sein, als Paulus zum Apostel

wurde" (p. 75). — **6** *I. Knabenbauer,* Comm. in Evang. sec. Matth. I[3] 433 sq.; *Th. Zahn*,* Das Evangelium des Matth. ([2] Leipzig 1905) 390 sqq. — **7** La notion de l'apostolat 101 sq.; nomen *Lebbaeus* transcriptum forte est ex לִבִּי (*Zorell,* LG s. v. Λεββαῖος), quod derivatur ex hebraico לֵב; *Thaddaeus* vero ex aramaico תַּד „parait signifier ‚enfant chéri' ou quelque chose d'approchant" (*Monnier** l. c. 102). Fortasse autem Thaddaeus est forma hypocoristica nominis Theudas, Theodoros (*Zorell,* LG s. v. Θαδδαῖος). — Aliae identificationes sunt hae: Iudas Iacobi = Thomas; Nathanael = Matthaeus. Ita *A. Resch*,* Außercanonische Paralleltexte zu den Evangelien. III.: Paralleltexte zu Lucas (Texte u. Unters. X, 3. Heft [1895], 814 sqq.), contra quem *E. Haupt*,* Zum Verständnis des Apostolats im N. T. (1895) 5 sqq., et *H. Monnier** l. c. — **8** *Forma litteraria* catalogorum speciali consideratione digna est, scilicet (1) *addita* quaedam, quae certis nominibus adiunguntur, e. g. filiatio (Zebedaei, Alphaei), patriae (Iscariotes), cognomen vel a Christo impositum (Petrus, Boanerges) vel aliunde acceptum (Matthaeus publicanus, Simon zelotes); — (2) *particulae,* quibus singula membra inter se uniuntur. Matthaeus etenim generatim bina nomina coniungit particula *„et",* excepta prima quaternione, in qua duo paria fratrum iterum per *„et"* inter se copulantur. Similiter catalogus Act. quattuor prima nomina unit particula *„et"* (licet alio ordine ac Matth.); reliqua bina inter se coniunguntur, ita quidem ut ultimum nomen (deleto Iscariote) cum praecedentibus uniatur. Marc. et Luc. omnia nomina pari modo inter se uniunt particula *„et".* — (3) Ex hisce catalogis Act. praebent *formam brevissimam;* sola scilicet nomina, quia alia iam in *EvLuc.* addita fuerant; Marc. prae ceteris narrat impositionem nominis Boanerges. — Manent *quaestiones* solvendae imprimis hae: Quaenam est *relatio catalogorum inter se?* Undenam similitudo Act. cum Matth. et Marc., discrepantiae a Luc.? — Porro: exsistitne *archetypus* quidam communis? Certe huic sententiae favent quaterniones omnium serierum et identitas nominum. Hinc opinio *W. Weber** (l. c. not. 2): duas fuisse formas, alteram „Simonis" (Matth., Luc.), alteram „Petri" (Marc., Act.), interim non videtur probabilis. — **9** *O. Bardenhewer,* Gesch. der altkirchl. Literatur I[2] (1913) 90 sqq.; *R. Knopf*,* Die apostol. Väter. I. Die Lehre der 12 Apostel (Handbuch zum N. T., Ergänzungsband, 1920), 3 sq. — **10** Textus collegit *E. Klostermann** in Kleine Texte (ed. *Lietzmann**) 3. Heft (1908), 15. — **11** Cf. restitutionem textus Marcionis, quam fecit *Th. Zahn*,* Gesch. des neutest. Kanons II 455 sqq.; *A. Harnack*,* Marcion: Das Evangelium vom fremden Gott (Texte u. Unters. XLV [1921] 172*). — **12** Cf. *O. Bardenhewer* l. c. 498 sqq.; *W. Bauer** in *E. Hennecke,* Neutestamentl. Apokryphen ([2] 1924) 111 sqq. — **13** *K. Schmidt*,* Gespräche Jesu mit seinen Jüngern nach der Auferstehung. Ein kath.-apost. Sendschreiben des 2. Jahrhunderts (Texte u. Unters. XLIII [1919]); *Th. Schermann,* Propheten- u. Apostellegenden nebst Jüngerkatalogen des Dorotheus und verwandter Texte (Texte u. Unters. XXXI, 3. Heft [1907]: „Name und Reihenfolge der 12 Apostel", 198 sqq.); *F. Haase,* Apostel und Evangelisten in den orientalischen Überlieferungen (Neutest. Abhandl. IX, 1./3. Heft, Münster 1922. — Series testium, qui supra (n. 267) allati sunt, augeri atque compleri potest, sicut Deo favente alio loco exponam. — De *Cepha,* discipulo Domini, cf. *Ch. Pesch* in Zeitschr. für kath. Theol. VII (1883) 456 sqq.; *V. Weber* in Salzb. Kirchenzeitung 1918, nr. 18. — De testimonio Epiphanii *A. Merk* in Zeitschr. für kath. Theol. XLVII (1923) 320 sq. — **14** De vario usu vocis *apostoli* in primis fontibus cf. *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche 336 sqq.; *Batiffol-Seppelt,* Urkirche u. Katholizismus 41 sqq. — **15** „Es hat sich also ergeben, daß beide Evangelisten (Matth. und Marc.) in den Rahmen der öffentlichen Verkündigung Jesu nichts von der Heidenmission

eingetragen haben außer in der eschatologischen Rede und bei der Salbungsgeschichte. . . . Um so kräftiger hebt sich nun das Wort des Auferstandenen Matth. 28, 18 ff. von dem Vorhergehenden ab . . .“ (*A. v. Harnack**, Die Mission I⁴ 44 sq.). „Es ergibt sich aus diesem Sachverhalt, daß ein solcher Befehl überhaupt nicht von Jesus herrührt, daß er also aus den geschichtlichen Entwicklungen der Folgezeit konstruiert und sachgemäß erst dem Auferstandenen in den Mund gelegt worden ist. Paulus weiß auch von einem solchen allgemeinen Befehl nichts“ (ibid. p. 46). In nota dein 2 addit: „Im übrigen es ist unmöglich und völlig zwecklos, mit denen zu streiten, die in der Ablehnung der Überlieferung, Jesus habe nach seinem Tode gegessen und getrunken und seinen Jüngern Lehrvorträge gehalten, eine unstatthafte ‚Voreingenommenheit‘ sehen.“ - **16** De variis formis pericopae Matth. 3, 13—15 in versionibus latinis cf. *I. H. Vogels,* Die Apostelliste bei Markus in der altlateinischen Übersetzung (Bibl. Zeitschr. XVI [1922] 66—76). — **17** Epistula ad Africanum § 14: „Certe nunc, cum Iudaei Romanis imperitantibus didrachma pendunt, quantam concedente Caesare in ipsos auctoritatem habeat *ethnarcha,* ut nihil differat ab eo, qui regnum obtineat in gentem (ὡς μηδὲν διαφέρειν βασιλεύοντος τοῦ ἔθνους), scimus, qui simus experti“ (*MSG* XI 82 sq.). Alio loco (De princ. 4, 3; *MSG* XI 347; *CB* Origenes' Werke V [ed. *P. Koetschau*] 297) vocat ethnarcham *patriarcham.* — Eodem nomine utitur *Eusebius Caesareensis* in Comm. in Is. 3, 3 sq. (*MSG* XXIV 110): „Quis ergo, conspectis iis, qui apud Iudaeos *patriarchae* vocantur, non vere pueros . . . nuncupat?“ — **18** De patriarcha iudaico cf. *J. Juster*,* Les juifs dans l'empire Romain I 391 sqq.; *idem,* De apostolatu iudaico I 388 sqq., cum bibliographia (388, nota 3); *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes III⁴ 120 sq. — **19** *A. v. Harnack*,* Porphyrius „Gegen die Christen“, 15 Bücher. Zeugnisse, Fragmente und Referate (Berlin 1916) 56. — **20** Cf. *Batiffol-Seppelt* l. c. 39 sqq.

De Pauli apostolatu.

287. Ex iis, quae de apostolatu Duodecim exposita sunt, constant haec: (1) Duodecim ab ipso Christo ex omnibus discipulis electos atque apostolos vocatos esse; (2) hunc apostolatum (hanc missionem seu legationem) esse missionem ipsius Christi et quoad originem, quatenus immediate ab ipso Christo procedit, et quoad obiectum, quatenus Christus suam propriam missionem Duodecim ut suis apostolis continuandam tradidit.

Iamvero *praeter Duodecim,* quos Christus tempore vitae ad hanc missionem vocavit, alii quoque in fontibus sacris vocantur apostoli, atque imprimis *Paulus,* qui inde ab initiis Ecclesiae duodecim apostolis omnino aequiparatur. Ideo necessarium videtur esse, ut, agentes de notione apostolatus, simul respiciamus apostolatum Pauli aliorumque, qui munere apostolico praediti dicuntur.

Methodice quidem haec inquisitio pertinet potius ad caput II huius tractatus, quod nempe agit de Ecclesiae constitutione tempore apostolico; propter rationem tamen indicatam, ut scilicet plena habeatur consideratio apostolatus, liceat eam hoc iam loco absolvere, saltem quod ad factum ipsum apostolatus eiusque indolem attinet. Fontes etiam sunt alii ac in ceteris assertionibus

huius capitis; nitemur enim non evangeliis, sed epistulis Pauli et Actibus apostolorum; haec tamen documenta non solum orta sunt iisdem decenniis atque evangelia synoptica (annis circiter 50 ad 70), sed etiam per Lucam, qui auctor est et tertii evangelii et Actuum simulque Pauli comes et discipulus, artissime cum iis cohaerent.

Inquisitionem iam nostram ita si placet absolvemus, ut (1) comparemus apostolatum Duodecim et Pauli, et quidem secundum Actus et epistulas Pauli, quippe quae de utroque agunt; et simul, quid dicendum sit de aliis, qui eodem nomine apostolatus insigniti sunt, breviter perstringamus. Dein vero (2) conceptum apostolatus ex his fontibus haustum componemus cum notione, quam exhibent evangelia.

ASSERTIO 10. Paulus eundem apostolatum accepit ac Duodecim.

288. 1. Assertio haec secundum ipsum tenorem suum est *comparativa;* comparat enim apostolatum Pauli cum apostolatu Duodecim et statuit eorum aequalitatem. Haec tamen *aequalitas* intellegitur *secundum essentiam apostolatus* (ut missionis Christi secundum originem et finem), non secundum modum; nam Christum *alio modo* Duodecim, alio modo Paulum ad apostolatum vocasse minime negari potest. Neque asseritur Paulum ut apostolum *intrasse in collegium Duodecim.* Supra iam monuimus non coincidere conceptum „esse unum e Duodecim" et „esse apostolum", licet tempore vitae Christi de facto soli Duodecim fuerint apostoli. Verum denique est Pauli apostolatum *ad gentes* potissimum dirigi ex positiva voluntate Christi; at *finis* et *obiectum* huius missionis erant eadem ac ceterorum apostolorum: continuare videlicet opus Christi. Ulterior quaedam huius relationis explicatio infra in Scholio (n. 310) additur.

Hinc nil mirum, quod *Pauli apostolatus* et quoad originem et quoad finem generalem et essentialem, quoad potestatem et dignitatem *a prima Ecclesia,* ab ipso Paulo et a Duodecim et a christianis censebatur *idem ac Duodecim,* et, si excipias Barnabam, *diversus* a munere aliorum, qui sive diserte apostoli in fontibus nominantur sive munus simile (praedicationis) exercent. Itaque ipsa iam prima Ecclesia modum loquendi duplicem distinguit, vocans aliquos apostolos *sensu* quodam *pleniore* et *strictiore,* alios sensu quodam *latiore* et *improprio.* Assertio igitur nostra etiam hac forma enuntiari potest: *Paulus est apostolus sensu stricto et technico.*

289. 2. *Fontes* tamen, quos interrogamus, suadent viam potius comparativam et relativam; et maxime quidem *epistulae ipsius*

Pauli. Nam Paulus in defendenda libertate christiana contra zelum importunum et devium iudaistarum, qui voluerunt christianis imponere iugum Veteris Legis, suam auctoritatem apostolicam debuit tueri et quidem ut aequalem dignitati apostolicae Duodecim. Ita videlicet adversarii Pauli: Paulus non est apostolus sicut Duodecim; ergo eius doctrina non est certa; est e contra penitus falsa, quia Duodecim contrarium docent.

Contra hos adversarios *Paulus* ita: Constat de meo apostolatu, et quidem vocatione immediata (per Iesum Christum facta), per testimonium et ipsius Christi et Dei (fructibus apostolatus, quos Deus per apostolum produxit quibusque apostolatum confirmat) et Duodecim, qui hoc sigillum Dei agnoverunt, immo diserte doctrinam Pauli de libertate christiana comprobarunt. Ita fere in epistula ad Galatas; similia vero in aliis epistulis, quibus suam auctoritatem affirmat et confirmat, scilicet in duabus epistulis ad Corinthios et in epistula ad Romanos. Atque has imprimis epistulas, quae ab omnibus ut genuinae agnoscuntur, ad argumentationem adhibebimus; alias rarius et magis confirmationis ac illustrationis gratia.

Actus iam apostolorum non apologetice apostolatum Pauli efferunt, sed thetice Paulum comparant et aequiparant cum apostolis duodecim. In *priore* enim libri *parte* Lucas describit collegium Duodecim eiusque suppletionem, electione nempe Matthiae loco proditoris Iudae, eius porro condicionem in Ecclesia primitiva. In *altera* vero *parte* Paulus, cuius vocatio inserta erat narrationi prioris partis, apostolus et nominatur et ut talis describitur, in omnibus aequalis ceteris apostolis. Ex quibus sequitur Lucam considerasse Paulum ut apostolum sensu pleno sicut Duodecim.

290. 3. Hanc nostram assertionem ab iisdem *negari* et *impugnari,* qui reiciunt omnem apostolatum, dici non oportet. Immo Pauli apostolatus, qui ab ipsis fontibus atque disertis Pauli verbis datus esse dicitur a Christo in *visione* aliqua (prope Damascum ipsi facta), non solum ipse reicitur, sed etiam rationem vel saltem ansam praebet criticis negandi veritatem historicam vocationis et electionis et missionis Duodecim, quippe quae a Paulo aequiparetur propriae missioni (1 Cor. 15, 8 sqq.). Visiones scilicet intelleguntur mere *subiectivae,* experientiae religiosae mere internae; excluduntur apparitiones reales; dicta et facta omnia Christo resuscitato adscripta in fontibus non esse nisi fictiones omni valore historico destitutas.

Et haec quidem *supposita naturalistica* sunt fundamenta sententiae scholae liberalis, cuius asseclae in explicando ipso apostolatu variis incedunt viis. Specimen aliquod, explicationem nempe, quam profert *v. Harnack,* supra (n. 270) indicavimus. — Apparitiones, quae in sacris fontibus narrantur, fuisse secundum consensum unanimem primae Ecclesiae *reales,*

factaque relata, imprimis sepulcri vacui, esse historica in tractatu ‚*De Christo legato Divino*' explicite probatur. Quam probationem hoc loco supponimus. Agemus igitur de variis relationibus, quibus in Actibus et in epistulis Pauli apparitio Christi narratur, sub hac tantummodo ratione, ut attendamus ad Pauli vocationem et missionem seu apostolatum.

4. *Modus procedendi* sequitur ipsos fontes. Et primum quidem inquiremus in Actus apostolorum, dein in testimonium ipsius Pauli, quod exhibet in suis epistulis.

I. De testimonio Actuum apostolorum.

Actus apostolorum qui vocantur eatenus iure hoc nomen gerunt, quatenus agunt de gestis et collegii Duodecim atque imprimis Petri, et Pauli cum Barnaba. Inde est quod lectori sit possibile comparare condicionem duodecim apostolorum cum condicione Pauli et Barnabae. Historica iam evolutio secum ferebat, quod Lucas primo de Duodecim, dein de Paulo ageret; nosque eundem ordinem sequemur.

1. Quid Actus de duodecim apostolis; de electione Matthiae.

291. Caput primum Actuum continet huius operis *exordium*, idque divisum in tres partes: (a) de *ratione duodecim apostolorum*, scilicet de eorum electione et missione (1, 1—11); (b) *enumerantur* Duodecim, qui distinguuntur ab aliis Christi asseclis, atque ab ipsius fratribus (1, 12—14); (c) *Matthias eligitur* in locum Iudae Iscariotae, ut collegium restituatur (1, 15—26).

a) *De ratione apostolatus.* — Postquam Lucas brevissime rationem prioris libri, tertii videlicet evangelii, dedit („quae coepit Iesus facere et docere") itaque se ut auctorem utriusque libri manifestavit, loquitur de instructione *„apostolorum quos elegerat"* (1, 2) per quadraginta dies, speciatim de promissione Spiritus Sancti (1, 5), de parusia, cuius diem absconditum esse dicit in scientia Patris (1, 6 sq.), denique de *missione Duodecim*, quae explicat nomen apostoli: „eritis mihi *testes* in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae" (1, 8). Ratio iam huius missionis sequentibus indicatur: Iesus Christus etenim ipse elevatus ascendit in caelum, reversurus aliquando in fine temporum (1, 9—11). Missio igitur Duodecim est vicaria ipsius Christi. Hierosolymis dein congregati in parte superiore domus cuiusdam („coenaculo" *Vg*) exspectant undecim, obsequentes Christi mandato (1, 4), simul cum mulieribus et Maria, matre Iesu, et cum eius fratribus (1, 14) promissionem Patris.

b) *Enumeratio undecim.* — Et hac quidem occasione Lucas enumerat undecim, nominatim omnes efferens, licet plurimi in

decursu narrationis non iam redeant. Aliam quippe undecim, aliam ceteri christiani atque ipsi fratres Iesu occupant positionem in Ecclesia, propter *relationes* speciales et *ad Christum* per electionem et *ad Ecclesiam* futuram per missionem seu apostolatum. Ex simili quadam ratione idem Lucas postea enumerat septemviros (6, 5), quia nimirum, ut postea dicendum erit, haec institutio arcte cohaeret cum praeparatione operis missionarii inter gentes. Catalogum ipsum iam exhibuimus supra (n. 262).

c) *De electione Matthiae.* — Haec pericopa duas habet partes. In priore refertur *sermo,* quo *Petrus* fratres congregatos — circiter centum et viginti — monet, ut aliquis eligatur in locum Iudae (1, 15—22); in altera deinde parte (1, 23—26) narratur ipsa *electio* Matthiae.

Petrus nimirum primo depingit munus et sortem Iudae. *Munus* scilicet, „sors ministerii huius", i. e. Duodecim, quibus Iudas per voluntatem Christi conumeratus erat, est *apostolatus* (1, 17 22 26). *Sors* autem Iudae proditoris, iam praedicta per prophetas, est poena divina (1, 16 sqq.). Idem autem Spiritus Sanctus, qui hanc poenam iam pridem indicaverat, insuper statuit: „. . . episcopatum eius accipiat alter!" Est ergo necesse ut *compleatur* collegium Duodecim simulque numerus eorum, quos ipse Christus voluit esse suos legatos „testes resurrectionis" (1, 22) sicut ceteri („nobiscum" 1, 22; cf. 1, 8: „eritis mihi testes!"). *Testem* autem Petrus postulat *qualificatum,* scilicet talem, qui ab initio vitae publicae Christi (a baptismate Ioannis) usque ad finem (ad ascensionem Domini) Christum comitatus sit tamquam discipulus sicut ipsi Duodecim (1, 21 sq.), qui ab initio cum Christo erant (cf. Io. 15, 26).

Electio Matthiae continet tria elementa: *praesentationem* duorum, in quibus haec condicio verificatur; *orationem* dein ad Deum, ut ipse eligat quem voluerit; denique *sortem* tamquam signum voluntatis divinae et adnumerationem Matthiae inter duodecim apostolos. „Statuerunt duos", ait Lucas, quos nempe invenerunt satisfacere condicionibus propositis. Neque vero nunc iam apostoli vel Petrus munus apostolicum alterutri tradunt; est enim munus divinum, vocatio immediate divina. Hinc orantes Deum, qui scrutatur intima hominis, precantur, ut ipse eligat eum, quem velit accipere „locum ministerii huius et apostolatus".

Cumque sors caderet super Matthiam, ipse intravit in collegium Duodecim et „annumeratus est cum undecim apostolis" (1, 26).

292. Quodsi quaeramus, *quidnam de apostolatu* eruendum sit ex hac narratione, haec forte enumerari possunt: Apostolatus est *munus* aliquod (sors = κλῆρος, ministerium = διακονία, episcopatus

= ἐπισκοπή, vox ipsa occurrit in versu 25: ἀποστολή), cuius *origo* est Deus vel per Christum immediate vocantem et eligentem (1, 2), vel per sortem voluntatem suam manifestans (1, 24); utroque loco eadem vox „eligendi" (ἐξελέξατο et ἐξελέξω) adhibetur. — *Finis* huius muneris est opus Christi continuandum, illud praecipue annuntiandum; hinc apostoli vocantur „testes" (μάρτυρες) Christi (1, 8 22), ut scilicet testentur non solam exsistentiam Christi, sed eius dicta et facta (1, 1), eius messianitatem et divinitatem. Hinc sunt testes resurrectionis Christi (1, 22). — *Quaeri* autem potest, quid de ulteriore condicione censendum sit, quae a Petro in electione completoria adiungitur, ut scilicet eligendus sit qui fuerit comes atque discipulus Christi inde a primordiis vitae Christi publicae. Estne *condicio* ad admissionem in *collegium* Duodecim an vero ad suscipiendum *munus apostolatus?* Dubium in eo fundatur, quod Matthias simul eligitur in collegium Duodecim et simul annumeratur apostolis.

2. Quidnam Actus de Paulo et Barnaba apostolis.

293. a) De *Barnabae* apostolatu. — Minus clare quam de apostolatu Pauli loquitur Lucas de apostolatu Barnabae; cum tamen Barnabam simul cum Paulo, hosque solos praeter Duodecim, vocet apostolos (Act. 14, 4 14), videtur eum considerare ut apostolum Paulo et Duodecim aequalem. Hinc iam breviter videamus, quidnam Actus de Barnaba apostolo [1].

[1] Barnabas est *cognomen,* ab apostolis duodecim Ioseph inditum, quod significat secundum Lucam „filium consolationis" (4, 36), forma aramaica בַּר נַחֲמָא; נַחֲמָא autem est „consolatio" et potest esse forma hypocoristica nominis Nehemias (נְחֶמְיָה; *Zorell LG*). Nomen itaque erat aptissimum, quo scilicet indicaretur et donum prophetiae (Act. 11, 24; 13, 1), quod secundum Paulum datur ad consolationem (1 Cor. 14, 3), et donum caritatis eximiae, quod exercebat erga pauperes hierosolymitanos (Act. 4, 36 sq.) et erga Saulum conversum ad fidem (9, 27) et erga Antiochenos (11, 23).

294. Ioseph Barnabas erat Iudaeus hellenista, oriundus ex insula Cypro, ex genere levitico (Act. 4, 36), sat dives, utpote non solum cognatus domui et familiae Ioannis Marci, cuius consobrinus fuit (Col. 4, 10), sed etiam ipse dono tradens agrum egenis fratribus (Act. 4, 37).

De *condicione* apostolica Barnabae ex Actibus haec fere constant: erat membrum eminens Ecclesiae primitivae; relate autem ad Paulum dici potest primo eius protector, dein socius et comes in apostolatu. Neque solum appellatio Barnabae hanc *eminentiam* probat, sed etiam eiusdem missio in ecclesiam recenter ortam

antiochenam. Cum enim per christianos dispersos verbum Domini Antiochiae etiam inter gentiles annuntiatum atque ab iis libenter receptum esset, ecclesia quae erat Hierosolymis *misit Barnabam Antiochiam,* quo scilicet unio statueretur et confirmaretur inter apostolos et christianos antiochenos. Barnabas igitur erat vir magnae auctoritatis, „vir bonus et plenus Spiritu Sancto et fide" (Act. 11, 24). Crescente dein numero fidelium Tarsum profectus *accersit Saulum,* quem olim ad apostolos adduxerat (9, 27), ut se adiuvaret in administranda ecclesia antiochena (11, 25). Una deinde docent et praedicant, una etiam deferunt eleemosynas ecclesiae antiochenae ad sublevandam egestatem et famem fratrum in Iudaea (11, 30; 12, 25), una demum aggrediuntur primum iter apostolicum (13, 1 sqq.). Tunc temporis quinque erant in ecclesia antiochena prophetae et doctores, inter quos primo loco Barnabas, ultimo loco enumeratur Saulus. Atque etiam in capitibus sequentibus Barnabas saepius ante Saulum-Paulum nominatur (11, 30; 12, 25; 13, 7; 14, 14; 15, 12 25), saepius post ipsum (13, 43 46 50; 15, 2 22 35); scilicet Paulus ut apostolus praecellit prae Barnaba.

Quaeri potest, quidnam significet *„segregatio in opus vocationis",* primi videlicet itineris apostolici (13, 2). Spiritus enim Sanctus iubet Barnabam et Saulum dimitti, ut possint vacare praedicationi inter gentes. „Tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos" (13, 3). Certe non agitur de vocatione prima neque de missione, qua illis munus apostolicum tunc demum delatum sit; nam uterque idem munus iam antea exercuit. Neque videtur assumendum impositione manuum illis munus vel ordinem traditum esse; tum quia hoc munere iam videntur fuisse initiati, tum quia ceteri λειτουργοῦντες (13, 2), Simon Niger et Lucius et Manahen, non maiore utebantur munere vel auctoritate vel dignitate, quas Barnabae et Paulo tribuere possent. Itaque hanc impositionem manuum consideramus tamquam signum caritatis fratribus exhibitum et invocationem gratiae Dei, cui „traditi sunt" (14, 26). Haec iam gratia, Spiritus nempe Sancti inspiratio (ἐκπεμφθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος 13, 4), deinceps regit vias et opera duorum apostolorum.

295. Hinc est quod *fructus* quoque uberrimi vestigia eorum sequuntur, fructus salutares, dona charismatica et miracula, organisatio novarum ecclesiarum pro iis, qui ex ethnicis ad Christum conversi sunt. Aliis verbis, *Barnabas et Paulus* a Luca *in omnibus aequales* describuntur *Duodecim;* ac proinde eodem etiam nomine insigniuntur: Act. 14, 4 vocantur „apostoli" (οἱ ἀπόστολοι), 14, 14 vero dicuntur „apostoli Barnabas et Paulus" (οἱ ἀπόστολοι Βαρνάβας καὶ Παῦλος). Accedit porro *agnitio* ex parte Duodecim. Cum enim propter quaestionem Legis mosaicae controversia orta esset in ecclesia antiochena aliisque, quarum membra partim saltem ex ethnicis conversa erant ad fidem, eaque conventui

apostolorum et presbyterorum Hierosolymis habito decidenda proponeretur (15, 2), praeter Petrum et Iacobum etiam Barnabas et Paulus disseruerunt in coetu fidelium, „narrantes, quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos“ (15, 12). Clarius hoc idem constat ex relatione Pauli in epistula ad Galatas (2, 1 sqq.), in qua Paulus testatur Petrum et Ioannem et Iacobum, columnas Ecclesiae, dexteram dedisse Paulo et Barnabae in signum agnitionis et unionis et conventionis, ut, sicut illi maxime inter Iudaeos, ita hi, Paulus nimirum et Barnabas, inter gentes evangelium praedicarent (2, 9). Altero etiam loco Paulus se ipse et Barnabam aequiparat „ceteris apostolis“ (1 Cor. 9, 5) simulque manifestat dissensionem istam, quae eos ad tempus separabat (Act. 15, 39), non fuisse perpetuam, sed mox cessisse amicitiae pristinae et caritati vere fraternae et apostolicae.

Quibus expositis de *apostolatu Barnabae* haec dici possunt: Barnabas et secundum Lucam et secundum Paulum *apostolus* fuisse videtur *sensu proprio et pleno,* aequiparatus et ipsi Paulo et Duodecim sicut Paulus; nam non solum vocatur apostolus, sed etiam opus apostolicum exercet cum Paulo, atque fructibus et signis ut apostolus declaratur. Ipsam quidem vocationem et missionem immediatam Barnabae fontes non referunt.

Sententiae de apostolatu Barnabae sunt variae. *Batiffol-Seppelt* (Urkirche und Katholizismus 42) contendit Barnabam esse apostolum eodem sensu ac Paulum; *H. Bruders* (Die Verfassung 26) e contra considerat eum ut apostolum sensu latiore; *A. v. Harnack* (Die Mission I⁴ 334) vult Barnabam et Silam esse apostolos sensu strictiore; aliter *C. Weizsäcker* (Das apostolische Zeitalter 586 sqq.).

296. b) De *Pauli* apostolatu. — Cum de *exercitio* huius apostolatus plura dicta sint in praecedenti inquisitione, quae de Barnaba agebat, hinc imprimis ad *vocationem* Pauli attendendum erit, num scilicet vocatus sit ad munus idem ac Duodecim.

Lucas de Paulo ipso atque de eius vita pauca praemittit; plura alia constant ex ipsius Pauli epistulis. Iudaeus hellenista sicut Barnabas, Tarsi Ciliciae natus (Act. 9, 11. 21, 39. 22, 3); ex tribu Beniamin ortus (Rom. 11, 1. Phil. 3, 5) et addictus sectae pharisaeorum (Act. 22, 3; 23, 6; 26, 5. Gal. 1, 14; 2, 15. [2 Cor. 11, 22.] Phil. 3, 5); educatus in schola Gamalielis (Act. 22, 3) Hierosolymis, ubi habebat cognatos (Act 23, 16), ex familia sat divite ut videtur, quoniam erat et civis tarsensis (Act. 21, 39) et romanus (Act. 16, 37 sqq.; 22, 25 sqq.; 23, 27; 25, 10 sqq.), tamen manuum suarum opere victum sibi quaerebat, exercens „artem scenofactoriam“ (Act. 18, 3), i. e. fabricator erat tentoriorum.

Ut pharisaeus atque amator traditionis paternae *christianos odio prosequebatur* nimio (Act. 8, 3; 9, 1. Gal. 1, 13 23. 1 Cor. 15, 9. Phil. 3, 6. 1 Tim. 1, 13). Testes nimirum *lapidationis Stephani* deposuerunt vesti-

menta sua ad pedes Sauli, qui „erat consentiens neci eius“ (Act. 7, 58; 8, 1). Paulo post ipse apparet ut *persecutor* principalis christianorum, imprimis hellenistarum (8, 3 sqq.), devastans Ecclesiam zelo scilicet abreptus vere iuvenili (7, 58: νεανίας); nec solum Hierosolymis, sed etiam aliis in civitatibus intendit delere nomen christianum. Itaque petens epistulas a summo sacerdote profectus est Damascum (9, 1 sqq.). In quo itinere, prope ipsam urbem *Damasci,* lux caelestis atque vox divina eum prosternit primo, deinde vero erigit atque ad meliorem frugem vitamque non solum christianam sed etiam apostolicam vocavit. De hac iam *vocatione triplex* in Actibus invenitur *relatio,* prima quidem tradita verbis ipsius Lucae (9, 1 sqq.), aliae duae (22, 6 sqq.; 26, 12 sqq.) verbis Pauli apostoli. Quoniam hae tres recensiones idem quidem narrant, attamen in quibusdam inter se differunt, necessarium esse videtur, ut, quae referant atque quibus differant, paulo accuratius inspiciamus.

297. Et primum quidem relationes singulae quidnam de vocatione Pauli ad apostolatum contineant; postea, num sint contradictiones, videamus.

Prima relatio (Act. 9, 1 sqq.): Paulum lux de caelis circumfulget. Cadens in terram audit vocem alicuius viri, cum quo colloquitur. Interroganti Paulo „Quis es, Domine?“ vox respondet se esse Iesum, quem Paulus persecutus sit usque modo. In civitate „dicetur tibi, quid te oporteat facere“ (9, 4 sqq.). Interim Ananiae damasceno fit visio correspondens, qua iubetur Saulum quaerere orantem eique manus imponere (cf. 9, 12 17); „quoniam vas electionis est mihi (inquit Christus), ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati“ (9, 15 sq.). Ita factum est; Paulus per impositionem manuum visum recuperat, impletur Spiritu Sancto, baptizatur, confortatur, coepit praedicare evangelium Christi (9, 17 sqq.).

Quidnam ex hac narratione de vocatione Pauli apostolica? Certe *vidit Dominum,* non solam lucem (9, 17: Ἰησοῦς ὁ ὀφθείς σοι, 9, 27: πῶς ἐν τῇ ὁδῷ εἶδεν τὸν κύριον, ita Barnabas ad apostolos Hierosolymis). *Vocatio* dein continetur saltem in verbis Christi ad Ananiam (9, 15 sq.); iamvero haec visio Ananiae facta non est nisi complementum visionis, quam recepit ipse Saulus. Neque vero ex hac relatione concludi potest Saulum non immediate eandem vocationem ab ore Christi accepisse. *Missio* ipsa nondum determinatur quoad tempus et modum; id unum enuntiatur eam fore *universalem* et ad Iudaeos et ad gentes.

Secunda relatio (Act. 22, 6 sqq.): Paulus Hierosolymis degens atque templum ingrediens, conclamantibus quibusdam Iudaeis asianis, apprehenditur, ut occidatur. Aegre e manibus furientium Iudaeorum ereptus, catenis vinctus, e gradibus, qui ducunt ad

arcem Antoniam, permittente tribuno, verba fecit lingua vernacula ad Iudaeos (21, 40), narrans inter alia etiam suam conversionem ad fidem (22, 6 sqq.). Appropinquantem videlicet iam Damascum lux circumfulsit copiosa, allocuta est vox de caelis, iubens eum intrare Damascum, ubi ei dicetur quidnam oporteat facere. Obcaecatus a lumine ingreditur civitatem; Ananias visum ei restituit atque voluntatem manifestat divinam: „Deus patrum nostrorum praeordinavit te, ut cognosceres voluntatem eius et videres iustum (Iesum) et audires vocem ex ore eius; quia eris testis illius ad omnes gentes eorum, quae vidisti et audisti" (22, 14 sq.). Dein baptizatur. Huic visioni altera adnectitur, quam Paulus habuit in templo hierosolymitano. Cum scilicet Damasco fugisset atque Hierosolyma redisset (9, 23 sqq.) ibique cum hellenistis disputasset (9, 29 sq.), Iudaeorum tantum in se odium excitavit, ut consilium caperent eum interficiendi. Dominus ipse ei apparens in templo monuit eum, ut fugeret Iudaeorum insidias: „Festina et exi velociter ex Ierusalem; quoniam non recipient testimonium tuum de me!" (22, 18.) Obloquenti Christus iterum dixit: „Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te!" (22, 21.) — Hisce iam verbis quam clarissime *missio immediata* Pauli continetur, et quidem *apostolica*. Sicut Duodecim *a Christo ipso* mittitur — ut sit *testis* - - *omnibus gentibus* — eorum quae viderat et audierat.

Tertia relatio (Act. 26, 12 sqq.): Paulus, ut ab insidiis Iudaeorum servaretur, a Lysia tribuno missus est Hierosolymis ad procuratorem Antonium Felicem (23, 23 sqq.) Caesaream, ubi mansit in carcere, donec Porcius Festus Felici succederet, per duos fere annos (24, 27). Quem cum rex Agrippa II cum sorore sua Bernice conveniret atque desideraret Paulum ipsum audire sese defendentem (25, 13 sqq.), Paulus coram ipsis aliisque viris nobilibus apologiam habuit (26, 1 sqq.), in qua etiam commemorat visionem damascenam (26, 12 sqq.), et quidem fusius quam in oratione coram populo in scalis templi habita. Se scilicet vidisse lumen de caelo intensius ipso sole — erat circa mediam diem — et audivisse vocem loquentem sibi hebraica lingua: „. . . Ego sum Iesus, quem tu persequeris . . .: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quae vidisti et eorum quibus (quorum revelandorum causa) apparebo tibi (ὧν τε εἰδές με, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι), eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te . . ." (26, 15—17). „Unde . . . non fui incredulus caelesti visioni, sed his, qui sunt Damasci primum et Ierosolymis, et in omnem regionem Iudaeae et gentibus annnuntiabam. . . . Hac ex causa me Iudaei, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere" (26, 19—21).

298. Paulus igitur *ab ipso Christo, sibi apparente,* accipit *vocationem* et missionem (apostolatum), ut *testis* Christi, qui eum praedicet et Iudaeis et gentibus.

Iamvero haec notio apostolatus est prorsus eadem ac illa, quae usu venit in Duodecim, in specie in electione Matthiae. Et Matthias et Paulus *testes* sint oportet Christi gloriosi — vi *vocationis* et *electionis* et *missionis* pecularis et *immediatae.* Illud unum in Paulo non verificatur, scilicet fuisse *comitem* et *discipulum Christi* toto *tempore vitae* Iesu publicae (Act. 1, 21), sed loco huius instructionis Christus suis revelationibus providit (26, 16), ut Paulus munus suum implere posset. Recte ergo dicemus ad *notionem apostolatus* secundum *Lucam* haec duo pertinere tamquam elementa essentialia: 1) quoad *originem* requiruntur: vocatio, electio, missio immediata divina (Christi); 2) quoad *obiectum* et *finem* huius missionis: praedicatio Christi resuscitati, i. e. Messiae et Filii Dei, Redemptoris generis humani.

Hanc suam missionem Paulus fideliter secutus est, simili plane ratione ac Duodecim, annuntians evangelium primo suis contribulibus; ... „vobis (ita Paulus Iudaeis Antiochiae Pisidiae) oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes!“ (13, 46.) Apostolatum iam gentium describunt Actus parte sua altera; Paulus non quidem reicit Israel, immo initium fere facit a synagoga et eius proselytis; attamen fructus uberrimi provenerunt non ex Iudaeis sed ex ethnicis.

299. Quas tres relationes conversionis et vocationis Pauli si inter se comparamus, ultro fatebimur eas optime *consonare* quoad *substantiam* facti enarrati; alia enim aliam supponit et complet. In *singulis* tamen circumstantiis aliqua non concinne relata esse contendunt; quae reduci possunt ad haec duo: (1) *comites* Pauli *aliter se gessisse* in aliis relationibus; (2) *vocationem* Pauli secundum relationes priores *per Ananiam,* secundum tertiam (26, 16 sqq.) *immediate* a Christo factam esse. Videamus iam quaenam ad tales difficultates dicenda videantur.

(1) De *comitibus* Pauli. — Comites Pauli secundum primam relationem (9, 7) „*stabant* stupefacti, *audientes* quidem vocem, neminem autem *videntes*“; secundum relationem alteram „lumen quidem *viderunt,* vocem autem *non audierunt* eius, qui loquebatur mecum“ (22, 9); secundum tertiam relationem lux circumfulsit Paulum eiusque socios, et omnes *ceciderunt* in terram (26, 13 sq.). Ex hisce tres inconcinnitates statuuntur, et quidem *a)* quoad *situm* comitum, qui dicantur stare (9, 7) et cadere (26, 14); — at haec diversitas tollitur, si supponantur comites Pauli successive cecidisse et stetisse; dein *b)* quoad *visum:* neminem viderunt (9. 7) et lucem viderunt (22, 9; 26, 13); — at hae duae affirmationes minime sese excludunt; denique *c)* quoad *auditum,* vocem loquentis

audierunt (9, 7; ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς), vocem loquentis non audierunt (22, 9: τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν). — Variae solutiones proponi solent, quae petuntur vel ex constructione diversa verbi ἀκούειν, scilicet cum genitivo (9, 7): audire sonum neque vero percipere sensum; cum accusativo (22, 9): percipere; vel ex vario sensu vocis φωνή, quae priore loco significet sonitum, altero vero loco sensum verborum, quae audiebantur.

(2) Quaeritur, utrum relatio paulina 26, 14 sqq. sit compendiosa quaedam narratio rerum gestarum, quae ut talis Ananiae mentionem non facit, an vero complementum alius relationis (22, 7; cf. 9, 4 sqq.), quatenus diserte testetur apostolum non solum per Ananiam sed iam immediate a Christo vocatum esse. Utraque sententia suos invenit fautores. Certa decisio ex eo difficulter videtur dari posse, quia sermones Pauli forma abbreviata Actibus inserti sunt. Missioni Pauli immediatae prior sententia minime obstat, uti iam dictum est; atque praeterea fortasse inde commendatur, quod secundum Act. 22, 17 sqq. *forma et modus* huius missionis et apostolatus gentium Paulo paulatim revelata sint.

Tertia quaedam discrepantia minoris est momenti. Nimirum Act. 9, 30 Lucas narrat *fratres* hierosolymitanos deduxisse Paulum, ut eum eriperent insidiis Iudaeorum, Caesaream ad mare, unde Tarsum transfretaverit; Act. 22, 17 sqq. vero referri Paulum monente *ipso Domino* discessisse ex urbe sancta. — At hae duae relationes certe sese non excludunt, sed sine ulla difficultate componi possunt[2].

II. De testimonio epistularum Pauli.

Aliter ac Lucas Paulus ipse de suo apostolatu loquitur, scilicet non narrando, sed polemice suam dignitatem apostolicam contra adversarios suos iudaistas defendendo; vocem porro apostoli non uno sensu, restricto scilicet et technico, adhibet, sed novit praeter apostolos sensu proprio, quibus adnumerat et Duodecim et seipsum cum Barnaba, alios sensu quodam latiore. Hinc ita procedimus, ut prius *usum loquendi* Pauli videamus, dein transeamus ad *notionem* apostolatus enucleandam, quam epistulae Pauli praebent.

1. De usu loquendi Pauli.

300. Paulus certe novit *apostolos sensu* quodam *stricto*, quibus adnumerat Duodecim (1 Cor. 9, 5; 15, 7. Gal. 1, 17 19; 2, 6 sqq.; cf. 1 Cor. 12, 28; Eph. 4, 11), Barnabam (1 Cor. 9, 6. Gal. 2, 1 9 13), seipsum.

Praeterea appellat quosdam fratres eodem nomine, eo fere sensu, quo *„sacri comites“* (ἱεροπόμποι, cf. n. 283) tributa et munera synagogarum dissitarum Hierosolyma deferebant. Ita homines fideles, ab ipsis ecclesiis electi et deputati (2 Cor. 8, 18 sq.), *„apostoli ecclesiarum“* (8, 23), comitabantur Paulum eleemosynas deferentem Hierosolyma. Paulus ipse hunc apostolatum (sensu lato) statuit, „ne quis nos vituperet in hac plenitudine (copiosa

largitione ecclesiarum), quae ministratur a nobis" (8, 20); iam enim Corinthi spargebant Paulum suos christianos circumvenisse (12, 16 sqq.). — Similiter Epaphroditus a Paulo captivo vocatur „*apostolus*" Philippensium (Phil. 2, 25), quippe qui nomine et mandato ecclesiae philippensis Paulo subvenerat. — Hi igitur apostoli quam longissime distant ab apostolis sensu technico, quatenus solum nomen participant, munus vero gerunt prorsus aliud.

Si quaeratur, num Paulus noverit apostolos *sensu illo latiore,* quo saltem tempore posteriore *missionarii* (evangelistae) hoc nomine insigniebantur (Did. 11; *K* 4), dicendum est hoc non certo constare. Unicus textus, qui serio in quaestionem venire possit, invenitur in epistula ad Romanos (16, 7): „Salutate Andronicum et Iuniam, cognatos meos et concaptivos meos, qui sunt *nobiles in apostolis,* qui et ante me fuerunt in Christo." Disputant, utrum illud ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις significet „insignes apostoli" an vero „insignes in iudicio apostolorum" (Zorell *LG*, s. v. ἐν III 1); utrum porro Iunias sit nomen viri an mulieris. Certe Paulus eos peculiari honore habet, quia ante ipsum ad Christum conversi sunt.

301. De aliis *textibus disputatis* iudicium facilius fertur. Dicunt enim Paulum in epistula priore ad Thessalonicenses vocare etiam *Silvanum et Timotheum* (1, 1) apostolos: „cum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli" (2, 7). — *At* vero haec forma pluralis merum factum enuntiat apostolos habere ius sustentationis; Timotheum Paulus certe non consideravit ut apostolum, sicut apparet ex inscriptione secundae epistulae ad Corinthios: „Paulus apostolus . . . et Timotheus frater . . ." (1, 1). — Neque *Apollo* ut apostolus designatur. Paulus describit in prima epistula ad Corinthios munus apostolicum tamquam ministerium Christi et dispensationem mysteriorum Dei (4, 1 sqq.); hinc soli Deo rationem reddere debet, non homini. „Haec autem, ita Paulus, transfiguravi (applicavi) in me et Apollo . . ." (4, 6). „Puto enim, quod Deus *nos apostolos* novissimos ostendit . . ." (4, 9). Eadem sane ratione Paulus loquitur ac in epistula ad Thessalonicenses, generaliore nempe, quae respicit condicionem apostolicam, neque vero de indole apostolica Apollo quidquam edicit. Immo videtur Apollo excludi; nam quae sequuntur (4, 9 sqq.), quadrant quidem in Paulum, nullo autem modo in Apollo. Insuper Paulus nitide distinguit inter Paulum plantantem (ecclesiam fundantem) et Apollo rigantem (3, 6). Ergo dicendus videtur Paulus vel nominare Appollo apostolum sensu latiore, vel, probabilius, ei nomen apostoli non tribuere.

„*Fratres Domini*" (1 Cor. 9, 5) adnumerari apostolis ex isto loco erui nequit; neque sequitur ex verbis Pauli (15, 7) Christum apparuisse „*omnibus apostolis*", hos esse alios ac Duodecim antea commemoratos (15, 5). De *Iacobo,* fratre Domini (Gal. 1, 19; cf. 2, 9), orta est disputatio vehementissima, utrum scilicet sit apostolus necne, apostolus ex Duodecim an postea adlectus. Longe probabilior videtur esse sententia eorum qui censent hoc loco esse sermonem de vero membro collegii Duodecim ideoque de apostolo sensu stricto.

Plane improbabile est Paulum novisse *apostolos ab hominibus* vocatos; nam verba illa Gal. 1, 1: „non ab hominibus neque per hominem" sufficienter explicantur ex fine Pauli, qui omni modo efferre contendit suam vocationem esse vere et exclusive divinam.

Quibus perpensis interim probabilius videtur esse Paulum apostolos sensu latiore, i. e. missionarios et praedicatores evangelii, non immediate a Christo vocatos neque tanta auctoritate et dignitate instructos ac Duodecim, non novisse. Hisce enim aliud nomen applicat: „*evangelistae*" (Eph. 4, 11; cf. 2 Tim. 4, 5; Act. 21, 8).

2. Quidnam Paulus de suo apostolatu testetur.

Testimonium Pauli sub duplici respectu considerare in animo est: scilicet (a) quonam modo suum *describat* apostolatum, et (b) quonam modo *probet* suum apostolatum esse eiusdem auctoritatis et dignitatis ac missionem Duodecim. *Fontes* nobis erunt imprimis illae epistulae, in quibus suam auctoritatem apostolicam contra insectationes adversariorum defendit, seque esse apostolum non solum asserit sed etiam probat: sigillo divino et agnitione apostolorum, qui ante eum erant, nempe Duodecim.

a) Qualem apostolatum Paulus sibi *adscribat.*

302. Paulum sibi attribuere apostolatum *sensu pleno* atque sese sub hac ratione Duodecim omnino *aequiparare* dubium esse nequit.

(1) In omnibus nimirum epistulis, exceptis solis 2 Thess., Hebr., Phil., Philem., *sese vocat apostolum,* generatim in ipso epistulae exordio (excepta 1 Thess.), quo scilicet fortius fundamentum adstruat suae auctoritatis, aliquando sat emphatice, ut e. g. Gal. 1, 1: „Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem . . .", et Rom. 1, 1: „Paulus, servus Iesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in evangelium Dei . . . per quem (Christum) accepimus gratiam et apostolatum ad oboediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius . . ." (1, 1 5). *Origo* huius apostolatus dicitur „voluntas Dei" (1 et 2 Cor., Eph., Col., 2 Tim.; eodem sensu Rom., Gal., 1 Tim., Tit.). Hisce iam solis verbis, licet brevissimis, *ratio* apostolatus

sat clare continetur; at sunt textus, quibus ipse Paulus eam ulterius explicat.

Quomodo apostolatus seu missio sese habeat *relate ad opus Christi redemptivum,* declarat Paulus in epistula ad Romanos: „Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt ... quomodo credent ... quomodo autem audient ... quomodo vero praedicabunt nisi mittantur?" (ἀποσταλῶσιν: 10, 13—15.)

(2) Haec missio tradita est Paulo *a Christo* vere *divinitus:* „Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare" (1 Cor. 1, 17). Est minister illius qui eum misit (3, 5 sqq.), est Dei adiutor 3, 9) et sapiens architectus (3, 10), est minister Christi et dispensator mysteriorum Dei (4, 1 sqq.), est pater suorum christianorum quos in „Christo Iesu per evangelium" genuit (4, 15). Eadem prorsus ratione suam missionem describit in secunda ad Corinthios epistula. Omnis facultas et potestas (ἱκανότης) ex Deo est (3, 4 sqq.), „qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti", et quidem ad „ministerium reconciliationis", quia Christus „posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos" (5, 18 19 20).

303. (3) His quidem aliisque, quae adiungi possunt, missio etiam *immediata* exprimitur; iuvat tamen aliquos textus citare, qui idipsum etiam clarius manifestant. In epistula ad Galatas non sola inscriptione excludit omnem interventum humanum atque attribuit suum apostolatum uni Christo et Deo (1, 1), sed etiam in decursu vocationem suam immediatam effert. Evangelium, quod praedicat, non est „secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi" (1, 11 sq.). Ipse Deus Paulum segregavit ex utero matris eius, vocavit eum per gratiam, revelavit Filium suum in eo, ut eundem evangelizaret in gentibus (1, 15 sq.; cf. 2 Cor. 4, 6; Eph. 3, 3). Ergo missio divina et immediata quam clarissime constat.

(4) Hinc iam quaeritur, quomodo haec vocatio apostolica se habeat ad vocationem Duodecim. Paulus respondet se accepisse *eundem apostolatum ac Duodecim;* et quidem diserte hoc affirmat in epistulis suis, quibus pugnat cum adversariis suis et quas ab omnibus christianis atque ab ipsis apostolis legi scit. Nihilominus clare profitetur se sub nullo respectu inferiorem esse Duodecim. Cuius assertionis documenta clara sunt imprimis haec: 1 Cor. 9, 1 sqq.; 15, 7 sqq. Gal. 2, 7 sqq.

Agens nimirum in epistula priore ad Corinthios de quaestione, num liceat idolothyta (i. e. cibaria diis immolata) manducare,

commendat Paulus caritatem, quae renuntians libertati abstineat potius ab usu etiam licito, quam ut fratri scandalo sit (8, 9 sqq.). Ex caritate ipse Paulus cessit iuri suo, quod ut apostolus habuit, ut scilicet sustentaretur a christianis, quibus opere evangelico inservit; immo in posterum quoque cedet, licet adversarii eius ex hoc ipso ansam arripuerint, ut ei apostolatum abiudicarent. Et hac quidem occasione Paulus suum *apostolatum* clare describit. „Non sum *apostolus?* Nonne (Christum) Iesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum apostolus, sed tamen vobis sum; nam *signaculum apostolatus* mei vos estis in Domino. . . . Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut et *ceteri apostoli* et fratres Domini et Cephas? Aut ego solus et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?“ (9, 1 sq. 4—6). — Quibus verbis Paulus statuit et *factum* apostolatus sui et eius *rationem* describit: tamquam vocationis immediatae divinae, probatae per fructus apostolatus, et eius *aequalitatem* cum *apostolatu Duodecim.*

Capite 15 eiusdem epistulae defendit Paulus resurrectionem mortuorum contra quosdam christianos, qui dixerint, „quoniam resurrectio mortuorum non est“ (15, 12). Argumentum Pauli est resurrectio Iesu Christi; hanc autem probat testimonio totius Ecclesiae, quod scilicet continetur doctrina tradita iam ipsi Paulo: „Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi, quoniam Christus mortuus est . . . et sepultus est, et quia resurrexit . . . et quia visus est Cephae, et post hoc undecim; deinde . . . plus quam quingentis fratribus . . . deinde . . . Iacobo, . . . deinde apostolis omnibus; novissime autem omnium tamquam abortivo visus est mihi. Ego enim sum minimus *apostolorum,* qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum; et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum. *Sive enim ego, sive illi:* sic praedicamus, et sic credidistis“ (15, 3—11). — Eadem plane elementa etiam hoc loco a Paulo efferuntur: *vocatio* sua *immediata* — *gratia* adiuvans *in opere* apostolico — omnimoda *aequalitas* cum doctrina et munere Duodecim.

In epistula ad Galatas Paulus narrat, quidnam actum sit in conventu apostolorum hierosolymitano (cf. Act. 15), scilicet libertatem christianam in tuto positam esse. Insuper autem „columnas“ Ecclesiae, Petrum nempe, Iacobum, Ioannem, *agnovisse apostolatum Pauli* et Barnabae: . . . „dexteras dederunt mihi et Barnabae in signum societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circum-

cisionem" (2, 9). Hinc iam argumentum firmissimum praebetur contra adversarios Pauli: nam si fuerit apostolus, eodem sensu et eiusdem auctoritatis ac Duodecim, eius quoque doctrina est vera, vera eius praedicatio de libertate christiana a iugo Veteris Foederis. — Itaque etiam in epistula ad Galatas Paulus eundem conceptum apostolatus evolvit: se videlicet *vocatum* esse a Christo immediate (1, 1 12 15; cf. 2, 2) — se opus evangelicum gessisse maximo cum *fructu,* signo scilicet divinae vocationis (2, 7—9) — se esse *aequalem Duodecim,* quos vocat suos antecessores (1, 17), qui per „columnas" eum ut verum apostolum agnoverunt.

304. (5) *Universalitas* denique missionis paulinae, licet non constituat rationem distinctivam sui apostolatus, tamen quoad modum aliquatenus propria esse dici poterit. *Duodecim* etenim ad omnes gentes mittuntur (Matth. 28, 18. Luc. 24, 44 sqq. Act. 1, 8) ea lege ut incipiant praedicationem ab Hierosolymis et a Iudaeis; ita intellegitur conventio, quam narrat Paulus in epistula ad Galatas (2, 9). *Paulus* quidem Iudaeos non excludit: „Et factus sum (ait) Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer" (1 Cor. 9, 20); attamen missio principalis fertur in *gentes omnes,* id quod Paulus maxime in epistula ad Romanos declarat. Se esse omnium gentium debitorem (1, 14), immo „gentium apostolum" (11, 13), propter *peculiarem* gratiam et vocationem, „quae data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans (ministerium sacrum implens) evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu Sancto" (15, 15 sq.). Neque hunc apostolatum exercet absque *missione divina:* „Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in oboedientiam gentium, verbo et factis" (15, 18). *Signa* et *prodigia* non defuerunt, quae utpote *fructus Spiritus Sancti probant* missionem divinam Pauli. Ita fieri potuit, ut evangelium innotuerit in omnibus regionibus inde ab Hierosolymis usque ad Illyricum (πεπληρωκέναι), in quibus antea nomen Christi nondum vocatum erat (15, 19 sq.). Non enim super fundamentum alienum aedificavit, sed ipse fundamenta iecit novarum ecclesiarum, sicut decet apostolum Iesu Christi (15, 20 sq.; cf. 1 Cor. 3, 6 10).

Ergo neque universalitas missionis deest Paulo, ita ut etiam sub hoc respectu sit vera aequalitas et societas (Gal. 2, 9) cum Duodecim. — Alios textus paulinos de universalitate Regni Dei et praedicationis evangelicae: Col. 1, 23 25 sqq. Eph. 3, 2 sqq. (cf. etiam *Ass. 8,* Schol. I, n. 227 sqq.).

305. (6) Quibus expositis de *notione apostolatus,* quem Paulus sibi attribuit, nullum dubium esse poterit: est apostolatus *sensu*

pleno, proprio, technico, apostolatus scilicet eiusdem auctoritatis et dignitatis ac *missio Duodecim;* ratio autem est *vocatio Dei immediata* atque *missio ab ipso Christo,* qui eodem modo ac duodecim apostolis etiam *Paulo apparuit* eumque *testem* suum constituit. Quae ut etiam clarius eluceant, Paulus ipse sedulo curat suum apostolatum *distinguendum* a munere vel missione aliorum, qui sicut ipse evangelium praedicant seseque ministros Christi appellant, attamen non sunt apostoli.

De diversitate quadam, quae observari licet *in usu loquendi* Pauli, supra iam sermo fuit; scilicet apostolatum titulumque apostoli, praeter Duodecim et Barnabam, aliis non tribuit. Priorem epistulam ad Corinthios scribunt Paulus *apostolus* et Sosthenes *frater* (1 Cor. 1, 1), ad Colossenses Paulus *apostolus* et Timotheus *frater* (Col. 1, 1); epistulae ad Thessalonicenses omittunt titulum apostoli, forte ex ea ratione quod tunc temporis Paulo non tantopere necessarium erat suam dignitatem contra iudaistas defendere ac tueri. Eo magis haec defensio urgebat paucis annis post, tempore scilicet, quo Paulus Ephesi degens scripsit epistulas illas, quibus auctoritatem suam coram Corinthiis vindicaret contra adversarios suos iudaistas. Ipsos hos adversarios dilucide depingit in altera epistula ad Corinthios (c. 10—12), seque cum illis comparat, ut hinc ostendat sibi quidem, non vero adversariis suis competere verum Christi apostolatum. Cumque simul criteria enumeret, quibus isti gloriantur, eaque vel refutet vel in se modo eminentiore verificata esse ostendat, plane discimus, quae sit apostolatus notio paulina, *negative* et *positive* simul.

Verbis gravibus et sollemnibus fere describit suam potestatem apostolicam, quae ei data est „ad destructionem munitionum". Omnia consilia et omnem altitudinem, quae sese extollat adversus scientiam Dei, destruere potest, omnem intellectum captivum ducere in obsequium Christi, omnem inoboedientiam ulcisci potest (2 Cor. 10, 5 sq.); etenim non est, sicut adversarii sui, minister qualiscumque Christi, sed potestate praeditus singulari a Christo ipso (10, 8). Illi quidem aliud evangelium praedicant (11, 1 sqq.), incusant Paulum, quod Corinthiis numquam oneri fuerit (11, 7 sqq.). Sed iniuste. Sunt enim *falsi apostoli* (ψευδαπόστολοι), operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Iesu Christi, de facto autem ministri Satanae eiusque angeli et apostoli (11, 13—15), licet forte imperitis appareant tamquam „supereximii apostoli" (οἱ ὑπερλίαν ἀπόστολοι; 11, 5; 12, 11) atque a Corinthiis ut tales habeantur.

Deinde Paulus *in singulis* prosequitur *comparationem* cum hisce falsis apostolis. Quaenam sunt *criteria* suae missionis? Hebraeos

se esse dicunt, Israelitas, semen Abrahae, ministros Christi. At haec omnia Paulus sibi adscribere poterit iure maiore, pleniore (11, 21 sqq.). Et *laboribus* et *favoribus caelestibus* (12, 1 sqq.) et *infirmitatibus* (12, 7 sqq.) longe eos antecellit. Sed haec omnia *nondum* sunt signa et *sigilla apostolatus;* quaenam igitur haec sunt? „*Signa* tamen *apostolatus* mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis et virtutibus" (12, 12). „Ego autem libentissime impendam (omnia mea) et superimpendar ipse pro animabus vestris" (12, 15), quoniam non quaerit, quae sunt Corinthiorum, sed ipsos Corinthios, eorum animas eorumque salutem.

Ex qua defensione haec imprimis eruere licebit: 1) Paulus suum apostolatum *aequiparat soli muneri Duodecim;* ceteri omnes non sunt veri nominis apostoli; 2) *ratio apostolatus* est *missio* Christi *specialis* et *immediata;* eius vero *criterium* est *sigillum divinum* per *fructus* apostolicos, per *miracula* et *prodigia.*

b) Quomodo Paulus apostolatum suum *probet.*

306. Omnis *legatio* divina ut talis *probari* debet, antequam possit postulare fidem hominum. Ita Christus suam legationem miraculis tamquam signis divinis demonstravit; ita apostoli duodecim coram plebe Iudaeorum miraculis et signis divinitus confirmantur (Marc. 16, 17 sq. Act. 2, 1 sqq. 43; 3, 6 sqq.; 5, 1 sqq. etc.). Eodem modo *Paulus* suam missionem debet probare atque imprimis ostendere se accepisse eandem missionem ac Duodecim, i. e. se a Christo personaliter et immediate vocatum esse. Condicio porro Pauli eatenus saltem alia erat ac Duodecim, quod hi quidem, cum simul a Christo vocati sint, alii de aliis testimonium perhibere potuerint, de vocatione autem Pauli, praeter Ananiam, nemo testis esse valuerit. Hinc Paulus assertum suum se esse sensu pleno apostolum probare debuit ipsis quoque apostolis, et quidem sigillo divino seu miraculis.

Hanc viam Paulus de facto secutus est. Prima quidem notitia suae conversionis (et missionis?) apostolis hierosolymitanis allata est per Barnabam (Act. 9, 27); apostolatum autem Pauli sensu pleno videntur cognovisse ex fructibus uberrimis atque signis, quae Pauli praedicationem comitabantur, et ad quae ipse Paulus provocabat in signum suae missionis immediatae.

Textus, quibus haec *signa* commemorat, plures iam vidimus (1 Cor. 9, 1; 15, 10. 2 Cor. 12, 12. Gal. 2, 7 sqq. Rom. 15, 18); quibus addi possunt alii, e. g. 1 Cor. 2, 4 sq.: „. . . praedicatio mea . . . in ostensione Spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei." — Gal. 3, 2: „Ex operi-

bus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? . . . Qui ergo tribuit vobis Spiritum et operatur virtutes in vobis, ex operibus Legis an ex auditu fidei?" (3, 5.) Hisce signis et fructibus Spiritus permoti „columnae" *cognoverunt* Pauli apostolatum (Gal. 2, 7 sqq.) atque eum simul cum Barnaba ut apostolum paris auctoritatis et dignitatis *agnoverunt:* „. . . cum vidissent, quod creditum est mihi evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis . . . et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi . . . dexteras dederunt mihi et Barnabae (in signum) societatis . . ." Haec autem gratia cognoscebatur ex eo quod, qui operatus est (ἐνεργήσας) Petro, eodem modo operatus est Paulo inter gentes (2, 8).

Hanc iam agnitionem receptam esse a *tota Ecclesia primitiva* testantur omnes scriptores temporis antiqui. Paulus cum Duodecim et sicut Duodecim habebatur et praedicabatur ut apostolus sensu speciali, pleno, proprio, technico. Ita *Clemens Romanus* (47), *Ignatius Martyr* (ep. ad Rom. 4, 3), *Polycarpus* (ep. ad Phil. 9, 1). Ita scripta *apocrypha* saeculi II, omnesque scriptores catholici.

III. De conceptu apostolatus secundum epistulas Pauli, Actus, evangelia comparative considerata.

Restat quaestio, quomodo *conceptus apostolatus,* quem *Paulus* in epistulis suis profitetur, sese habeat ad notionem apostolatus, quam alii fontes, imprimis *Actus* et *evangelia,* prae se ferunt. Ex solutione huius quaestionis pervenitur tandem ad apostolatus sensum universalem et communem in Ecclesia primitiva itaque ad sensum et intentionem ipsius Christi.

Et a priori quidem summe probabile est fontes istos, eodem tempore ortos, eundem quoque exhibere conceptum apostolatus; at tamen iuvabit documenta inter se comparare atque, quae sint notae essentiales apostolatus, ex hac comparatione derivare. *Ordo inquisitionis* nostrae sit is, ut epistulas Pauli primo cum Actibus, dein cum evangeliis componamus.

1. Conceptus apostolatus in epistulis Pauli et in Actibus.

307. Secundum *Paulum* apostolatus sensu stricto et pleno, i. e. sensu, qui verificatur in Duodecim et in ipso Paulo, hisce tribus in rebus positus est: Apostolatus est *missio divina — immediata* et *personalis — ad opus Christi* peragendum et perficiendum. Est igitur legatio Christi sensu pleno, quam alii (e. g. evangelistae, adiutores Pauli) aliqua ratione participant, sed non adaequant. Ita apostolatus est *munus primarium* in Ecclesia Christi (1 Cor. 12, 28. Eph. 4, 11).

Secundum *Actus* apostoli sunt *vocati, electi, missi divinitus* — et quidem immediate vel per Christum (Duodecim et Paulus) vel a Deo (Matthias) — ut sint *testes,* i. e. legati Christi, qui in caelum rediit. *Differentia* illa, quae observatur in vocatione Matthiae et Pauli, quatenus in electione *Matthiae* requiritur ut eligendus fuerit comes et discipulus Christi inde ab initio vitae Iesu publicae, *Paulus* vero Christum secutus non sit, inspectis solis Actibus dubium forte aliquod relinquat, num Paulus sit apostolus eodem sensu ac Matthias et Duodecim; comparatis autem simul epistulis paulinis evincitur rationem hanc apostolatum non mutare neque tangere. Ipse enim Paulus provocat non solum ad vocationem suam divinam, sed etiam ad *instructionem* illam et doctrinam, quam acceperit revelatione immediate a Domino (Gal. 1, 12), et quidem ad probandum suum apostolatum. Qua tamen revelatione ulterior quaedam instructio ex parte hominum non videtur excludi (Act. 9, 6. Gal. 1, 18; 2, 2 sqq. 1 Cor. 15, 3; cf. 11, 23). Unde recte concludimus condicionem illam a Petro appositam (Act. 1, 21 sq.) spectasse non *munus apostolicum,* sed *collegium* Duodecim. Matthias enim non solum debuit accipere munus apostolatus, sed etiam intrare in collegium Duodecim; iamvero Duodecim inde ab initio vitae publicae Iesum secuti erant; hinc decuit, ut Matthias, adlectus, comes fuerit Christi inde a baptismate Ioannis. *Paulus* autem *non intravit* in collegium Duodecim, sed munus dumtaxat apostolicum accepit; itaque satis ei erat, ut, quocumque modo instructus, missionem reciperet eandem et eodem modo et ad eundem finem ac duodecim apostoli, antecessores sui.

2. Conceptus apostolatus in epistulis Pauli et in evangeliis.

308. *Evangelia* in describendo apostolatu nullatenus discrepant a ceteris fontibus hucusque consideratis, neque a *Luca,* qui ut est *auctor Actuum* ita et *tertii evangelii,* neque a Paulo, qui concordat cum Luca, discipulo suo. Verum quidem est evangelia, cum referant dicta et gesta Christi usque ad eius ascensionem, agere de solis duodecim apostolis; attamen ipsa quoque (cf. Marc. 3, 13 sq.) probe distinguunt munus apostolicum a ratione collegii Duodecim, quasi finem ob quem Christus Duodecim ex suis discipulis speciatim elegerit. Munus autem *apostolatus* describunt ut *missionem a Christo* Duodecim traditam — *immediate* et personaliter — ad *opus Christi* continuandum, i. e. eodem modo atque Actus et epistulae paulinae.

Ex quibus haec iam inferri possunt ad determinandum *apostolatum sensu stricto et technico:*

a) Apostolatus continet in se *tria elementa essentialia:* 1) *missionem divinam;* 2) *immediatam,* vel a Christo vel a Deo; 3) ad *opus Christi* peragendum et perficiendum;

b) Hoc munus apostolatus iam tempore apostolorum *clare circumscriptum* erat atque ad ipsius Christi disertam voluntatem et institutionem reducebatur;

c) *Numerus apostolorum* (sensu stricto intellectorum) *non* quidem *restrictus* erat *ad Duodecim;* attamen *neque* erat *indeterminatus.* Quinam ex voluntate Christi ad hoc munus vocati fuissent, ut tales noti erant Ecclesiae primitivae, scilicet praeter Duodecim Paulus et probabiliter Barnabas.

Et haec quidem in genere de munere apostolico; quidnam in se contineat, quaenam munera et officia, quamnam potestatem et auctoritatem, in sequentibus videndum erit: scilicet apostolatum, ut legationem Christi eius munera obeundi: sanctificatorium (applicando et communicando hominibus gratias a Christo acquisitas); doctrinale (praedicando revelationem a Christo allatam); atque utrumque in societate aliqua religiosa, quam Christus ut suam Ecclesiam instituit quamque regendam suis apostolis tradidit. Inde igitur triplex munus triplexque potestas: sanctificandi, docendi, regendi, ex quibus tertiam, socialem, praeprimis considerabimus.

309. Variae sententiae de notione apostolatus. — Quoniam non omnes auctores eadem elementa muneris apostolici enumerant, iuvabit aliquas ex variis sententiis recensere.

H. Bruders (Die Verfassung der Kirche 23 sq.; cf. 88) enumerat tria, quae quasi praerogativa sunt apostoli: legatum esse Dei — a Christo immediate instructum et missum esse — in aliqua urbe vel regione primum evangelium praedicare.

Batiffol-Seppelt (Urkirche und Katholizismus 45 sqq.): Genuinitas apostolatus ostenditur genuinitate et veritate evangelii ab apostolo praedicati — porro gratia et adiutorio divino — ex eo denique quod quis Dominum viderit et ab eo missus sit.

Ex *acatholicis* etiam aliqui afferantur:

E. Haupt (Zum Verständnis des Apostolats): Non origo neque praeparatio et instructio determinant apostolatum, sed duo elementa: apostolatus est (1) charisma (119 sqq.), et quidem (2) fundamentale et suppositio omnium aliorum charismatum, munus non locale sed universale, respiciens non singulos coetus locales sed Ecclesiam universalem fundandam (135).

A. v. Harnack (Die Mission I⁴ 335): apostolus eligitur et vocatur per Deum vel Iesum Christum; criterium apostolatus est opus huiusque operis fructus.

H. Monnier (La notion de l'apostolat 97) idem fere sentit ac Haupt. Paulo scilicet apostolatum fuisse charisma; ecclesiae vero hierosolymitanae apostolatum esse missionem immediatam a Christo.

W. Seufert (Der Ursprung und die Bedeutung des Apostolates 50 sqq.): Ad apostolatum pertinet missio divina, cuius criteria sunt patientia, cura pastoralis, coercitio si opus fuerit; ius sustentationis ex eo fluit.

C. Weizsäcker (Das apostolische Zeitalter 587). Paulus ipse non agnovit apostolos sensu stricto (i. e. aequales Duodecim) nisi se ipsum, qui eandem vocationem immediatam habet, licet alio modo vocatus sit; apostolos sensu latiore, sicut in ecclesia hierosolymitana, ita etiam a Paulo statutos esse, e. g. Timotheum, Titum, Apollo.

Scholion. Interpretatio historica apostolatus Pauli [3].

310. Ex iis, quae de apostolatu dicta sunt. *dubium* aliquod oriri potest, scilicet num apostolatus Pauli componi possit cum apostolatu collegii Duodecim. Atque imprimis *completio collegii Duodecim* per electionem Matthiae indicare videtur numerum apostolorum restringi ad Duodecim. Accedit alia ratio dubitandi, scilicet *finis specialis apostolatus Pauli,* ut gentium apostoli. Quomodo haec vocatio consonat cum apostolatus universalitate?

Responsum eruendum erit ex ipsis fontibus inspectis. *A priori* quidem dici potest, quod aliquoties notatum est: rationem apostolatus („esse missum") non coincidere cum ratione collegii Duodecim („esse unum e Duodecim"); attamen solutio *positiva* e voluntate positiva Christi tandem erit repetenda, quae consilia sua adaptat ad evolutionem historicam missionis primitivae eiusdemque acceptationem ex parte Iudaeorum. Quoniam Iudaei praedicationem apostolorum recusarunt, hinc proprius apostolus gentium a Christo vocatur, immo omnes fere apostoli relinquentes Israel se vertunt ad gentes.

Secundum voluntatem Christi populo *Israel* etiam post institutionem Novi Foederis et Regni Dei *aliquod privilegium* concessum erat: ipsi nimirum *primum evangelium praedicandum* erat (Luc. 24, 47. Act. 1, 8). Haec missio, incipiens inter Iudaeos, implenda erat Duodecim, qui ob idipsum *numerum duodenarium* restituere debuerunt electione Matthiae. Nihilominus etiam tunc *universalitas* missionis nequaquam negabatur, immo diserte a Petro exhibetur (Act. 2, 39; 3, 26: „vobis primum . . ."); item a Paulo (13, 46: „Vobis oportebat primum loqui verbum Dei"). Atque huic voluntati divinae, quae tantopere concordabat cum propriis sensis apostolorum, fideliter obtemperarunt et Duodecim et Paulus. Iudaei autem *reiciebant* praecones Christi inde ab initio (2, 13; 4, 1 sqq.; 5, 17; 6, 8 sqq.; 12, 1 sqq.), ita quidem ut aufugere debuerint apostoli e terra palaestinensi, saltem ex Urbe sancta, excutientes pulverem

de pedibus suis (Matth. 10, 14). Quando Paulus et Barnabas eleemosynas ecclesiae antiochenae Hierosolyma deferebant, invenerunt loco apostolorum presbyteros. In conventu apostolorum (Act. 15) aderant Petrus et Iacobus (Act. 15, 7 13) et Ioannes (Gal. 2, 9). Sed tunc temporis Deus iam providerat huic condicioni. *Duo* sunt imprimis *facta,* quae ostendunt hanc ultimam praerogativam Israel de iure non iam valere; et primum quidem *omissio completionis collegii Duodecim post mortem violentam Iacobi* Zebedaei (Act. 12, 1); alterum *vocatio Sauli-Pauli.* Vocatur in eundem apostolatum ac Duodecim; attamen restrictio illa, quae his imposita erat, ut primum Iudaeis praedicarent, Paulo non imponitur; nomen Iesu Christi nempe portare debet coram gentibus et regibus et filiis Israel (9, 15; cf. 22, 15; 26, 17 sq.). Israel igitur non quidem eximitur, sed, ultima praerogativa privata, deprimitur ad condicionem gentium; est gens inter gentes (cf. e. g. Eph. 2, 14), primo pro Paulo solo, mox etiam pro aliis apostolis. Pro tempore igitur exstiterunt *duo quodammodo apostolatus,* aequales quoad originem et finem universalem, diversi quoad homines, quibus immediate et proxime dirigebantur: Petrus ad circumcisionem, Paulus ad gentes (Gal. 2, 9). Mox autem etiam haec differentia sublata est. Ex ipsis Duodecim Petrus et Ioannes apostolatum exercuerunt inter gentes, probabiliter etiam Andreas et Philippus. Testimonium Christi perhibebatur omnibus gentibus (Act. 1, 8) usque ad ultimum finem terrae. Ex gentibus affluxerunt plurimi christiani, ita ut, paucis elapsis decenniis, ecclesiae ethnicae longe superarent iudaicas, immo, Urbe sancta anno 70 deleta et christianis ex Iudaeis dispersis, Ecclesia catholica fere non iam Iudaeos inter suos complecteretur.

Iudaei autem non penitus a salute messianica, ipsis proxime promissa, excluduntur. Plebs quidem ut talis non iam est fundamentum novi Regni Dei, singuli autem invitantur et ingrediuntur Ecclesiam. Interim quidem sunt „fontes persecutionum" (Tertullianus), sed Paulus docet eos aliquando intrare Regnum Dei: „Nolo enim vos ignorare mysterium hoc: . . . quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec (scilicet) plenitudo gentium intraret (in Regnum Dei) et sic omnis Israel salvus fieret . . ." (Rom. 11, 25). Ita Paulus. Haec spes mitigat „tristitiam magnam" et „dolorem continuum cordis sui" (Rom. 9, 2), quem patitur propter fratres suos, cognatos suos secundum carnem, „qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum, et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissa; quorum patres (sunt), et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen" (Rom. 9, 4 sq.).

311. NOTAE. — **1** Textus de Barnaba sicut de aliis personis plurimis, quae in libris sacris occurrunt, collegit *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche (273 sqq.). — **2** Discrepantiae enumeratae, etiamsi componi non possent, substantiam narrationis nullo modo tangunt, ut ipsi critici concedunt (e. g. *I. Weiss**, *R. Knopf*, A. Deissmann**, alii). Solutiones datas omnes recenset *A. Wikenhauser,* Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert (Neutest. Abhandl. VIII, 3.—5. Heft [1921], 160 sqq. — **3** Bona quaedam hac de quaestione scripsit *Anonymus* (P. I. Cap.): „Die eigenartige Stellung des heiligen Apostels Paulus im Grundplan der Kirche" (Katholik LXXII [1892 I] 421 sqq. 481 sqq.).

B. De duodecim apostolorum potestate sociali (auctoritate et iurisdictione).

312. Probata itaque institutione apostolatus iam quaeritur, quales et quantas *potestates* Christus apostolis suis dederit. Certum quidem est hanc potestatem esse imprimis religiosam (sanctificatoriam, per ritus religiosos et sacros exercendam), quippe quae spectet ad novum Regnum Dei seu novam a Christo fundatam religionem; dein doctrinalem, cui nimirum Christus revelationem, quam hominibus innotescere voluit, commisit. Utraque autem potestas secundum ipsius Christi voluntatem est *socialis,* i. e. exercenda in aliqua societate religiosa et per auctoritatem religiosam. Inde est quod Christus apostolis suis praeter istas duas potestates tertiam dederit: socialem, quae respicit religionem praecise ut socialem seu ut coetum et societatem eorum, qui Iesu Christi religionem profitentur. Ex hac indole sociali religio christiana vocatur „Regnum Dei" vel „Ecclesia Christi"; utrumque enim nomen est sociale.

De ipsa quidem veritate: Christum scilicet fundasse religionem socialem seu societatem religiosam (Ecclesiam), non iam agendum est, cum idipsum constet ex tractatu praecedente (n. 143 sqq.); unde etiam apparet Christum dedisse huic societati potestatem aliquam socialem seu auctoritatem. Nondum autem certum est, quamnam formam Christus huic societati et auctoritati tribuerit. Haec igitur quaestio proxime solvenda est, et quidem hac in parte ex verbis iterum ipsius Christi.

Asserimus itaque *Christum ipsum determinasse formam suae Ecclesiae,* eo quod eius *constitutionem definiverit* saltem essentialem; dedit ei nempe formam *hierarchicam.* Cum enim ipse et munus regendi circumscriptum instituerit et hoc munus apostolis suis tradiderit, condidit auctoritatem sacram in sua religione, quae vocari solet hierarchia. De hac potestate sociali et hierarchica apostolorum nobis agendum est.

Procedimus in solvenda hac quaestione ita, ut prius *(Ass. 11)* ostendamus Christum dedisse apostolis suis duodecim potestatem

modo descriptam, dein *(Ass. 12)* ut complectamur, quae de Ecclesia hucusque dicta sunt.

ASSERTIO 11. Christus dedit duodecim apostolis suis potestatem socialem (auctoritatem et iurisdictionem) et hierarchicam.

313. 1. Sicut ipse *Christus* apostolos elegit et in collegium Duodecim adunavit, sicut porro eos erudivit et instruxit atque praeparavit ad munera sua rite subeunda, ita *ipse* quoque munera eaque determinata iis tradidit. Ex quibus considerandum est hoc loco *munus sociale* seu *regendi,* quod vocatur *auctoritas* (iurisdictio). Asserimus igitur Christum ipsum formam auctoritatis in sua Ecclesia determinasse et instituisse.

2. Insuper contendimus Christum hanc determinatam auctoritatem *duodecim apostolis* dedisse — de Pauli apostoli auctoritate constat ex *Ass. 10* atque ex iis, quae postea dicenda erunt *Ass. 16* (n. 404 sqq.) — iisque solis, i. e. in oppositione ad alias asseclas Christi, qui proinde ipsis subditi sunt. Ita condita est certa quaedam *inaequalitas iuris socialis* in Ecclesia Christi, quatenus ex voluntate Christi et hinc iure divino alii sunt praepositi et ut tales potestate regendi praediti, alii subditi. Ita Christus instituit auctoritatem hierarchicam, cuius conceptum, si placet, paulo amplius evolvamus.

314. 3. *Quid sit auctoritas hierarchica.* — a) *De societate.* Quoniam auctoritas est potestas socialis, breviter hoc loco recolantur quae de *societate* dicenda sunt. Societas videlicet (humana) est coniunctio (cooperatio) plurium in communem aliquem finem (bonum sociale seu commune) actibus suis conspirantium. Causae igitur huius societatis sunt plures. Prima in intentione est *finis,* nimirum aliquod bonum, quod, quia a singulis aut difficilius aut nullo modo obtineri vel effici potest, cooperationem plurium exigit. Quae exigentia, quam primum perspicitur, excitat ad coniunctionem plurium hominum efficiendam atque ita societatem constituendam, scilicet vel ita ut sibi quis socios adsciscat seque cum illis ad finem obtinendum coniungat, vel ita ut voluntas alicuius superioris homines ad aliquam societatem ineundam adigat. Voluntas proinde hominum, vel superioris vel sociorum, recte vocatur causa *efficiens* societatis. Et haec quidem de causis societatis externis.

Causa vero interna est praeter quasi materialem, pluralitatem dico hominum, *formalis* seu ipsa unio et coniunctio, conspiratio et cooperatio plurium hominum, quae determinatur et regitur remote quidem a fine societatis, proxime autem et practice ab eiusdem constitutione (cf. n. 236 sq.), a normis et legibus, quas societas ad obtinendum suum finem sibi servandas praefixit.

Ex *divisionibus* societatis afferantur, quae ad nostram quaestionem spectant. (1) Ratione scilicet *originis* seu voluntatis efficientis dividitur in *liberam,* ortam ex libera conventione hominum, et *necessariam,* fundatam in voluntate legitimi superioris. Necessaria iterum dividitur (ex manifestatione huius voluntatis) in *naturalem* et *legalem,* prout nempe necessitas procedit vel ex natura humana et hinc ultimatim ex eius auctore, Deo, vel ex positiva et immediate manifestata voluntate superioris, e. g. Dei. (2) Ratione deinde *finis* (boni communis) et mediorum ad hunc finem obtinendum dividitur in *perfectam* et *imperfectam.* Perfecta illa vocatur, quae pro fine habet bonum aliquod integrum et relative saltem supremum (societas intrinsece completa) et simul media habet ad obtinendum hunc finem vel re vel iure (societas extrinsece completa, sibi sufficiens).

315. b) De *auctoritate et iurisdictione*[1]. Omissa quaestione, quaenam relatio inter formam societatis eiusque auctoritatem intercedat, ea sola consideremus, quae inter omnes constant. Scilicet *omni societati* auctoritas aliqua est *necessaria* tamquam principium dirigens actus sociorum ut talium eosque congerens ad cooperationem. Id apparet ex inspecta ratione auctoritatis. Auctoritas enim *definiri* potest ut potestas moralis socialis. Est nimirum verum aliquod *ius,* et quidem in ordine ad societatem et bonum sociale, quo scilicet membra societatis obligantur, ut actibus suis ad hoc bonum obtinendum cooperentur. Ita oritur *inaequalitas* aliqua inter membra societatis, quatenus alii praesunt, alii subsunt, eaque inaequalitas *iuris,* quatenus auctoritas est vera potestas moralis, eaque inaequalitas iuris *socialis,* quatenus auctoritas est potestas socialis.

Necessitas talis auctoritatis elucet iam ex necessitate principii directivi et coactivi; et *directivi* quidem, quia et quatenus socii indigent instructione, quibus et qualibus actibus cooperari possint ac debeant; *coactivi* autem, quia et quatenus contra tendentias egocentricas et centrifugas sociorum oportet adsit potestas moralis, quae efficaciter tueatur unionem atque voluntates etiam invitas adigere possit ad cooperationem.

Indoles auctoritatis correspondet huic necessitati. Auctoritas videlicet debet esse *una,* quia est principium unitatis; debet esse *realis* et *visibilis,* quia est principium societatis realis et visibilis; debet esse *persona* aliqua vel *physica* vel *moralis* (collegialis vel collectiva)[2].

Dividitur auctoritas (1) ratione principaliter agentis in *propriam* et *vicariam,* prout potestas exercetur nomine proprio vel alterius, scilicet mandantis; (2) ratione fontis (communicationis) in *ordinariam* et *delegatam,* prout potestas exercetur vi muneris vel commissionis personalis; (3) ratione societatis, in qua exercetur, in *dominativam* et *iurisdictionis,*

prout societas est perfecta vel imperfecta. Quas divisiones hoc loco nominasse satis erit, quoniam ad ipsam inquisitionem historicam vix quidquam conferunt. Excipies fortasse ultimam divisionem, qua explicatur notio iurisdictionis; cum nimirum Ecclesia sit societas perfecta, auctoritas eius est iurisdictio. Nos tamen, remittentes quaestionem, num et cur Ecclesia sit societas perfecta, ad tractatum de iure canonico, loquimur de auctoritate Ecclesiae, quae de facto est iurisdictio, sicut independenter ab hac assertione probatur[3].

Iurisdictio secundum exposita definiri potest: auctoritas in societate perfecta, seu potestas moralis obligandi socios et membra societatis perfectae, ut actibus suis ad finem societatis conspirent. Partes eius enumerantur *legislativa, administrativa, iudicialis* cum coactiva ad dirimendas lites tum civiles (contentiosas *CIC* 1552) tum criminales.

316. c) De *hierarchia.* Hierarchia vi vocis (ἀρχὴ ἱερῶν) est principatus in sacris, seu potestas sacra, cuius obiectum sunt vel res vel personae sacrae. Sacer (ἱερός) intellegitur hic sensu non ethico et subiectivo (sanctitatis et perfectionis moralis), sed obiectivo, i. e. Deo deditus seu devotus, Deo sacer[4].

Duplex *distinguitur* hierarchia, ordinis scilicet et iurisdictionis. (1) Hierarchia *ordinis* (potestas sanctificandi) coincidit fere cum munere sacerdotali et condit ordinem sacerdotalem itaque distinctionem et inaequalitatem inter clericos et laicos (*CIC* 107) qui vocari solent. In ipso hoc ordine dein varii iterum gradus esse possunt, sicut in Ecclesia de facto sunt: episcopi — sacerdotes secundi gradus seu presbyteri — ministri. Obiectum hierarchiae ordinis sunt ritus et actus sacri ut tales (e. g. oblatio sacrificii, administratio plurium sacramentorum). De hac hierarchia, in omni religione atque etiam in Christi Ecclesia principali, hoc loco non agimus.

(2) *Hierarchia iurisdictionis* est potestas socialis religiosa. Conotat igitur societatem religiosam. Definiri potest: auctoritas (iurisdictio) in societate sacra seu religiosa, cuius saltem supremus gradus iuris divini positivi est, i. e. a Deo (vel Dei legato) institutus atque certis hominibus commissus. Tria igitur sunt, quibus haec hierarchia socialis constituitur, nimirum (a) vera aliqua potestas moralis; (b) quae, cum regat societatem religiosam, oportet sit socialis (auctoritas, iurisdictio) et sacra; (c) quae reducitur ad voluntatem positivam et immediate manifestatam Dei ut auctoris societatis.

Etiam in hac hierarchia varii *gradus* haberi possunt, ut e. g. in Ecclesia pontificatus supremus et episcopatus, uterque ex Christi

institutione; quibus alii gradus inferiores accesserunt ex institutione Ecclesiae, vi scilicet potestatis hierarchicae, quam Christus Ecclesiae suae dedit. Licet igitur hi gradus inferiores non sint iuris divini, recte tamen vocantur hierarchici, quia et quatenus procedunt ex potestate hierarchica. Hinc additum est in definitione saltem unum, supremum nimirum, gradum, a quo ceteri constituantur, debere esse institutionis immediate divinae.

Obiectum huius hierarchiae iurisdictionis sunt actus religiosi ut sociales, exercendi a membris societatis religiosae, quibus scilicet finis societatis obtinetur.

Hac hierarchia fundatur *inaequalitas iuris socialis*, de qua supra (n. 235) sermo fuit; alii sunt qui praesunt, alii qui subsunt, et hoc quidem iure divino. Consequens est, ut illi, „qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione *adlegantur,* sed . . . in supremo pontificatu ipsomet iure divino, adimpleta condicione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis canonica missione" (*CIC* 109), i. e. institutione hierarchica seu quae a potestate hierarchica profluit. Insuper sequitur membra hierarchiae *rationem reddere* posse et debere unice vel Deo (Summum Pontificem ut gradum supremum) vel gradibus hierarchicis superioribus, non vero populo vel potestati saeculari, in iis quae spectant ad regimen religiosum (cf. n. 916 sqq.).

De hac hierarchia iurisdictionis nobis agendum est, num scilicet Christus talem auctoritatem religiosam in sua societate religiosa, Ecclesia nempe, condiderit et qualem ei formam indiderit.

317. 4. *Variae sententiae.* — Hierarchiam stricte dictam soli catholici admittunt; alii statuunt vel *democraticam* organisationem Ecclesiae, secundum quam omnis auctoritas a Christo data est proxime et immediate Ecclesiae ut societati seu summae fidelium, ut per hanc ministris tradatur; Apostoli igitur non sibi acceperunt auctoritatem a Christo, sed Ecclesiae, cuius repraesentantes erant. Ita protestantes *conservativi*[5]. Alii, sicut anglicani et asseclae „Altae Ecclesiae" quam vocant[6], admittunt quidem organisationem episcopalem et sub hoc respectu hierarchicam; at vel negant primatum (anglicani) vel considerant episcopatum potius ut aliquam formam organisationis inter alias et prae aliis forte eo praeferendam, quia iam aderat in Ecclesia primitiva (*Hochkirche* in Germania)[7]. Protestantes *liberales* indirecte tantum nostrae assertioni adversantur, quatenus negant Christum voluisse condere Ecclesiam; ergo neque de eius forma quidquam dicere potuit. Plura de his sententiis infra (n. 385 ssq. 543 sqq.).

Explicatio textus Matth. 18, 18.

Probatio nostrae assertionis procedere debet ex *omnibus* verbis et factis Christi, quae relationem habent ad societatem quam condidit; sunt tamen aliqui textus, qui peculiari considerationе digni videntur esse, utpote culmina quaedam eminentia inter cetera dicta Christi eaque simul complectentia et collustrantia. Ad quae pertinent imprimis illi duo, qui soli continent vocem Ecclesiae a Christo prolatam, ambo in evangelio quod scripsit Matthaeus (16, 18 et 18, 16 sq.). Prior refert promissionem primatus, de qua infra (n. 362 sqq.) sermo erit; alter, *Matth. 18, 16—18,* describit potestatem, quam Christus *omnibus suis apostolis* traditurus sit, *auctoritatem* videlicet *hierarchicam.* Hanc iam promissionem in hac assertione examinabimus, ita quidem ut eius valor et vis appareat in luce totius evangelii; unde opus est, ut praeter exegesim ipsius textus etiam contextum et remotum et proximum sedulo respiciamus. Ita verum sensum verborum Christi attingemus. *Procedimus* proinde ea via, ut, praemissa brevi inquisitione genuinitatis textus, perpendamus prius pericopas praecedentes et subsequentes, dein ipsam pericopam quae continet promissionem apostolis duodecim factam, caput nempe 18, postremo verba ipsa, quae Christus apostolis suis dirigit.

318. Et de *genuinitate* quidem hoc loco pauca admodum dicenda sunt; nam rationes, in partem contrariam allatae, non sunt criticae (scilicet haustae ex traditione textus, cuius testes forte non sint unanimes), sed vel internae vel negativae. (1) Et ratio quidem *interna* est in eo quod Christus, quippe qui de condenda aliqua Ecclesia nullo modo cogitaverit, neque voce Ecclesiae uti neque apostolis suis potestatem ecclesiasticam tradere potuerit. Ita ex protestantibus liberalibus plurimi, ita eschatologistae (cf. n. 108 110), ita fautores sententiae, quae tenet theologiam christianam maximam partem excultam esse in ecclesia primitiva hierosolymitana („Gemeindetheologie", de qua plura in assertione de genuinitate textus Matth. 16, 18, n. 345 sqq.). *At vero* hanc rationem omni valore destitutam esse patet tum ex iis, quae de Regno Dei externo diximus (*Ass. 5,* n. 143 sqq.), tum ex dicendis in assertione proxime sequenti, tum ex probatione primatus (*Ass. 13,* n. 358 sqq). (2) Ratio dein *negativa* potissima ex eo petitur, quod verba Christi apud solum Matthaeum inveniantur, desint autem apud alios evangelistas synopticos (Marc. 9, 33 sqq. Luc. 9, 46 sqq.); immo licet Lucas alio loco praebeat verba Christi immediate praecedentia („Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si paenitentiam egerit, dimitte illi" 17, 3), tamen silet de potestate apostolis data. Idem observari licet Tit. 3, 10 sq. („Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita; sciens, quia subversus est . . . et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.") et in ‚Doctrina apostolorum' 15, 3 („Arguite autem vos invicem, non in ira, sed in aequanimitate, sicut habetis

in evangelio; et si quis adversus alium deliquerit, nemo loquatur cum eo neque apud vos audiat, donec paenitentiam egerit."). — *At* ratio mere negativa, omissio scilicet textus, non infringit valorem testimonii Matthaei; textus vero allati ex Luca, Paulo, Didache dici non possunt esse paralleli ad Matth. 18, 15 sqq., cum his versibus nondum sit sermo de correptione fraterna; lectio enim „si autem peccaverit *in te* frater tuus" irrepsisse videtur ex versu 21 eiusdem capitis, id quod eius etiam testes insinuare videntur: ΔΘΣ, min. lat. syr. arm. boh. Hil. Pict., Lucifer Cal. (3) Tamquam tertia ratio contra genuinitatem asseritur *oppositio* inter Matth. 16, 18 et 18, 18, cum nimirum eadem potestas dicatur tradi et Simoni et omnibus apostolis. — *At* haec oppositio ex ipsa Sacra Scriptura solvitur; sufficit in memoriam revocare unum verbum Pauli in epistula ad Ephesios (2, 20), quo vocat „apostolos et prophetas" fundamentum fidelium, cum tamen unicum fundamentum secundum eundem Paulum Christus sit (1 Cor. 3, 11). Sub alio igitur respectu alioque ambitu et sensu Christus est fundamentum, sub alio sunt apostoli; item alia ratione Petro datur auctoritas in Christi Ecclesia, nempe sensu pleno (monarchica et suprema potestas), alia ratione omnibus apostolis, cum Petro scilicet et sub Petro, cuius primatus participationem eiusdem potestatis minime excludit[8].

319. a) Contextus remotus. — Verba Christi ad apostolos inveniuntur in quarto ex quinque *sermonibus* Domini, quos Matthaeus in suo evangelio refert, e quibus tres, sermo montanus (Matth. c. 5—7), instructio apostolorum ante missionem praeviam (c. 10), sermo parabolarum (c. 13), pertinent ad priorem evangelii partem; duo alii ad alteram partem, scilicet sermo pastoralis huius capitis 18 et increpatio pharisaeorum cum sequentibus verbis de iudicio (c. 23—25). Correspondet caput 18 sermoni capitis 10 tum quoad ambitum tum quoad argumentum; utrumque dirigitur apostolis iisque solis. Intercedunt tamen differentiae sat graves. Nam caput 10 agit proxime de apostolorum missione praevia, caput vero 18 de missione definitiva; caput 10 agit de apostolorum relationibus ad eos, quos praedicatione Christo adsciscere debeant, igitur ad „externos"; caput autem 18 de iis, qui iam intra gregem Christi admissi membra sunt suae Ecclesiae, igitur ad „internos". Fatendum denique est sermonem capitis 18 non tam nitide distingui a partibus adiacentibus quam caput 10 eiusque sermo, qui terminatur formula Matthaeo sollemni „et factum est, cum consummasset Iesus . . ." 11, 1 (cf. 7, 28; 13, 53; 19, 1; 26, 1); sermo enim proprie pastoralis finitus videtur iam 18, 20; formula autem terminalis a Matthaeo ponitur demum post parabolam de servo nequam[9].

Pericopae proxime praecedentes et *subsequentes* sunt hae:

Post pericopam, quae dividit totum evangelium in duas partes (quae inscribi fere possint „De Regno Dei" et „De Christi Ecclesia"), nempe Matth. 16, 13—20, sequuntur

16, 21 sqq. praedictio passionis, mortis, resurrectionis Christi futurae (cum formula introductoria ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς . . . sicut 4, 17), cum doctrina de cruce a Christi asseclis tollenda;

17, 1 sqq. transfiguratio Christi in monte, collocutio de passione eius (Luc. 9, 30 sq.) cum Mose et Elia, deque adventu Eliae cum apostolis suis (Matth. 17, 9 sqq.);

17, 14 sqq. sanatio pueri daemoniaci;

17, 22 sqq. praedictio passionis futurae secunda;

17, 24 sqq. de didrachma templo solvenda;

18, 1 sqq. instructio apostolorum pastoralis;

18, 21 sqq. instructio de caritate fraterna: parabola de servo nequam;

19, 1 sqq. instructio de castitate, de matrimonio scilicet (19, 1 sqq.), de virginitate (19, 10 sqq.); Christus benedicit infantulis (19, 13 sqq.);

19, 16 sqq. instructio de paupertate, et quidem de iuvene divite (19, 16 sqq.), de periculo divitiarum (19, 23 sqq.), de praemio paupertatis voluntariae (19, 27 sqq.);

19, 30 sqq. de humilitate, scilicet parabola de operariis in vinea (19, 30 sqq.), praedictio tertia passionis futurae (20, 17 sqq.), petitio filiorum Zebedaei (20, 20 sqq.) cum contentione apostolorum et exemplo Christi, qui venit „ministrare et dare animam suam, redemptionem pro multis“ (20, 28).

Ex quo conspectu apparet totam hanc partem evangelii Matthaei omnesque eius pericopas respicere vel unice vel primarie *apostolos,* quos instruit Christus theoretice et practice, quos docet mysteria fundamentalia (imprimis crucis), virtutes principales, munera et officia, quae agere debent in Ecclesia Christi futura tamquam eius *pastores.*

320. b) Contextus proximus. — Ipsum iam caput 18 (Marc. 9, 33 sqq. Luc. 9, 46 sqq.) *partitionem* suam particulis modoque loquendi haud obscure ostendit. Scilicet:

18, 1 refert *ansam* huius instructionis pastoralis, *contentionem* nimirum apostolorum, quis maior sit in Regno Dei. Quae contentio supponit certe conceptum Regni Dei, qui inaequalitatem non excludit, et facile intellegitur ex Matth. 16, 13 sqq., ex verbis scilicet Christi de primatu Simoni aliquando tradendo.

18, 2 sqq. Christus iam discernit hanc litem, reiciens spiritum superbiae, approbans et confirmans factum et munus pastorale. Spiritus scilicet debet esse humilitatis, ad instar infantis:

hoc spiritu *munus* administrari oportet (cf. Matth. 20, 26 sq.; Luc. 22, 24 sqq.). Est enim vere munus *pastorale,* quod agere debent, curam gerentes

18, 5 sqq. tum *singulorum*, quatenus recipiunt „infantulos" (τὰ παιδία, 18, 5), eos (parvulos seu credentes: μικροί, πιστεύοντες, cf. Matth. 10, 42: μικροί, μαθηταί), servant a scandalo (18, 6 sqq.), eos (μικροί) errantes quaerunt et reducunt, ad instar boni pastoris, ipsius Christi (cf. Luc 19, 10), secundum voluntatem Patris („sic non est voluntas ante Patrem vestrum, . . . ut pereat unus de pusillis istis", Matth. 18, 14). Itaque quam clarissime apostolis traditur cura pastoralis, et quidem vice ipsius Christi, proprii pastoris, qui misertus est ovibus vexatis et iacentibus, sicut qui non habent pastores; unde elegit Duodecim (9, 36 sqq.). — Accedit dein

18, 15 sqq. cura pastoralis *totius societatis* (Ecclesiae). Iam non agitur de periculo singularum ovium, sed de periculo communitatis, quod procedit ex defectu et peccato alicuius ovis scabiosae, quae inficere possit totum gregem. Quod scandalum ut auferatur, adhibenda est primo correptio fraterno modo („corripe eum inter te et eum solum", 18, 15), dein modo quasi iudiciali („adhibe tecum adhuc unum vel duos", 18, 16), demum invocetur auctoritas socialis, Ecclesia nempe („dic Ecclesiae! Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus", 18, 17): Tum tandem, exhaustis omnibus mediis, excludatur membrum a communitate, ne scandalo noceat aliis [10].

Quibus expositis iam patet Christum loqui de aliqua *societate* suorum, fidelium nempe seu parvulorum, qui cura indigent *pastorali;* dein hanc curam gerere debere *apostolos* suos suo nomine ex voluntate Patris; ita iam innuitur, quo modo Ecclesia intellegenda sit, de qua Christus (sicut Matth. 16, 18) loquitur. Quaeritur scilicet, sitne societas *democratice* constituta, quae ut talis iudicet, corripiat, excludat, an vero *hierarchice,* in qua nimirum apostoli munus regendi exerceant. Prior est sententia protestantium, altera catholica. Hinc iam de ipso textu eiusque sensu agendum erit.

321. c) *Ipse textus Matth. 18, 18.* — „Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo." Explicatio nostra respiciet prius verborum sensum singulorum, deinde naturam potestatis apostolis hisce verbis datae.

α) *De sensu verborum.* Ligare (δέειν) et solvere (λύειν) correspondent duobus terminis iuridicis linguae aramaicae, scilicet אֲסַר et שְׁרָא, quibus designabantur decisiones legisperitorum: „declarare aliquid tamquam ligatum seu vetitum, vel solutum seu licitum et permissum." Testimonia huius usus inveniuntur non solum in scriptis rabbinicis [11], sed etiam in evangeliis. „Alligant enim (scribae et pharisaei) onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum (δεσμεύουσιν)", Matth. 23, 4; exempla talium decisionum sunt imprimis „traditiones", quae in hoc ipso capite 23 a Christo allegantur et reiciuntur. Ipsa lex vocatur vinculum a Paulo (1 Cor. 7, 27 39. Rom. 7, 2: de matrimonio), qui in hoc contextu utitur voce δέειν et λύειν. Christus porro ipse dicitur a Iudaeis solvisse sabbatum (ἔλυεν τὸ σάββατον, Io 5, 18), eo quod hoc die sanaverit aegrotum, seque defendit dicendo sabbato pueros circumcidi, „ut non solvatur (λυθῇ) Lex Moysi" (Io. 7, 23); hoc loco „solvere" potius significare videtur transgressionem legis quam liberationem ab eius impletione. Denique huc pertinent expressiones metaphoricae velut „solvere ab infirmitate". Ita nimirum Christus allocutus est mulierem, quam „satanas alligavit" (ἔδησεν ὁ σατανᾶς, Luc. 13, 16): „Soluta es (ἀπολέλυσαι) ab infirmitate tua" (13, 13); nam „oportuit solvi a vinculo isto die sabbati" (ἔδει λυθῆναι ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τούτου τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου, 13, 16). Similiter Paulus est δεδεμένος τῷ πνεύματι (Act. 20, 22).

Ex quo conspectu constat verba illa duo in usu quidem fuisse apud rabbinos, attamen simul ampliorem ambitum habuisse ultra sententias legales et iuridicas rabbinicas [12]. Id quod confirmatur hoc nostro textu et parallelo Matth. 16, 19. Ipsa iam *vocabula graeca* generalius significant „vinculum imponere, solvere", atque hic sensus a tenore verborum postulatur. Nam Christus promittit potestatem universalem („quaecumque alligaveritis: ὅσα"), insuper potestatem veram moralem, quae in conscientia obligat, quia Deus in caelis ea rata habebit, quae apostoli in terris ligent vel solvant. Intra ambitum igitur, qui apostolis competit, eorum voluntas erit decisiva et definitiva, quia sancita voluntate ipsius Dei.

β) *De natura huius potestatis.* Haec potestas tam ampla et efficax ex contextu exercetur erga Ecclesiam seu erga coetum eorum, qui sunt Christi, erga gregem Christi, cuius curam pastoralem committit apostolis; est igitur *potestas socialis.* Proxime verba Christi spectant versum praecedentem, qui agit de potestate iudiciali et coactiva, quae in Ecclesia exercenda est, atque de ultima et definitiva, scilicet excommunicationis. Si quis quaerat, quanam potestate haec exclusio nocentis insanabilis fieri possit,

sciat adesse in Ecclesia et penes Ecclesiam summam illam potestatem ex voluntate Christi et Dei. Nihilominus haec potestas socialis non restringitur ad excommunicationem, sed universaliter ad omnes res sociales sese extendit.

Quae cum ita se habeant, dubium esse non poterit, quisnam sit *huius potestatis subiectum,* cui proxime a Christo traditur. *Verba* enim diriguntur *apostolis iisque solis* („Amen dico vobis"), qui *in omnibus pericopis huius partis* a Christo seorsum a populo instruuntur; dein vero apostoli *in hoc capite* a Christo describuntur et constituuntur *pastores* sui gregis (18, 12: „Quid vobis videtur? . . ."); porro *explicatio* authentica habetur in textu correspondente *capitis 16, 19,* in quo comparatio ligandi et solvendi coniuncta apparet cum alia, *clavium* scilicet; haec autem potestas in eo est ut Simon sit minister et vicarius ipsius regis, potestate praeditus monarchica (cf. infra n. 370 sqq.), non democratica. Licet igitur 18, 17 „Ecclesia" dicatur tribunal, quod quaestiones sociales discernat, haec tamen intellegitur sensu hierarchico, scilicet organisata, i. e. praedita auctoritate a Christo ipsi provisa, pastorali et apostolica. — Cui expositioni maximus valor accedit *ex indole et sensu Iudaeorum.* „Qehal Iahve" seu Ecclesia Dei V^{is} T^{i} erat theocratica et hierarchice instituta. Sacerdotes et reges et prophetae a Deo vocantur; summus sacerdos, synedrium, forte etiam praepositi religiosi synagogarum non constituebantur a populo modo democratico, sed cooptabantur a collegii membris vel a superiore auctoritate instituebantur. Conceptus vero „democratiae religiosae repraesentativae" prorsus alienus fuit a mente Iudaeorum, ad quos apostoli pertinent. Eodem modo poena excommunicationis prolata esse videtur ab auctoritate hierarchica, non a coetu Iudaeorum. Plura in Scholio.

322. Confirmatio assertionis sumi potest (1) ex *Matth. 28, 18 sqq.,* ubi narratur missio definitiva et universalis apostolorum undecim. Vi scilicet suae potestatis amplissimae (28, 18) et divinae (ut Filii 28, 19) mittit Christus undecim (28, 16) in universum mundum ad omnes gentes, quas faciant asseclas et discipulas Christi (μαθητεύσατε), recipientes eas ritu initiali baptismi in unum coetum fidelium, docentes eas doctrinam Christi revelatam, nomine et auctoritate Christi, qui ipsis in hoc munere arduo assistet usque ad consummationem huius saeculi. Apostolis igitur *omnis auctoritas in coetu fidelium* futuro committitur.

(2) Clarius idem apparet ex *Matth. 16, 16 sqq.,* ex primatu nimirum Petro promisso (*Ass. 14,* n. 362 sqq.), ex *modo agendi apostolorum* post Christi ascensionem (*Ass. 17,* n. 412 sqq.; breviter ea de re *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia I 50 sqq.).

(3) Idem demum suadetur ex *consideratione* sequenti, quae partim saltem nititur in experientia historica. Negatio scilicet auctoritatis hier-

archicae seu affirmatio Christum more democratico Ecclesiam suam instituisse atque ipsi formam regiminis instituendam reliquisse, de facto conduxit *ad eversionem doctrinae et frustrationem finis supremi Ecclesiae,* sanctificationis dico. Iam vero Christus, utpote Legatus atque adeo Filius Dei, has sequelas funestas et praevidere debuit et cavere. Ergo non potuit Ecclesiae suae hanc formam organisationis tribuere. — *Maior* patet ex iis quae nostris maxime temporibus cernimus. Inde enim a negata auctoritate hierarchica saeculo XVI subiectivismus, individualismus, consequenter sensismus (theologia experientiae religiosae) invaserunt scholas protestanticas, quibus primo theoria, dein etiam praxis dissoluta est. Quaeras si placet, quotnam sint inter theologos, qui profiteantur filiationem divinam Iesu Christi sensu metaphysico. — Huc spectant, ut de aliis taceam, quindecim illae quaestiones, quas *A. v. Harnack* dirigit illis, qui contemnunt auctoritatem theologiae scientificae (Fünfzehn Fragen an die Verächter der wissenschaftlichen Theologie unter den Theologen: Die christliche Welt XXXVII [1923] p. 6 sqq.) atque extollunt sensismum, cui respondet in eodem periodico (p. 89 sqq.) *K. Barth.* Conferantur etiam illa, quae *P. Wernle,* ipse theologus liberalis, scribit in opere suo „Einführung in das theologische Studium" (Tübingen 1911, 2. ed.), e. g. p. 261 de critica V^{is} T^{i} liberali, quae decursu temporis intravit in ipsos commentarios orthodoxos.

Hinc deinde factum est, ut *media sanctificationis obiectiva* a Christo instituta paulatim omnia abrogata vel omissa sint, sacrificium missae et sacramenta usque ad baptismum. Ipsa *fundamenta* religionis christianae, ut redintegrationis et redemptionis, penitus diruta sunt. Undenam nomen multorum, qui se christianos vocant, nisi ex eo quod *aliquo modo* Christum sequuntur velut unum inter plures „classicos religionis"?

Ita actum est de unitate atque de universalitate atque de valore absoluto atque de indole supernaturali atque de ipsa essentia religionis christianae. Haec autem omnia sponte profluunt et necessitate quadam ex reiecta Ecclesiae auctoritate hierarchica.

Schol. 1. De organisatione religiosa populi Israel tempore Christi.

323. 1) Secundum libros Iudaeorum religiosos, canonicos et extracanonicos, Israel erat „populus Iahve", vinculo Foederis sinaitici Deo intime coniunctus, constitutus hierarchice, immo theocratice. Munera suprema, sacerdotium et regnum, a Deo condita erant, qui etiam determinabat, cuinam committenda essent. Prophetae porro omnes immediate a Deo vocabantur, ut essent ipsius legati, per quos regeret et plebem et reges et sacerdotes.

Post exsilium babylonicum, regia potestate exstincta, paulatim efformatum est *synedrium* (sanhedrin)[13], consilium aliquod supremum religioso-politicum, quod regebat Israel subiectum ditioni Persarum eorumque successorum. De *origine* quidem eius historice nil certi constat; licebit tamen conicere synedrium

ortum et formatum esse ex familiis principalibus et nobilibus, sacerdotalibus et laicis. Prima testimonia historica sunt ex tempore circiter 223—187. Post eversionem Urbis, anno 70 p. Chr., synedrio substitutum est „tribunal" iamniense *(Jabne)* cum patriarchatu iudaico.

Indoles synedrii erat *collegialis,* ita tamen ut summo sacerdoti iura quaedam monarchica competerent; erat enim huius collegii praeses. Eandem porro etiam tempore Christi pro *hierarchica* haberi probant verba Flavii Iosephi, quibus constitutionem populi sui, in oppositione ad monarchicam, oligarchicam, democraticam, vocat *theocraticam,* quia Deo summum regimen et potestatem supremam attribuat (Contra Apionem II 16; cf. n. 34). Indoles denique *aristocratica* elucet tum *ex nomine* (senatus, γερουσία, quod est nomen aristocraticum)[14], tum *ex compositione* (summi sacerdotes cum nobilitate sacerdotali et senioribus et principibus populi, et legisperiti seu scribae), tum *ex cooptatione.* Mischna hanc cooptationem supponit; Iosephus refert Herodem anno 47 a. Chr. omnes interfecisse, qui adstiterant synedrio, coram quo accusatus ipse apparuit (Ant. 14, 9 4), certe eo fine ut viros sibi deditos nominaret. Collegia similia, iudicialia vel simul administrativa (Bell. Iud. 4, 5, 4; 2, 20, 4 sqq.), non a populo statuuntur, sed ab auctoritate politico-religiosa Iudaeorum.

Summus Sacerdos praesidebat synedrio, tamquam summus *iudex* et simul praeditus summa potestate *politica;* postquam enim cum Archelao principatus herodianus in Iudaea cessit, „administratio quidem erat aristocratica, gentis vero praefectura pontificibus commissa erat" (ἡ προστασία τοῦ ἔθνους, *Ios.,* Ant. 20, 10; cf. 1 Mach. 14, 35). Summus pontificatus erat *hereditarius* atque etiam tempore herodiano et romano paucis familiis sacerdotalibus reservatus; de se etiam conferebatur *pro tempore vitae,* quia erat institutum hierarchicum.

324. 2) Praeter auctoritatem religioso-politicam universalem exsistebat alia *particularis,* singularum nempe *synagogarum* seu coetuum Iudaeorum localium. Licet de harum synagogarum constitutione parum sciamus, constat tamen eam correspondisse organisationi universali atque eiusdem fuisse indolis, nimirum aristocraticae et hierarchicae.

Abstrahendo a quaestionibus nondum solutis, num scilicet discrimen fuerit inter organisationem synagogarum Palaestinae et diasporae quae vocatur, porro inter constitutionem synagogarum politicam et religiosam, agimus de iis solis, quae certe omnibus sunt communia[15]. Auctoritas videlicet synagogalis religiosa erat

aristocratica; sicut ostendunt nomina (senatus seu γερουσία 1 Mach. 12, 6; Iudith 4, 8; seniores seu πρεσβύτεροι Iudith 6, 16 21; 8, 10; 10, 6; cf. 7, 23; ἄρχοντες Esdr. 8, 69, etc.; *Ios.*, Ant. 4, 8, 14; Bell. Iud. 2, 20, 5)[16]. Eandem fuisse *hierarchicam,* i. e. auctoritatem localem vel institutam vel confirmatam esse ab auctoritate universali hierosolymitana, nequit quidem probari cum certitudine, attamen rationibus aliquibus suadetur. Sunt autem rationes hae: (1) *Tota organisatio* Iudaeorum *religiosa* erat *theocratica* et centralistica, sicut modo ostendimus; ergo verisimile est organisationem localem analoge institutam esse, nisi contrarium positive demonstretur. — (2) *Fontes,* qui de auctoritate locali loquuntur, videntur supponere eam dependere ab auctoritate hierosolymitana; ita e. g. fragmenta *„operis sadokidici"* quod vocatur (Statuta Novi Foederis) hanc dependentiam statuunt atque organisationem centralem *(„castra")*[17]; Rabbi Iosua, qui fuit aequalis apostolis atque tempore Ecclesiae nascentis Hierosolymis docuit, aliquando missus est ab Urbe ad legisperitum quendam (rabbi), qui accusabatur, quod hospites flagellaverit. Culpa convictus reus eadem poena mulctatur[18]. — (3) Ratio denique validissima desumitur ex *indole „patriarchatus"* iudaici, qui post annum 70 p. Chr. vices fere egit synedrii temporis anteacti; hic autem patriarchatus erat auctoritas suprema, a qua locales non solum dependebant sed etiam instituebantur et deponebantur. Neque tamen idcirco negari oportet Iudaeos in diaspora degentes potuisse *eligere* praepositos synagogales; nam haec electio non est institutio.

Schol. 2. De excommunicatione Iudaeorum.

325. Quoniam Matth. 18, 17 sermo sit de excommunicatione, quaeri potest num similis poena usui fuerit inter Iudaeos.

1) Excommunicatio erat *poena* Iudaeis *nota* atque ab iis *adhibita.* Testis est ipse Christus, qui suis asseclis praedicit esse futurum ut ipsi eicerentur e synagoga („Absque synagoga facient vos: ἀποσυναγώγους", Io. 16, 2; sed hinc beati: „Beati eritis, cum vos oderint homines et separaverint vos: ἀφορίσωσιν . . ." Luc. 6, 22), sicut factum est caeco a nativitate, quem Christus sanavit (Io. 9, 34), et minati sunt inimici Christi omnibus eius asseclis (9, 22; 12, 42; cf. 7, 13). Ex quibus textibus apparet excommunicationem fuisse *poenam gravissimam,* exclusionem videlicet a bonis populi Dei. Porro elucet separationem hanc esse non a singulari aliquo coetu (synagoga), sed ab ipso Foedere et ab ipso Israel.

Huc spectant verba Pauli, quibus adhibet vocem *„anathema"*: 1 Cor. 16, 22: „Si quis non amat Dominum . . ., sit anathema!", et

Rom. 9, 3: „Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis . . .“ et Gal. 1, 9: „si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit!“ cf. 1, 8; forte huc etiam referendi sunt textus 1 Cor. 5, 5: „tradere huiusmodi satanae in interitum carnis“, et 1 Tim. 1, 20: „quos tradidi satanae, ut discant non blasphemare“.

2) Si quaeratur, *a quo infligebatur,* dicendum est certe ab auctoritate *suprema,* hierosolymitana, utpote poena ex natura sua primarie religiosa; vox igitur „synagoga“ in expressionibus allatis significat non solos coetus locales. Ioannes designat nomine „Iudaeorum“ eorum auctoritatem supremam, Christo infestam.

Praeterea autem etiam auctoritas *localis* singularum synagogarum idem ius exercuisse admittitur, utique vi et nomine potestatis universalis et centralis. Ita nempe tempore posteriore rabbini hanc poenam delinquentibus inflixerunt, auctoritate praediti patriarchatus iudaici, qui dein ratam eam habuit atque confirmavit.

Hisce tamen non prohibetur, quominus coetus seu *communitas* congregata *habeat partes* in infligenda poena excommunicationis, quo scilicet efficacius ceteros terreat. Ita egisse dicendus est Paulus, qui monet Corinthios, ut incestuosum (1 Cor. 5, 1 sqq.) tollant e medio suo, ecclesiae scilicet localis. Paulus quidem, licet absens, iam iudicavit talem hominem tradendum esse satanae in interitum carnis, ut salvetur anima; vult autem, ut membra ecclesiae (συναχθέντων ὑμῶν καὶ τοῦ ἐμοῦ πνεύματος 5, 4) secum sententiam proferant. Simile quid in synagogis Iudaeorum factum esse probabile est.

326. NOTAE. - **1** Praeter plura alia opera, quae egregie conceptus exponunt, hoc loco speciali commemoratione dignus videtur liber, quem conscripsit *Ph. Maroto,* Institutiones Iuris Canonici I (Matriti 1919) 823 sqq. — **2** *Ph. Maroto* l. c. 541 556. — **3** Ecclesiam esse societatem *perfectam* patet ex eo quod *auctor* huius societatis est Christus et Deus; *finis* eiusdem est summus, nulli alii subordinatus, religiosus nempe, ut scilicet per Ecclesiam tamquam per Christum permanentem in mundo homines participes fiant et doctrinae et redemptionis Christi itaque eleventur ad ordinem supernaturalem in nova oeconomia salutis et novo Regno Dei, quod vocatur Ecclesia Christi. *Media* porro ad hunc finem obtinendum ab ipso auctore divino huic societati provisa sunt, primarie videlicet religiosa et efficacia gratiae; alia autem, quae ipsi forte necessaria sint, iure suo exigere potest a societate civili, quae sub hoc respectu Ecclesiae est subordinata. — Atque haec, quae in tractatu de Iure Canonico probari solent, hisce breviter exposuisse satis erit. **4** De *voce* „hierarchiae“ scripsit *I. Stiglmayr* in Zeitschr. für kath. Theol. XXII (1898) 180 sqq.; — de *conceptu* hierarchiae plura composui in libro „Die Verfassung der Urkirche“ (Berlin 1923) 14 sqq.). Conferantur praeterea, quae modo succincto exponit *CIC* 107–109. **5** „Allerdings ist diese Rede an die Zwölf gerichtet, aber

nicht an sie als Apostel, sondern an sie als die derzeitige Jüngerschaft Jesu. als den Kern und Anfang seiner Gemeinde (cf. 16, 18); denn die ganze Rede sagt nichts von amtlicher Organisation der Gemeinde, von Über- und Unterordnung ihrer Glieder, vom Amt der Apostel, sondern nur von großen und kleinen, ehrgeizigen und demütigen, von verirrten und bei der Gemeinde gebliebenen, von Unrecht tuenden und leidenden Brüdern innerhalb der Jüngerschaft. Sollte in V. 18 den Aposteln eine mit ihrem amtlichen Auftrag verbundene gesetzgeberische oder richterliche Vollmacht innerhalb und über der Gemeinde zuerkannt werden, so konnte in V. 17 nicht, ohne die leiseste Andeutung ihrer Abhängigkeit von der Entscheidung der Apostel, der ἐκκλησία das endgültig entscheidende Wort zugeschrieben werden. . . . Vollends durch V. 19 f. wird jeder Versuch ausgeschlossen, in V. 18 eine besondere Ermächtigung der Apostel zu finden." *Th. Zahn**, Das Evangelium des Matthäus (²Leipzig 1905) 573; *idem* in Gesch. des neutest. Kanons II 677 nota 2. — Similiter *I. Köstlin**, artic. „Kirche" in Real-Enzyklop. für protest. Religion u. Kirche X³ 318 sq. — **6** Cf. artic. „Hochkirche" in Kirchenlexikon VI (³1889) 47 sqq.; *M. d'Herbigny*, Theologica de Ecclesia II 210; *P. Charles*, La robe sans couture. Un essai de luthéranisme catholique, la Haute Église allemande, Bruges 1923; cf. *I. Lebreton*, Études CLXXVII (1923) 319 sqq. — **7** „Was will die *Hochkirchliche Vereinigung?* (Heckelberg [Oberbarnim] 1922), p. 6: „Hierzu (ad fovendam nempe auctoritatem et augendum influxum Ecclesiae) erachtet sie die Durchführung der bischöflichen Verfassung, welche auch dem Geiste der Heiligen Schrift durchaus gemäß ist, für erforderlich." — **8** Optime *A. Michiels*, L'origine de l'épiscopat 48 sqq.; *Batiffol-Seppelt*, Urkirche und Katholizismus 87 sq.; *St. v. Dunin-Borkowski*, Die Kirche als Stiftung Jesu (p. 32 sq.), probat genuinitatem huius verbi Christi non ex conexione idearum, sed e contra ex eius defectu. Esse etenim morem Matthaei aliquando dicta Domini diversis locis et temporibus prolata, quippe quae de eadem re agant, in unum sermonem componere. „So bringt das 18. Kapitel verschiedene Lehren, welche sich besonders auf die Zwölf, ihre Rechte, Pflichten und Aussichten beziehen. Da paßte denn auch unser Auftrag gut hinein. Er steht unbefangen und still für sich, nur lose mit dem Vorhergehenden und gar nicht mit dem Folgenden zusammenhängend. Und eben darin liegt ein unschätzbares Zeugnis für seine Echtheit. Wäre der Text erfunden oder auch nur aufgeputzt worden, um die Machtstellung des Apostelkollegiums zu erhärten, so hätte man ihn nicht als einsamen Block mitten in eine fremdartige Umgebung versetzt; man hätte ihn als eins der wichtigsten Herrenworte gewiß nicht zu einem scheinbar nebensächlichen Anhängsel eines Moralausspruchs Christi gemacht. . . . Aber Matthäus schrieb diesen Text offenbar nieder ohne die geringste Absicht, einen Hauptpunkt der christlichen Verfassung durch ihn zu stützen und zu beweisen. Er berichtet einfach eine Tatsache." — **9** *H. I. Cladder*, Unsere Evangelien I (Friburgi 1919) 52; *idem*, Als die Zeit erfüllt war. Das Evangelium des hl. Matthäus dargelegt, ²/³Freiburg 1922. — **10** De explicatione singularum partium earumque inter se conexione disputari potest, utrum e. g. v. 8 sq. cum adiacentibus cohaereant nexu interno et logico an vero associativo et externo potius („Stichwortdisposition"); indoles tamen pastoralis totius sermonis negari nequit, et sub hoc respectu praeter unitatem externam unitas logica seu systematica admitti debet. Quam unitatem additam esse a Matthaeo ostendunt et forma stilistica (18, 5: ὃς ἐὰν . . .; 18, 8: εἰ δὲ . . . σου . . . . 18, 10: ὁρᾶτε μὴ. . ., 18, 12: τί ὑμῖν δοκεῖ; . . . 18, 15: ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ . . ., 18, 18: ἀμὴν λέγω ὑμῖν . . .) et textus correspondentes Marci 9, 33 sqq. et Lucae 9, 46 sqq. Cf. *Th. Soiron* O. F. M., Die Logia Jesu. Eine literarkrit. und literargeschichtl. Unter-

suchung zum synopt. Problem (Neutest. Abhandl. VI, 4. Heft [Münster 1916]) 65 sqq., qui contendit totum caput 18 explicare modo associativo: „Es folgt nun ein Beispiel von Stichwortdisposition, das außerhalb der großen Redekompositionen des Matthäusevangeliums steht und sich besonders deutlich als Ergebnis dieser Methode zu erkennen gibt" (p. 65). Versum 19 hoc modo associativo additum esse plurimi concedunt; attamen nexus logicus non excluditur; est enim sermo de potestate, quam Christus suis, in sua Ecclesia adunatis, tradit. Cf. *M.-J. Lagrange,* Évangile selon S. Matthieu 356. — **11** *G. Dalman*,* Die Worte Jesu I (Leipzig 1898) 175 sq.; *V. Brander,* Ist Binden und Lösen bei Matth. 16, 19 und 18, 18 ein rabbinischer Schulausdruck? (Katholik XCIV [1914 II] 116 sqq.); *K. Adam,* Zum außerkanonischen und kanonischen Sprachgebrauch von Binden und Lösen (Tübinger Theol. Quartalschr. XCVI [1914] 49 sqq. 161 sqq.); *M.-J. Lagrange* l. c. 328 sq.; *M. d'Herbigny,* Theol. de Ecclesia I 175 sqq. — De usu loquendi rabbinico cf. *Strack-Billerbeck,* Kommentar zum N. T. aus Talmud und Midrasch. I: Das Evangelium nach Matthäus (München 1922) 738 sqq. — **12** *Th. Zahn** l. c. 544 sqq., contendit expressiones aramaicas et consequenter verba Christi respicere non personas sed actus hominum, neque actus praeteritos sed futuros. Hinc Christum non loqui neque de excommunicatione (contra Dalman) neque de potestate remittendi peccata, quam veteres christiani inde fere ab initio ex hisce Christi verbis deduxerunt. Contra eum scripsit *V. Brander* l. c. (cf. notam praecedentem) et insuper: Binden und Lösen in der altsyrischen Kirche (Katholik XCV [1916] 220 sqq. 287 sqq.). — **13** *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes im Zeitalter Jesu Christi II[4] 237 sqq.; *I. Felten,* Neutest. Zeitgesch. I 293 sqq. — **14** „Geronten, Gerusia" in *Pauly-Wissowa,* Real-Enzyklop. der klass. Altertumswiss. VII (1912) 1264 sqq. — **15** *E. Schürer** (l. c. II[4] 498 sqq.; cf. III[4] 85 sqq.) contendit synagogas quidem palaestinenses aristocratice fuisse institutas, in diaspora vero aliquid organisationis democraticae intrasse, quod tamen res religiosas non attigerit. — *J. Juster** (Les Juifs dans l'empire Romain I 413 sqq.) autem putat communitates synagogales sibi ipsas quidem constituisse auctoritatem politicam et civilem, non vero religiosam, quae potius dependerit ab auctoritate centrali, palaestinensi. — **16** *I. Felten* l. c. I 288 sqq.; *H. Lietzmann** in Zeitschr. für wissensch. Theol. LV (1913) 124. — **17** De opere sadokidico cf. supra n. 63 70. Plura in hoc fragmento consideratione sane digna sunt, quoniam haud dissimilia videntur esse constitutioni Ecclesiae. Ipsa secta, separata ab Israel, propriam *communitatem religiosam* (et civilem?) efformavit, quae nomen *„Novi Foederis"* sibi imposuit. Forma dein huius Foederis est organisata. Vocat se „communitatem" seu *„castra";* eodem vero nomine etiam coetus *locales* videntur designati esse. Toti communitati omnibusque castris *praeest* supremus quidam *inspector* (ἐπίσκοπος? 14, 8 sqq.; citantur paginae manuscripti hebraici); singula itidem castra gubernantur ab inspectoribus localibus. Inspector et praepositus supremus est simul et magister et pastor suorum, recipit nova membra, leges fert, iudicat, punit, permittit et dirigit commercium cum „externis", omniaque administrat atque componit. Est igitur praeditus potestate vere *monarchica* et religioso-hierarchica. — Praeter hanc potestatem iurisdictionis alia occurrit, *sacerdotalis;* ex qua *divisio* populi derivatur: sacerdotes — levitae — Israelitae — proselyti (14, 3 sqq.). In unoquoque coetu sit sacerdos, cui *liber Foederis,* „Hegû", plane familiaris sit (13, 2 sqq.), qui etiam de lepra et de leprosorum separatione censebit. Porro mentio fit *tribunalis* localis, formati ex decem iudicibus, e quibus 4 generis levitici vel aaronici, 6 ex populo (10, 4 sqq.). — *Ritus receptionis* sollemnis adhibetur, iusiurandum, quo quis se obligat ad omnia praecepta rite observanda

(15, 5 sqq.; quodque pater praestat etiam pro filiis minorennibus?). — Tot similitudines quot differentiae cum organisatione christiana; apparet tamen quam clarissime indoles *hierarchica, theocratica,* quae ex V° T° ludaeis erat familiaris, paene dixeris necessaria ad veram religionem. — **18** *A. Schlatter**, Jochanan Ben Zakkai, der Zeitgenosse der Apostel (Beiträge zur Förderung christl. Theol. III, 4. Heft [1899] 28).

327. In praecedentibus assertionibus proxime quidem et immediate locuti sumus de *auctoritate,* quam Christus instituit atque suis apostolis commisit tamquam hierarchicam; simul autem et vi conceptus „auctoritatis", quae ex natura sua est potestas socialis, et expressis etiam verbis de *societate* religiosa plura disseruimus, de Regno scilicet Dei et de Ecclesia Christi. Constat nimirum ex iam expositis non solum eius exsistentia, sed, ut patet, etiam eius natura magna ex parte. Consentaneum igitur videtur esse, ut hoc loco nostrae inquisitionis paululum immorantes breviter ea complectamur, quae hucusque argumentis allatis constant, unde proponimus assertionem sequentem.

ASSERTIO 12. Christus instituit societatem visibilem, hierarchice constitutam, quam vocavit Ecclesiam suam.

328. *Finis* et scopus huius assertionis non est tantopere novis textibus nova argumenta proferre, sed, quae iam allata sunt, considerare sub respectu principali huius tractatus, *Ecclesiae* nempe. Resumimus itaque fere ea, quae in assertionibus antecedentibus latius absolvimus, quodam conspectu, sequentes imprimis evangelium Matthaei, quod vocarunt „evangelium catholicum seu ecclesiasticum". Plurima enim et praeclara de Ecclesiae constitutione habet.

De *sensu* assertionis dubium vix esse poterit, cum in praecedentibus conceptus et *societatis* et *hierarchiae* expositi sint; desideratur forte explicatio indolis *visibilis* Ecclesiae. De se quidem societas humana omnis debet esse visibilis; quia tamen inde a tempore reformationis invaluit idea „Ecclesiae invisibilis", quaeritur, in quonam sit visibilitas alicuius societatis.

329. *Protestantes* quidem non asserunt Ecclesiam esse sub omni respectu invisibilem. Licet enim Luther, „quis (interroget) Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in Spiritu et solum credatur, sicut dicitur: Credo Ecclesiam sanctam" (De abroganda missa privata), i. e. eam esse spiritualem et sola fide perceptibilem doceat, mox tamen protestantes ipsi *aliquam visibilitatem* Ecclesiae tribuebant (cf. B. Rob. Bellarmini De Controversiis christ. fidei t. II, l. 3, c. 11); immo *notas* quasdam verae Ecclesiae Christi statuunt, quae, si verae sint, ipsam aliquomodo saltem visibilem declarant, sive septem illae considerentur quas *Luther* statuit

(in libro De Conciliis et Ecclesia), sive duae quas indicat *Confessio Augustana* (art. 6): sinceram videlicet praedicationem evangelii et legitimam administrationem sacramentorum (cf. n. 548 sqq.).

Sed haec visibilitas, si forte *materialis* dici possit, certe non est ea, quae competat societati humanae formaliter ut tali quaeque *formalis* dicitur. Nam ecclesia, ait *B. Bellarminus* (l. c. c. 12), „est societas quaedam non angelorum neque animarum, sed hominum. Non autem dici potest societas hominum, nisi in externis et visibilibus signis consistat; nam non est societas, nisi se agnoscant ii, qui dicuntur socii; non autem se possunt homines agnoscere, nisi societatis vincula sint externa et visibilia. Et confirmatur ex more omnium humanarum societatum. . . ."

Hisce iam verbis *visibilitas formalis* societatis optime describitur. Est enim — in oppositione ad *materialem,* improprie dictam et potius negativam, quae asserit non ipsam societatem esse visibilem, sed homines, *qui* (non qua) eam constituunt, esse visibiles — in eo, ut ipsa *societas qua talis,* videlicet ut coniunctio et conspiratio plurium, sit visibilis. Hinc *finis* socialis debet esse aliqua saltem ratione visibilis (e. g. religiosus, cultus scilicet Dei, externus); qui intendatur *mediis* socialibus, i. e. non mere internis (e. g. ritibus externis ut sacrificio et sacramentis). Ipsa deinde *coniunctio* et *conspiratio* debet esse visibilis, quatenus membra societatis sciant se appetere finem socialem atque cum aliis cooperari ad eum obtinendum. Porro *membra* ut talia debent posse cognosci certis signis (externis), scilicet imprimis actu et *ritu receptionis* (e. g. baptismi), vi cuius in *albis* societatis inseruntur, et *actibus socialibus,* quibus finem communem prosequuntur (e. g. professione fidei vel receptione sacramentorum). *Auctoritas* denique ut talis debet esse visibilis, persona scilicet humana, vel physica vel moralis, de cuius potestate ex visibili institutione constat et quae dirigit membra societatis in finem communem (e. g. episcopus).

Non autem requiritur, ut societas sit *sub omni respectu* visibilis; Ecclesiae finis supremus est sanctificatio hominis interna, participatio scilicet redemptionis Christi, qui tamen obtinetur modo sociali mediis externis gratiae. Gratia et iustificatio sunt in se prorsus internae, animae intime insitae; hinc ratione huius sanctificationis Ecclesia non est visibilis; est autem ratione mediorum, quibus hic effectus internus obtinetur.

Multo minus requiritur, ut societas omnis sit publica et omnibus nota; sunt etenim verae societates etiam *occultae* vel *anonymae,* quarum quidem membra aliis vel etiam forte ipsis sociis sint incognita, attamen signis quibusdam cognosci queant et saltem auctoritati supremae cognita sint. Ita fuit temporibus primis religionis christianae, aetate scilicet persecutionum, qua vigebat magna ex parte „disciplina arcani" quae dicitur, atque christiani ritus sub velo mysterii tegebantur.

330. Christus autem instituit suam Ecclesiam non solum ut societatem veram seu visibilem et externam, sed eidem dedit ipse formam determinatam, *hierarchicam* nempe, sub auctoritate apostolorum, quibus suam propriam auctoritatem tribuit ad regendam hanc societatem salutiferam et religiosam. Iam patet hac indole hierarchica visibilitatem Ecclesiae eo magis atque clarius exprimi; nam ita constat Christum non voluisse quamcumque unionem fortasse mere internam eorum, qui ipsum sequuntur, sed coetum asseclarum, qui certis personis subiecti prosequantur fines religiosos modo a Christo praefixo. Ita Ecclesiam suam instituit.

Institutionem autem Ecclesiae ita intellegimus, ut distinguamus inter *praeparationem* et *formalem* iuridicamque *institutionem*. *Praeparabat* enim Christus suam Ecclesiam tempore vitae eo quod voluntate sua absoluta fundamenta posuerit futurae societatis, scilicet *creando potestates et munera,* quae deinceps ab apostolis administrarentur, et edendo voluntatem suam, ut apostoli his potestatibus praediti istam societatem praedicarent. Morte sua dein Vetus Foedus abrogatum, nova oeconomia salutis *condita* est. Post adventum denique Spiritus Sancti ex voluntate Christi praedicatione apostolorum prima membra collecta atque baptismo in Ecclesiam recepta sunt. Inde Ecclesia Christi *formaliter* exsistit.

Et hoc quidem *parte priore* ostendendum erit; in *parte* dein *altera* videamus, num nomen „Ecclesiae" ab ipso Christo societati religiosae, quam condidit, inditum sit.

I. Christus instituit Ecclesiam ut societatem visibilem hierarchicam.

Matthaei principalis finis est in eo, ut ostendat Iesum Nazarenum esse verum Messiam a Deo promissum et ab Israel exspectatum; hinc etiam Regnum Dei et plenitudinem salutis iamiam advenisse. Et quamvis Israel „signa temporum" (16, 3) non intellexerit atque Messiam suum reiecerit, ipsum tamen Regnum messianicum fundatum est super novo fundamento; nam consilia Dei irrita fieri non possunt. Hoc autem Regnum messianicum seu Regnum Dei novum est Ecclesia, fundata super Petrum, propagata per apostolos, atque eo tempore, quo Matthaeus scribit, iam dilatata usque ad terminos fere terrae[1]. — Iam ad singula.

331. 1. Pars prior: Christi doctrina de Regno Dei et praeparatio fundationis Ecclesiae (Matth. 4, 17—16, 12).

a) Christus *annuntiat* Regnum Dei, quod ab auditoribus necessario intellegebatur ut *communitas sacra et religiosa,* ad instar

Veteris Foederis, quod Iahve cum populo suo Israel pepigerat *(Ass. 1—3)*; est igitur vera aliqua *societas religiosa,* similis V^{i} T^{o}, iis exceptis quae Christus ipse diserte excipit et aliter in novo Regno (messianico) se habere docet.

Et plura quidem eaque Veteri Foederi essentialia (ideam Regni Dei particularis, nationalis, politici) atque adeo ipsum Vetus Foedus (ut promissionem atque praeparationem Novi Foederis) abrogat; *indolem* tamen *externam* Regni Dei non modo non negat, sed etiam agnoscit plurimisque expressionibus verbisque docet *(Ass. 4—8)*.

b) Simul autem *praeparat* Christus, cum praevideat Iudaeos eum non recepturos esse, Regnum suum novum; *vocat* enim et *eligit* ex iis qui eum sequuntur quosdam, numero duodecim, ad sequelam quandam particularem, continuam et intimam *(Ass. 9)*.

Hos iam Duodecim, quos ipse nominavit „apostolos" seu legatos suos, qui proinde suum ipsius opus messianicum continuabunt, *instruit* prae ceteris auditoribus suis de Regni Dei natura (Matth. 13), de relatione huius novi Regni ad V^{us} T^{um} (*Ass. 7;* cf. Matth. 5; 9; 12; 15 sq.), ducit ad agnoscendam suam messianitatem (miraculis imprimis; 8; 9) et divinitatem (11, 25 sqq.; 14, 33; 16, 13 sqq.), iisque tradit suam auctoritatem regiam et *potestatem socialem (Ass. 11)*.

Adumbrat dein iam tum Regnum suum futurum; nam Matth. 9, 35 sqq. Duodecim eliguntur in cooperatores Christi et pastores populi, loco illorum qui officio suo deerant. Ita indicatur *organisatio* quaedam similis veteri Israel. Haec dein aliquomodo *describitur* in fine sermonis, quem Christus hac occasione habet discipulis suis, quos nunc primum mittit ad missionem praeviam, Matth. 10, 40 sqq. Versibus antecedentibus (34 sqq.) ipse solvit vincula omnia, quae hominem a sua sequela impedire possunt; non enim venit mittere pacem in terram sed gladium, scindens et separans filios a parentibus; immo inimici aliquando erunt homini ipsi domestici, sanguine iuncti et cognati maxime familiares, propter Christum. Quin immo ipsam vitam impendere debebit discipulus pro Christo neque formidare mortem turpissimam crucis: „qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus!" (10, 38.)

Sed sequela Christi non est sola et mera negatio; *nova vincula* loco veterum nectuntur, fortissima, intima, vere divina. Qui ipsum sequuntur, in eius quodammodo familiam (12, 49 sq.) et familiaritatem intrant; ipse est caput, cum quo omnes uniuntur, ita quidem ut eius personam gerant: „Qui recipit vos, me recipit!" (10, 40.) Legatus Dei, qui praeditus est potestate omnimoda

(11, 27), potest praemiare illos, qui apostolos suos et prophetas suscipiunt non solum ut hospites sed ut Christi legatos (10, 41). Porro mercedem accipiet, qui iustum aliquem Novi Regni, eo titulo quod Christi doctrinam et vitae rationem sequatur, suscipit; quin etiam omne beneficium, praestitum discipulo eo quod sit Christi, mercede non carebit: „Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: amen, dico vobis, non perdet mercedem suam!“ (10, 42.) Ita iam delineatur intima illa coniunctio inter caput et membra, quam a Paulo „corpus Christi“ vocari cernimus (1 Cor. 12, 27 sq.: cf. n. 404 sqq. 928 sqq.).

Praeludium quoddam illius operationis, quam apostoli postea exercebunt, videri potest in duplici multiplicatione panum miraculosa (Matth. 14, 19; 15, 36), quatenus ipse quidem Christus panibus benedixit; at benedictos tradidit discipulis suis, qui eos populo distribuerent, diaconi quodammodo facti Christi (cf. Act. 6, 1 sqq.); iidem porro apostoli iubente Christo faciebant turbas „discumbere per convivia quinquagenos“, sicut narrat Lucas (9, 14), ipsi dein colligunt fragmenta quae supererant (Matth. 14, 20; 16, 9 sq.). Christi itaque nomine Christi vices gerunt.

Pericopa media: promissio primatus, Matth. 16, 13—20.

332. Christus reiectus a populo, qui eum pro propheta quidem, sed non pro Filio Dei, immo ne pro Messia quidem habet (16, 14), *novum fundamentum* sui Regni, messianici, ponit, promittens Simoni *primatum* (16, 18 sq.); scilicet fundabit „Ecclesiam“ — hoc loco primum haec vox occurrit — super Petrum, igitur communitatem similem veteri Israel, societatem scilicet religiosam, quam diserte aequiparat „Regno Dei“ (16, 18 et 19). Coetus autem hic erit novus, super novo fundamento, auctoritate regendus divina, quam in eo et super eum exercebit Simon Petrus tamquam vicarius Christi (cf. *Ass. 14,* n. 362 sqq.), i. e. auctoritate hierarchica. Hac sola proinde pericopa probatur et exsistentia societatis religiosae a Christo fundatae et eius indoles tum visibilis (sicut qehal Iahve V^{is} T^{i}; insuper aedificata super visibili fundamento) tum hierarchica. Luce huius textus deinde omnes alii, immo tota pars evangelii altera intelleguntur.

2. Pars altera: instructio et institutio de Ecclesia.

333. a) Summa capita huius partis quodammodo correspondent sectionibus maioribus partis prioris; scilicet sermoni montano, qui est fundamentalis, correspondet *instructio de cruce et passione et resurrectione* Iesu Christi, seu aliis verbis, de fundamento proprio, super quo Novum Foedus erigitur, sacrificio

scilicet vitae Filii Dei (Matth. 20, 28) expiatorio et placatorio, redemptione mundi. In quo Regnum Dei perfectissime constituitur, largitione gratiae divinae, subiectione sub voluntate Dei, quae utraque invenitur proxime et primarie in Christo, auctore Regni Dei, dein vero in ipso Regno messianico a se fundato, quatenus est corpus Christi et continuatio perpetua sui operis. Mortem autem Christi apostolis suis, qui eum ut Messiam quidem et Dei Filium cognoverunt et agnoverunt (16, 13 sqq.), attamen nondum „sapiebant quae Dei sunt" (16, 23), mysterium fuisse atque ansam tristitiae (17, 23) facile intellegitur. Nihilominus hanc legem crucis, constitutivam quodam sensu in Ecclesia Christi et nova oeconomia salutis, nosse, discere, intellegere oportebat saltem eos, quibus Christus hanc Ecclesiam commissurus erat; pro aliis valet interim verbum, quod suis dicebat post promissionem Petro factam: „Tunc praecepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Christus" (*Vg:* Iesus Christus; 16, 20). Apostolis suis iam omnia dicuntur, quae agunt de Ecclesia deque eius natura, fundatione, administratione.

b) Idem apparet in secunda sectione partis alterius, in *instructionibus* nempe, quae apostolos inducant in *indolem Ecclesiae* atque muneris ab ipsis in hac Ecclesia exercendi (Matth. 18, 1 ad 20, 28), quae correspondet aliquo modo sermoni capitis 10 apostolico. Proxime quidem solum caput 18 agit de auctoritate apostolica deque cura pastorali; alia, quae sequuntur, magis in genere respiciunt perfectionem christianam, licet sat multa dicta videantur esse apostolis peculiari ratione (cf. supra n. 319); caritas, castitas et virginitas, paupertas, humilitas, hisce fere absolvuntur virtutes christianae et apostolicae illae, quibus imprimis apostolum ornari opus est (cf. 18, 23 sqq.; 19, 10 sqq.; 19, 27 sqq.; 20, 21 sqq.).

c) Tertia denique sectio (Matth. 20, 29 sqq.— 25, 46), quae continet *iter* hierosolymitanum (20, 29 sqq.), *disceptationes altercationesque* Christi cum inimicis suis Hierosolymis habitas (21, 1 ad 22, 46 vel 23, 39), *apocalypsim* eschatologicam (24, 1—25, 46), dici potest congruere sermonibus et instructionibus, quas Christus habuit in Galilaea, eo potissimum discrimine, ut pharisaeis et sadducaeis locutus sit potius de sorte infelici Israel quam de Regno Dei novo; sermo autem apocalypticus dirigebatur apostolis.

d) Post relationem passionis et mortis Christi (26, 1—27, 50) Matthaeus breviter narrat eius triumphum, scilicet *resurrectionem* Christi, qua ipse, rex et legatus et Filius Dei, omnes suos hostes vicerit (27, 51—28, 15), et ultimam *missionem* apostolorum (28, 16—20), qua Ecclesia Christi iamiam aedificaretur opere apo-

stolorum. Pauca sane sed gravissima sunt verba, quibus complectitur Christus ea, quae de sua *persona* revelaverat (imprimis 11, 25 sqq. et 16, 13 sqq.) — est etenim vere Filius Dei (28, 19) et hinc praeditus omni potestate in caelis et in terris (28, 18), — et ea, quae spectant *Regnum* suum messianicum seu Ecclesiam; nam apostoli undecim (28, 16) a Christo vi suae potestatis divinae mittuntur ad universas gentes omnesque homines, ut omnes suam admittant doctrinam, suis oboediant praeceptis, suo se aggregent Regno, Ecclesiae scilicet, ritu initiali baptismi itaque constituant coetum religiosum et sacrum sub auctoritate apostolorum. „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi!" (28, 20.)

Ita evangelium Matthaei, evangelium videlicet Messiae et Regni messianici, evangelium „ecclesiasticum et catholicum", ut aiunt; clare enim circumscribit Ecclesiam ut fundationem Christi, ut societatem visibilem et hierarchicam, qualem scilicet ipse Christus voluerit.

334. *Alii* iam *evangelistae,* si non aeque diserte de Ecclesia loquuntur ac Matthaeus, eandem tamen notionem de Christo Messia et Filio Dei deque eius Regno exhibent; sufficit remittere ad respectivas assertiones, quae praeter textus ex evangelio Matthaei depromptos aliorum evangelistarum verba exhibent. Unius *Ioannis* testimonium conspectu brevi, si placet, exhibeatur, quo eiusdem cum evangelistis synopticis consensus appareat.

Etiam *secundum Ioannem Christus* describit *Regnum* suum tamquam messianicum atque impletionem promissionum populo Israel a Deo datarum, quod ut tale Veteri Foederi substituatur *(Ass. 7)* et sicut illud sit societas religiosa externa *(Ass. 4—6).* Licet *ipse Christus* sit Filius Dei, Patri aequalis (1, 1 sqq. et passim), tamen pro mundi salute descendit de caelis (1, 14; 3, 13 sqq. etc.), ut de eius plenitudine omnes acciperent (1, 16). Quem ob finem collegit *discipulos* (1, 35 sqq.), e quibus elegit *Duodecim* (cf. 6, 70), quos missionis suae et operis sui vicarios constituit (4, 38; 13, 13 sqq.), plenissime *instruit* et factis (e. g. miraculis 2, 11) et verbis (e. g. in ultima coena 13, 1 sqq.), quos demum *mittit* post resurrectionem suam: „Sicut misit me Pater, ego mitto vos!" (20, 21.) Quaenam sit haec *missio,* quinam eius finis, quaenam eius forma, Christus expressit in oratione, quae sacerdotalis dici solet (17, 1 sqq.). Opus, quod Pater Filio dedit exsequendum, Christus consummavit (17, 2 sqq.). Nunc iam discipuli eius, qui credunt eius divinitatem et missionem messianicam (17, 8), opus istud continuabunt; nam sicut Christus missus

est in mundum, ita vicissim mittit discipulos suos in mundum (17, 18), qui verbum Christi praedicantes colligant eos qui „credituri sunt" (17, 20). Hinc petit a Patre, „ut omnes sint unum" vinculo caritatis, quae redundans ex Christo et Deo (17, 24) omnes Christi asseclas „consummet in unum" (17, 23), „ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis!" (17, 26), et in vinculo oboedientiae erga pastores, qui vice Christi, summi pastoris (10, 7 sqq.), pascent gregem eius (21, 15 sqq.; cf. *Ass. 14,* n. 372 sqq.).

Quibus clarissime depingitur societas nova Iesu Christi, religiosa, *organisatio* simul, quae commissa est discipulis duodecim, et *organismus,* qui vitam omnem haurit ex coniunctione cum Christo, cui singula membra inseruntur — regeneratione interna et supernaturali, virtute scilicet Spiritus Sancti in ritu initiali baptismi (3, 3 sq.) — tamquam palmites viti vivo et vivificanti (15, 1 sqq.).

II. Christus vocavit hanc societatem Ecclesiam suam.

335. Haec pars nova argumenta proprie non affert, sed tantummodo unum ex nominibus, quibus ipse Christus societatem a se fundatam nominavit (Regnum, grex, sagena, nuptiale convivium, templum, domus, populus, familia . . . cf. *Ass. 5,* n. 146), peculiari considerationi subicit, *nomen* scilicet *Ecclesiae. Finis* huius considerationis est in eo ut (1) etiam clarius constet de *Christi intentione,* qua fundavit Regnum suum messianicum, scilicet de indole *sociali* et *visibili* et hierarchica huius Regni Christi, quia vox „Ecclesiae" est sollemne nomen veteris theocratiae et hierarchiae, et (2) explicetur, quantum fontes nostri permittunt, curnam hoc *nomen* prae ceteris factum sit *universale* et *proprium* iam in Ecclesia primitiva; ratio autem principalis huius facti est in eo quod ipse auctor et fundator religionis christianae hoc nomine usus sit, atque societatem a se fundatam „Ecclesiam suam" vocaverit. Nostrum igitur est ostendere hoc nomen, vel eius primigenium aramaicum, historice Christo adscribi debere.

Procedimus ita ut prius usum vocis ecclesiae perstringamus, deinde ad nostram quaestionem historicam accedamus.

1. De voce Ecclesiae.

336. a) In *usu profano* Graeci hoc nomine utebantur ad designandam contionem populi (δῆμος), scilicet eius convocationem (per praeconem, κῆρυξ) et congregationem ad comitia agenda de rebus publicis civitatis liberae. Sensus „electionis" non deest huic nomini; nam soli cives „evocantur" a praecone, ut iuribus suis supremis utantur[2]. Idem nomen adhibetur ad designandam contionem civium ali-

cuius urbis, quae non sit sui iuris et plene autonoma, e. g. Ephesi: tempore quo Paulus ibi praedicabat argentarii commoverunt plebem ita, ut in theatro conveniret ad „ecclesiam confusam" (συνκεχυμένη Act. 19, 32; cf. συστροφή 19, 40) seu tumultuosam, cui opponitur „legitima" (ἔννομος 19, 39), ab auctoritate scilicet legitima convocata[3].

b) Usus in V^{is} T^{i} documentis. In lingua *hebraica* occurrunt duae expressiones, quae designant populum Israel tamquam Iahvè sacrum et societatem religiosam, qahal (קָהָל) et ʿedah (עֵדָה). Utraque significat vel *conventum* populi ad determinatum aliquem finem, e. g. ad celebranda festa, vel *communitatem* ipsam, coetum populi Israel sensu theocratico. Differentia aliqua eatenus observari licet, quatenus ʿedah potius in libris prioribus, qahal potius in libris posterioribus adhibeatur. *Versio graeca* alexandrina duas item praebet expressiones: synagoga (συναγωγή) et ecclesia (ἐκκλησία), ea quidem lege, ut *ʿedah* reddatur per vocem *synagoga,* et quidem exclusive, *qahal* vero sit ecclesia et synagoga et aliquando synedrium (συνέδριον)[4]; praevalet tamen in libris iunioribus ecclesia. Porro *kahal = ecclesia* paulatim restringebatur ad *coetum sacrum* Israel, sensu universali maxime sollemni; *synagogae* autem pari gressu vocabantur *singulae communitates* Iudaeorum religiosae *locales*[5]. Speciali mentione dignae videntur esse expressiones sequentes: συναγωγὴ κυρίου (Num. 20, 4: 27, 17; 31, 16. Ps. 73 [74], 2: συναγωγή σου) et ἐκκλησία κυρίου (Deut. 23, 2 3 4 9. 1 Par. 28, 8. Mich. 2, 5).

In lingua *aramaica,* quae tempore Christi in Palaestina in usu erat, occurrunt item duae expressiones, quarum altera qehala (קְהָלָא) correspondet qahal = ecclesia, altera (simul forte cum ʿidta עִדְתָּא)[6] qenischta (כְּנִישְׁתָּא) potius ʿedah; graece qehala redditur ἐκκλησία, kenischta συναγωγή; prior vox sensu potius universali, altera sensu particulari, de locali coetu Iudaeorum[7].

c) *Usus christianus.* Ecclesia (ἐκκλησία) in *evangeliis* non occurrit nisi duobus locis: Matth. 16, 18: 18, 17; in *Actibus* apostolorum invenitur in sermone Stephani (7, 38; cf. Hebr. 2, 12 = Ps. 22, 23) de religiosa communitate *Israel;* de societate vero *christianorum* sensu duplici: altero nimirum *universali* (5, 11: 12, 1: 20, 28: ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ), altero vero sensu *locali* (8, 1: ἡ ἐκκλησία ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις; 9, 31 numero plurali; 14, 23: πρεσβύτεροι κατ' ἐκκλησίαν; 20, 17: presbyteri ecclesiae ephesinae). Vox autem synagogae in Actibus de christianis non habetur, neque pro coetibus particularibus[9].

Ante evangelia et ante Actus *epistulae paulinae* adhibent nomen ecclesiae, et quidem saepissime, plus quam sexagies. Longum

est omnes textus recensere; sufficiat potius principales sensus, quibus Paulus hanc vocem applicat, paucis exponere[8]. Sensu scilicet *activo* ecclesia significat *conventum* seu collectionem christianorum (e. g. 1 Cor. 14, 23); aliquando conotatur talem fidelium conventum regulariter fieri (1 Cor. 11, 18); sensu dein *passivo* vocatur ecclesia et coetus *localis* alicuius civitatis (e. g. 1 Thess. 1, 1 et ita saepe, etiam numero plurali, e. g. 2, 14; 1 Cor. 7, 17 etc.) et primarie coetus *universalis* omnium christianorum (e. g. 1 Cor. 15, 9: ecclesia Dei, maxime in epistula ad Ephesios) vel in certa aliqua domo (*Hausgemeinde:* 1 Cor. 16, 19. Rom. 16, 5. Col. 4, 15. Philem. 2).

In *reliquis* N^i T^i libris vox Ecclesiae, si excipias Apocalypsim Ioannis, in qua vicies occurrit sensu particulari, raro adhibetur, scilicet Iac. 5, 14 (οἱ πρεσβύτεροι τῆς ἐκκλησίας), 3 Io. 6 9 10. Inde etiam elucet, quanta cautione opus sit ad formandum argumentum e silentio quod vocatur; illo enim tempore, quo epistulae Petri, Iacobi, Iudae, Ioannis — idem valet de evangeliis — scribebantur, vox ecclesiae iam dudum erat communissimum, fere unicum nomen religionis christianae, neque tamen nisi raro adhibetur.

Vox e contra *synagogae* invenitur quidem saepe et in quattuor *evangeliis* et in *Actibus,* sed semper ad designandos coetus *Iudaeorum* (cf. προσευχή Act. 16, 13) locales, qui in *Apocalypsi* (2, 9; 3, 9) vocantur „synagogae satanae“ [10]; tantopere iam tunc usus loquendi distinguebat ecclesias christianas a synagogis iudaicis, e quibus tamquam e fontibus persecutiones christianorum prorumpebant. Unica exceptio est Iac. 2, 2 (συναγωγὴ ὑμῶν). Haec divisio deinceps manebat fixa; exstat quidem testimonium *Epiphanii* (Haer. 30, 18) iudaeochristianos conventus suos vocasse synagogas; marcionitae quoque ecclesias suas vocasse videntur aliquando synagogas [11]; at hae sunt exceptiones rarissimae, quae assertum non infringunt: „ecclesiam“ factam esse inde fere ab initio nomen proprium coetus christiani (cf. Act. 12, 1: οἱ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας).

Quaeritur igitur, unde haec huius nominis praerogativa.

2. Nomen Ecclesiae ad ipsum Christum ut auctorem reducitur.

337. *Adversantur* huic assertioni plurimi protestantes critici, e quibus aliqui in assertione sequenti recensebuntur [12]. Sunt videlicet iidem, qui contendunt vel Christum exspectasse finem huius mundi iam instare (eschatologistae) vel eum cogitasse Regnum Dei mere internum (cf. *Ass. 4,* n. 121 sqq. et *5,* n. 143 sqq.). His utique concedi potest Christum, *si* noluerit coetum externum suorum condere, neque ipsi nomen proprium,

Ecclesiae nempe, indidisse. *Sed condicio neganda est;* ostendimus enim assertionibus praecedentibus *Christum* secundum testimonium unanime et constans evangeliorum, cui, ut postea exponetur, accedunt alii fontes christiani omnes, et voluisse et praeparasse et instituisse societatem aliquam religiosam externam et visibilem, quam vocavit et Regnum Dei, quo nomine scilicet innueretur nexus organicus cum theocratia Veteris Testamenti, et Ecclesiam suam, quae est impletio vaticiniorum et typorum Veteris Testamenti.

Utrumque nomen aptissimum est, quo indoles Regni novi, messianici nempe, exprimatur. Quoniam de sensu vocis Regni Dei iam actum sit (cf. n. 22 sqq.), restat ut de altero nomine, Ecclesiae nimirum, pauca addamus.

338. a) Ex dictis iam patet rationem principalem, ob quam negatur Christum ipsum hoc nomine coetum fidelium designasse, deficere; Christus enim de facto voluit condere societatem visibilem religiosam. Hinc pronum erat ei dare nomen, quod et relationem ad Vetus Foedus et indolem eius religiosam simul atque externam et finem eius universalem indicaret. Iamvero *nullum nomen aptius* est, quod haec omnia complectatur, quam nomen ecclesiae[13]. Hoc solo nomine Christus et suam missionem ut messianicam, et suum opus ut vere divinum, et suam religionem ut ultimam et absolutam, et coetum suorum ut organisationem externam et universalem et perennem manifestat. Ita auditores Christi, imprimis eius apostoli debuerunt hanc vocem intellegere vocem sacram, antiquorum patrum usu augustam, magnalibus divinis exaltatam. Atque istud eo magis *in occasione*, qua primuma Matthaeo refertur, scilicet in confessione messianitatis et divinitatis Christi sollemni, quam Petrus profert. Confessioni sollemni sollemnia enimvero correspondent verba Christi, quibus beatum praedicat discipulum, quibus dein super ipsum, tamquam petram durissimam et fortissimam, aedificaturum se promittit „Ecclesiam suam" (cf. qehal Iahve); est etenim ipse Deus, Filius Dei, consubstantialis Patri. In hoc contextu vox Ecclesiae, paene dixeris, est necessaria, apprime conveniens ideae, quam Christus suis exprimere voluit.

Immo addit explicationem; cum enim Ecclesiam suam *aequiparet Regno caelorum* (16, 19), quod regnum alibi dixerat Regnum *suum* (13, 41), cuius regimen ipse obtinet et obtinebit in iudicio ultimo (25, 31 sqq.), plane intellegitur, curnam possit loqui de *Ecclesia sua,* quam aedificabit super Petrum.

Si proinde facta, quae refert Matthaeus vel sola gravissima et fundamentalia, sint historica, si ideas exprimit Christi, hae continent *conceptum* Ecclesiae ac proinde ipsum *nomen* ut historicum, a Christo scilicet societati a se fundatae inditum.

339. b) Accedit, ut ratio *positiva,* non solum testimonium Matthaei — nam de *genuinitate litteraria:* verba scilicet illa 16, 18 et 18, 17 inde ab initio inserta esse evangelio ab ipso auctore (Matthaeo), hodie minor est disceptatio; cf. assertionem sequentem, n. 345 sqq. — sed persuasio et *consensus totius Ecclesiae primitivae,* quae inde a primordiis nomen Ecclesiae sibi vindicavit, in oppositione ad Iudaeorum synagogam, ut proprium; et primario quidem, quia teste Matthaeo ab ipso Christo nomen sibi inditum existimavit. Hoc autem testimonium nullatenus infringitur, neque fictione „theologiae primitivae" ecclesiae hierosolymitanae; de qua plura in *Ass. 13,* n. 358 sqq.

Verum quidem est nomen Ecclesiae *optime* esse *electum,* sicut modo dictum est, notum scilicet et Iudaeis et ethnicis, revocans in memoriam Foedus Vetus eiusque beneficia et praerogativas, assonans ad vocationem christianam (κλητοί) atque electionem christianorum (evocatio, ἐκκλησία); sed haec omnia non probant christianos demum hoc nomen sibi invenisse; multo minus idem probat *usus* huius nominis christianis mox *reservatus;* nam quaeritur, quinam factum sit, quod christiani usurpaverint tanta tenacitate hanc appellationem, ut Iudaei eidem renuntiare cogerentur. — Aliae difficultates sunt etiam minoris ponderis, ut si praetendunt Christum non potuisse loqui de *Ecclesia „aedificanda";* nam ita duas metaphoras inter se commisceri. — *At* responsum obvium est et invenitur iam in modo loquendi V^{is} T^{i}. Ecclesia Israel saepe vocatur „domus" Israel (οἶκος); inde iam facilis aditus patet ad verbum aedificare (οἰκοδομεῖν). Hoc eodem sensu atque hac eadem comparatione dicit Ieremias (31, 4): „Rursumque aedificabo te, et aedificaberis, virgo Israel!" (οἰκοδομήσω σε, καὶ οἰκοδομηθήσῃ παρθένος Ἰσραήλ). Plura alia in assertione sequenti.

Hinc nil mirum, quod *Paulus,* qui profitetur se accepisse traditionem christianam, iam in prima sua epistula, quam circa annum 50 scripsit Thessalonicensibus, loquitur de „ecclesia" Thessalonicensium (1, 1), sensu *locali,* i. e. secundario, et de „*ecclesiis* Dei, quae sunt in Iudaea in Christo Iesu" (2, 14). Ex quo textu constat hoc nomen Paulo et eius lectoribus fuisse familiare, exstitisse ante Paulum in primis coetibus christianis, et quidem ut nomen proprium et sollemne. Aliae vero appellationes, ut Regnum Dei (βασιλεία) vel fraternitas (ἀδελφότης 1 Petri 2, 17; 5, 9), licet de se aptae, in usum communem non transierunt.

340. c) Alia quaestio est, quaenam *vox aramaica* correspondeat expressioni graecae „Ecclesiae". Christus enim aramaice locutus est. Qua de re sunt plures sententiae, magis minusve probabiles. Et alii quidem praeferunt vocem qehala, alii autem kenischta [14].

Rationes, quae vocem *kenischta* commendant, collegit *Th. Zahn*[15]: scilicet (1) *iudaeochristianos* usos esse hac appellatione ad designandos et conventus suos et fortasse etiam aedes his conventibus destinatas. — *At* iure opponitur hoc testimonium, ex tempore Epiphanii, valere pro solis iudaeochristianis regionis trans Iordanem, ubi forte influxus particulares hunc morem foverint.

(2) *Versio syro-palaestinensis,* nobis in lectionariis servata, utroque loco, Matth. 16, 18 et 18, 17, praebet kenischta; multo igitur probabilius esse Christum hac voce usum esse. — *At* haec ratio iam inde infirmatur, quod syro-palaestinensis est versio syriaca ex graeca, non vero derivatur ex Matthaeo primigenio semitico; dein orta est non ante annum 400; porro eius patria videtur esse non Palaestina, sed Syria, fortasse Antiochia; denique versiones syriacae priores non habent kenischta, sed Curetonius legit utroque loco ʿidta (עִדְתָּא), sinaiticus autem 18, 17 kenuschta (כְּנוּשְׁתָּא), 18, 20 kenischin (כְּנִישִׁין; συνηγμένοι): alter textus, Matth. 16, 18, deest cum folio integro, quod continebat Matth. 16, 15—17, 11. Nullus igitur consensus inter versiones ipsas syriacas.

(3) Kenischta porro (synagoga) assonat ad kenischin in versu 20 (συναγωγή — συνηγμένοι) atque versuum 17 et 20 conexum indicat. — *At* cur non Matthaeus graecus hanc assonantiam, si adfuerit in textu primigenio, nobis servavit? Et quodnam verbum debuit eligi, ut haberetur assonantia ad „ecclesiam", si haec expressio forte fuerit genuina?

(4) Ita denique facilius ‚aedificationis' metaphora explicatur; nam synagoga vocatur et conventus et domus huic conventui destinata. — *At* haec metaphora Iudaeis ex libris V^{is} T^{i} tam familiaris fuisse dicenda est, ut eius indolem tropicam fere non perceperint.

Ex altera autem parte verum est rationes, quae suadent Christum usum esse voce *qehala,* non esse omnino stringentes; sunt etenim imprimis *internae,* ipse videlicet huius vocis usus, sonus, indoles, quae supra exposita sunt. Consentimus igitur verbis *M.-J. Lagrange:* „Non erit facile determinare, quam vocem Iesus adhibuerit in lingua aramaica . . .", eo sensu, ut, salvo meliore iudicio, praeferamus qehala.

Scholion. De „Ecclesia iudaica".

341. *W. Bousset,* Die Religion des Judentums im neutestamentlichen Zeitalter (Berlin, prima editio 1903), contendit religionem iudaicam et populum Israel iam paulatim sese evolvisse in „Ecclesiam" (54 sqq.). Criteria enim, quae manifestant veram Ecclesiam, in religione mosaica verificata esse scilicet tria haec: (1) solutionem et separationem vitae religiosae a nationali; (2) qua tamen non oritur individualismus religiosus, sed nova formatur organisatio mere religiosa; (3) ita quidem, ut religio haec organisata transgrediatur limites nationales (55 62 sqq.).

P. Batiffol ostendit haec criteria in populo Israel neque tempore Christi inveniri[16]. Recte quidem; nam licet Iudaei autonomia et vita politica maxima ex parte privati essent, mane-

bant tamen semper *natio,* ab aliis ubique terrarum separata, ita quidem ut haec separatio (ἀμιξία) ipsis vitio verteretur. *Vinculum* autem internum, quo Iudaei etiam in dispersione inter se coniungebantur, erat tum sanguinis („filii Abrahae") tum maxime *religionis,* qua proselyti in ipsum populum Israel admittebantur, non in eius religionem tantum. Artissimus enim nexus vinciebat nationem et religionem, qui stante alterutra solvi nullatenus potest.

Nova dein *organisatio religiosa* Iudaeorum *non adest.* Nam synagogae, seu coetus locales, quae aderant et in Palaestina et in diaspora, non sunt independentes ab auctoritate centrali, Hierosolymitana, neque fovent solam vitam religiosam; sed sunt organisationes simul religiosae et nationales et civiles.

Expansio denique Iudaeorum atque etiam *propaganda* aderant; numerus proselytorum erat haud exiguus; immo sunt qui putent advenas numero superasse eos, qui ab Abraha descendunt. Attamen hi omnes recipiebantur et in religionem (Foedus) et in nationem Israel. Facti sunt non solum asseclae religionis mosaicae, sed veri Iudaei.

Universalismus, qui competit *Ecclesiae* Christi, plane deerat Iudaeis; hinc factum est, ut, deleta Urbe et gente dispersa, propaganda cessaverit, et Israel, suam indolem fovens et excolens, factus sit populus inter populos, vi suae religionis (cf. *Ass.* 8, n. 208 sqq.).

342. NOTAE. — **1** *H. I. Chalder,* Als die Zeit erfüllt war ([2,5]1922); *idem,* Unsere Evangelien 55 sqq. — **2** Cf. *C. G. Brandis* in Real-Encykl. der klass. Altertumswiss. V[3] 2163. Vox similis laconica est ἀπέλλα, ibid. I[3] 2687. — Cf. dein *A. Deissmann*,* Licht vom Osten ([4]1923) 90 sq.; *Dittenberger,* Sylloge inscr. graec., Index IV 315/6 (ἐκκλησία, ἐκκλησιάζω, ἐκκλησιαστικόν, ἐκκλητός). — Radix vocis ἐκκλησία invenitur in καλεῖν, κλητοί, kalendae, concilium). — **3** *A. Wikenhauser,* Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert 347 sq. — **4** Vox συνέδριον maxime in usu erat ad designandos coetus et conventus graecos; cf. *F. Poland,* Gesch. des griech. Vereinswesens (Leipzig 1909) 157. — **5** *H. Cremer*,* Bibl.-theolog. Wörterbuch der neutest. Gräzität: ἐκκλησία s. v. καλέω ([9]1902) 548 sqq.; *E. Schürer*,* Gesch. des jüd. Volkes II[4] 504, not. 11 sq. — Notatu dignum videtur esse, quod in fragmentis „operis sadokidici" obvenit appellatio *qahal*; *'edah* vero in papyris Assuan (Syenae) inventis, designat coloniam iudaicam insulae Elephantine; cf. *Ed. Meyer*,* Der Papyrusfund von Elefantine 31; *J. Weiss*,* Das Urchristentum (Göttingen 1917) 485 not. 2. — Usum rabbinorum, vide *Strack-Billerbeck*,* Kommentar zum N. T. aus Talmud u. Midrasch. I: Das Evangelium nach Matthäus 733 sqq. — **6** *M. I. Lagrange,* Évangile selon S. Matthieu 342. — **7** *E. Schürer** l. c. 505 contendit temporibus posterioribus vocem συναγωγή potius significasse factum historicum. Israel formasse societatem aliquam („die Gemeinde nach Seite ihrer empirischen Wirklichkeit ..., der an irgend einem Orte konstituierte Gemeindeverband"), ἐκκλησία vero indolem eius sacram (die Gemeinde „nach ihrer idealen Bedeutung ...

[als] der von Gott zum Heil Berufenen"). Consentire videtur *I. Weiss** l. c. 483. — **8** Optime *Batiffol-Seppelt,* Urkirche und Katholizismus 73 sqq.; sententia tamen, quae tenet sensum „Ecclesiae" esse primarie particularem, secundarie universalem, admittenda non est; cf. *Ass. 16,* n. 391 sqq. — **9** Cf. *F. Zorell,* LG s. v. „ἐκκλησία" similem divisionem praebet. — **10** Ibid. s. v. „συναγωγή" 5, „de synagoga satanae". — **11** *Th. Zahn**, Einleitung in das N. T. (§ 4, not. 1) materiam et textus congessit; cf. etiam *A. v. Harnack**, Die Mission I⁴ 421 not. 1; II⁴ 659. De inscriptione in aedibus marcionitarum (*Dittenberger,* Or. Gr. inscr. II 608); cf. *Th. Zahn** l. c.; *A. v. Harnack**, Aus Friedens- und Kriegsarbeit (1916) 21 sqq.; *H. Lietzmann** in Theol. Literaturztg. XLI (1916) 117. — **12** *A. v. Harnack** censet (Die Mission I⁴ 419 sq.): „Der Name, den man wählte, war ‚Ecclesia' (‚Ecclesia Dei'). Es war ein meisterhafter Griff; nicht dem Apostel Paulus verdankt man ihn, aber schwerlich schon Jesus selbst, sondern den palästinensischen Gemeinden (die sich also als קהל bezeichnet haben). Das Wort ist ursprünglich gewiß Gesamtbezeichnung gewesen — der feierlichste Ausdruck, den das Judentum für seine gottesdienstliche Gesamtheit brauchte, wurde übernommen —; er ist aber sehr frühe auf die einzelnen Gemeinden und wiederum auf die gottesdienstliche Zusammenkunft der Gemeinde (dann auch auf das Gebäude) übertragen worden." — *I. Weiss** (Die Schriften des N. T. I [²1907] 345) exponit rationes, curnam vox nequeat attribui Christo ipsi: „Es ist unwahrscheinlich, daß Jesus die Gemeinschaft der Seinen als ‚seine Gemeinde' bezeichnet habe. Denn erstens bevorzugt er das anders gedachte Bild des Reiches Gottes, zweitens setzt jener Ausdruck bereits eine Loslösung von der Volksgemeinde Israels, der ‚Gemeinde Jahwes', voraus, die Jesus schwerlich so erwartet oder erstrebt hat. Immerhin darf man es nicht für unmöglich halten, daß Jesus von der ‚Gemeinde' der Zukunft gesprochen habe, etwa im Sinn von Henoch 38, 1, wonach in der Endzeit ‚die Gemeinde der Gerechten erscheinen soll' und ihre Versammlungen ‚nicht mehr von den Sündern gehindert werden'. Aber so wie das Wort an Petrus uns vorliegt, kann es nicht von Jesus gesprochen sein. Es atmet durchaus den Geist einer andern, späteren Zeit, den Geist der werdenden katholischen Kirche." — **13** Cf. *H. I. Cladder* in Chrysologus LVIII (1917/18) 797 sq.; *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche (Berlin 1923) 39 sqq.; *I. Weiss**, Das Urchristentum 484. — **14** Plurimi praeferunt qehala: *Cladder, Cremer-Kögel**, *Harnack**, *Schürer**, alii. — **15** Das Evangelium des Matthäus (²1905) 540, not. 67; *idem,* Einleitung in das N. T. § 4, not. 1. — **16** Revue Biblique II, 3 (1906) 197 sqq.; *Batiffol-Seppelt* l. c. 1 sqq.

Quaestio 2. De primatu Petro collato.

343. Soluta quaestione huius capitis priore, de apostolatu scilicet quem Christus instituit, deque eius relatione ad Ecclesiam a Christo fundandam, constat Christum voluisse suam Ecclesiam hierarchice constitutam esse, siquidem auctoritas, quae eam regat, et secundum munus et secundum subiectum muneris immediate a Christo tamquam Ecclesiae fundatore procedit.

Haec iam auctoritas ulteriori inquisitioni subicienda est, sitne una et collegialis, ita ut omnibus duodecim apostolis aequalis auctoritas competat; an vero in se divisa et iterum hierarchice

gradata, ita ut unus maiore auctoritate polleat, vi cuius ipsi ceteri subditi sint. Quodsi hic alter casus obtinet, auctoritas suprema in Ecclesia Christi erit monarchica et vocatur *primatus*.

Fontes sacri haud dubie adscribunt apostolo Petro aliquem primatum, id quod nunc fere inter omnes constat; controvertitur autem potissimum natura huius primatus. Et acatholici quidem vix non omnes, si primatum aliquem facti agnoscant, negant tamen primatum auctoritatis (iurisdictionis), qui fundatur in iure sociali stricte dicto. Nos autem asserimus non solum primatum facti, quem Petrus modo suo procedendi in Ecclesia primitiva revera gesserit et manifestaverit, sed insuper primatum auctoritatis supremae, quia et quatenus Christus immediate Petro hanc summam potestatem in sua Ecclesia tradidit.

Adversarii solent duabus viis factum translationis huius primatus impugnare. Sunt qui negent, textus, quos ut argumenta afferimus, primatum continere; ita imprimis protestantes conservativi, nonnulli etiam liberales, qui omnes nobiscum tenent genuinitatem fontium, e quibus argumentamur. Alii e contra negant hanc genuinitatem historicam vel etiam litterariam. Qua via incedunt plurimi liberales, qui magnam partem concedunt explicationem nostram cum verbis et sensu textuum convenire.

Inquisitio igitur nostra, si velit primatus exsistentiam et indolem ostendere et simul has sententias considerare atque examinare, has quaestiones solvat oportet:

1. num textus in probationem adducti sint genuini;

2. num iidem contineant primatum iurisdictionis; addimus quaestionem

3. num primatus (et Ecclesia) sit perennis.

A. De genuinitate textuum.

344. Sunt quidem textus non pauci et in evangeliis et in aliis N^i T^i libris, qui suam quisque lucem facto primatus afferunt; sed principales habentur Matth. 16, 17—19 et Io. 21, 15—17. De genuinitate huius alterius textus explicite agi solet in Introductione in libros N^i T^i, quae decidit quaestionem, num Io. c. 21 sit pars genuina evangelii Ioannis. Hinc remanet probanda genuinitas Matth. 16, 17 sqq. Quae probatio absolvetur propria inquisitione, ex duplici ratione: (1) quia nimirum factum primatus est fundamentum Ecclesiae Christi et qua tale indiget argumentis omni ex parte discussis; (2) quia haec inquisitio ostendit theologiae protestanticae modernae evolutionem talem, quae iam per se principia e quibus procedit falsa esse demonstrat.

ASSERTIO 13. Genuinitas et litteraria et historica Matth. 16, 17—19 scientifice certa est.

345. 1. Sensus thesis. — *Genuinitas* alicuius verbi vel effati est in eo ut recte et iure attribuatur ei, cui adscribitur. Genuinitas *litteraria* seu testimonialis respicit opus litterarium et relationem effati ad hoc opus eiusque auctorem. Matth. 16, 17 sqq. est litterarie genuinus, si ab ipso auctore primi evangelii, Matthaeo, operi suo insertum fuit, neque vero postea ab alio quodam interpolatum. Genuinitas *historica* ulterius procedit et affirmat relationem effati ad eum, qui illud protulisse dicitur. Matth. 16, 17 est historice genuinus, si verba illa, Christo adscripta, revera a Christo prolata sunt.

346. 2. Variae sententiae. — Utraque genuinitas a schola critica negata est, eo tamen discrimine, ut ultimis annis negetur genuinitas quidem historica, concedatur litteraria. Duae igitur distingui possunt classes adversariorum, quarum altera defendit theoriam interpolationis, altera theoriam evolutionis cuiusdam dogmaticae primitivae (Gemeindetheologie) [1].

a) Theoria *interpolationis* contendit pericopam vel totam vel ex parte insertam esse evangelio iam absoluto, et secundum auctores quidem anteriores circa finem saeculi secundi (*Resch* 1893; *Grill* 1904), secundum recentiores inter annos fere 110—120 (*Soltau* 1916) vel tempore Hadriani (117—138; *v. Harnack* 1918), ab ecclesia vel episcopo romanis, quo iuri praetenso primatus universalis fundamentum biblicum adstruerent.

A. Resch voluit ostendere Matth. 16, 18 esse interpolatum; Matth. 16, 19 esse quidem verbum Domini, sed omnibus apostolis, non soli Petro dictum. Rationes sunt hae: Ceteri fontes silent de primatu Petri vel eum excludunt; testimonia textus, imprimis citationes, ante Tertullianum et Origenem desunt. — *I. Grill* easdem rationes modo ampliore proposuit, quibus summe probabilem reddidisse thesim suam sibi visus est: Matth. 16, 18 sq. a Victore, episcopo Romano, circa annum 190 primo evangelio adiectum esse. — *W. Soltau* interpolationem pro supposito absoluto et inconcusso habet, ex quo omnis inquisitio scientifica procedat. Quaeri unice posse, utrum duplex interpolatio admitti debeat, an vero textus unica insertione explicari possit. Copiam verborum hoc alterum clare ostendere. Cumque Iustinus (circa annum 140) pericopam noverit, interpolationem probabiliter factam esse annis circiter 110—120. — *A. v. Harnack* aliam thesim propugnat: pericopam esse genuinum verbum Domini, si excipias partem mediam versus 18: ‚et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam', qua omissa textus originarius habuerit: ‚portae Hadis te non vincent'. Partem autem mediam interpolatam esse tempore Hadriani. Rationes affert has: Verba ‚portae Hadis' significare

mortem corporalem, ergo referri ad personam Petri; hanc interpretationem confirmari testimoniis externis, scilicet imprimis Tatiani, cui accedant Origenes, Porphyrius, Ambrosius, Epiphanius, Hieronymus. — Thesim istam omni probabilitate carere iam ex eo patet, quod Ephraem Syrus, qui simul cum Aphraate nobis testis Tatiani est, et textum integrum praebet et in loco ab Harnack allegato ‚*te*' refert non ad Simonem, sed ad Sionem, typum Ecclesiae. Quodsi Ephraem, qui summa probabilitate dicendus est usus Diatessaron Tatiani, textum integrum legerit. recte concludimus iam Tatianum eundem novisse.

347. b) Theoria *evolutionis dogmaticae primitivae* (Gemeindetheologie) asserit primis iam annis post Christi mortem, antequam Paulus conversus fuerit, in ecclesia hierosolymitana evolutione quadam religioso-dogmatica doctrinam Christi essentialiter mutatam et summa quaedam capita religionis christianae orta esse, inter quae pericopa de Petro et de Ecclesia, Matth. 16, 13—19. Religioni etenim proprium esse, ut facta et personas religiosas ultra condicionem historicam efferat; ita Petri personae accidisse. Petri scilicet partes in fundanda Ecclesia primitiva fuerunt maximae et propter visionem (subiectivam), qua sibi visus sit Dominum vivum et gloriosum conspexisse et qua discipulis auctor fuerit eiusdem experientiae religiosae, et per praedicationem, qua primum coetum fidelium formaverit. Hic primatus facti, fide transfiguratus atque voluntati Christi positivae adscriptus, quasi sponte formam dialogi assumpsit, ad instar Io. 21, 15 sqq. Matthaeus hunc dialogum ut historicum considerans suo evangelio inseruit. Ita fere *Bultmann,* cui alii accedunt, qui omnes agnoscunt genuinitatem litterariam, negant historicam. — Modus horum adversariorum procedendi optime pingitur in Encyclica *„Pascendi"* (*D* 2096 sqq.).

Sunt qui ulterius progredientes explicare conentur originem pericopae ope *scientiae religionum comparativae,* quae ostendat singula elementa textus inveniri in religionibus antiquis tum mosaica tum ethnicis. Saepius quidem in considerationibus theologicis subsidium huius scientiae magna cum utilitate adhiberi potest, neque exegesis ullo umquam tempore talia auxilia neglexit; at probari nullo modo potest, quod reiecto V^{e} T^{o} primarie vel exclusive religiones ethnicae considerentur, vel si, id quod peius est, ex verborum similitudine et analogia imaginum ilico illatio fiat pericopam esse syncretistice compositam et textui originali insertam.

348. Rationes, quibus *R. Bultmann* suam explicationem probare conatur, sunt fere hae: Et formam linguisticam et argumentum pericopae prodere eius originem iudaisticam, quatenus sint documenta ecclesiae hierosolymitanae et disputationis fidelium de valore Legis mosaicae. Dein

desideratur textus, quo „ingens auctoritas" personae Petri, quam indicant fontes synoptici, clare efferatur, nisi haec pericopa fuerit traditio genuina Ecclesiae primitivae. Christi verba utique non sunt; nam nimis aperte legenti patet interrogationem Christo adscriptam non esse nisi ansam quandam, qua litterarie introducatur professio fidei messianicae Ecclesiae, cuius personam agit Petrus. —

Ex ideis et expressionibus affinibus aliarum religionum plura congesta sunt ad explicandam vel originem vel sensum Matth. 16, 17 sqq. Sobria scientia ante alios libros V^{is} T^{i} interrogabit, dein litteraturam extracanonicam Iudaeorum et rabbinorum temporis propinqui. Sed in istis iam maior est cautio, sicut exempla manifestant. *A. Sulzbach* voluit vocem Kepha-Petros alludere ad cubiculum custodis templi, quod vocatum sit Kippa. — *K. G. Goetz* deducebat pericopam ex parabola quadam rabbinica, quae Abraham comparat saxo fundamentali; quae quidem invenitur in scripto quodam midrasico saeculi demum XIII, attamen aliqua probabilitate adfuisse eam dici posse iam circa annum 400. Hinc nil obstare, quominus admittatur eandem Matthaeo iam notam fuisse atque ita in evangelium irrepsisse. — *O. Immisch* ex condicione loci verba Christi explicabat. Caesareae Philippi, olim Paneas, Herodes exstruxerat templum Augusto sacrum super rupem ingentem et praecipitem, sub quam ex amplo specu affluens quidam Iordanis prorumpebat; en singula elementa comparationis Ecclesiae cum aedificio super firmam petram aedificatae. Sed licet per se nil obstare videatur, quominus haec loci condicio ansam Christo dederit, ut hac imagine aedificii uteretur, tamen non constat haec verba in urbe ipsa et in conspectu templi prolata esse a Christo.

Ad analogias ex aliis religionibus depromptas provocat *A. Dell*, quem praecedebat *W. Köhler*. Expressiones et imagines similes in multis religionibus inveniuntur; numquid influxum exercuerunt in formanda ista pericopa? Certe non referri verbum Christi; nam lusus verborum ‚Petros-Petra' oriri non potuit nisi in ecclesiis ethnico-christianis, quae utebantur lingua graeca. Dein imagines sunt generis diversi, ergo originis diversae; singula elementa attribuenda erunt legendae, quae personam Petri ampliavit et transfiguravit, eorum autem compositio Matthaeo, qui Petrum a Christo honorari voluit.

349. Evolutio aliqua in his theologiae liberalis placitis certe apparet, quatenus genuinitas litteraria pericopae iam a plurimis agnoscitur et rationes, quae olim pro certis habebantur, in oppositam fere partem vertuntur; ab agnitione vero genuinitatis historicae haec theoria longius, si fieri possit, abest quam hypothesis interpolationis, longius etiam ab agnitione primatus tamquam institutionis divinae, quam vetant principia rationalistica.

Hinc explicatur quomodo (1921/1922) *F. Kattenbusch* potuerit admittere genuinitatem ipsam historicam Matth. 16, 17 sqq.; ea scilicet condicione ut obvio verborum sensui substituatur interpretatio violenta.

Christus, ita fere Kattenbusch, permotus verbis Petri quae pro inspiratis habet, subito intellegit sensum nominis ‚Petri' atque suo responso fiduciam suam profitetur fore ut ipsae Hadis portae, mors scilicet sibi imminens, non praevaleant adversus Petri et aliorum discipulorum fidem se esse Messiam.

Probatio asserti utramque theoriam, interpolationis et evolutionis, considerare debet; itaque in priore parte ostenditur genuinitas litteraria, in altera parte genuinitas historica.

Pars I. De genuinitate litteraria Matth. 16, 17—19.

350. Introductio in N^{um} T^{um} solet agere de genuinitate librorum sacrorum, eo tamen sensu et hac restrictione ut ostendatur eorum genuinitas potius in genere quam quoad singulos quosque textus et versus. Nostrum igitur est textus illos, quibus magnam vim probativam vindicamus, seorsum considerare et eorum genuinitatem explicite probare. Quae probatio eadem via incedet ac argumentum, quo genuinitas vel integritas N^{i} T^{i} demonstratur, ope scilicet testium, sive sunt codices manuscripti textus originalis sive versiones sive citationes et allusiones.

Ratio probationis est principium criticum: Si fontes omnes, quotquot testantur textum alicuius libri, aliquam eius pericopam vel positive exhibent vel, si fuerint testes partiales, eandem saltem non excludunt, ista pericopa iure supponitur inde ab initio adfuisse et ab auctore libri scripta, i. e. genuina esse; exceptio vero positive probari debet rationibus gravibus et convincentibus. Iamvero (1) testes omnes testantur hanc pericopam, ita quidem ut eis ducibus perveniatur usque ad annum fere 100; (2) rationes vero, quae afferuntur ad probandam interpolationem, omni vi destituuntur; immo ostendi potest (a) interpolationem fuisse impossibilem; (b) pericopam ab ipsius evangelii indole requiri.

351. 1. Matth. 16, 17—19 *ab omnibus testibus,* qui *EvMatth.* continent, exhibetur, scilicet (a) a codicibus manuscriptis graecis, (b) a versionibus antiquissimis, latina et syriaca, atque etiam ab harmonia evangeliorum (Diatessaron) Tatiani et ab evangelio extracanonico, quod secundum Hebraeos nuncupari solet. Accedit (c) testimonium scriptorum, qui vel citant textum vel ad eum alludunt. Quae testimonia, cum incipiant ab anno circiter 100, directe testantur pericopam saltem aliquot annis ante exstitisse et ut genuinam agnitam fuisse.

a) De *codicibus* non est cur loquamur; de versionibus pauca adicienda erunt;

b) ex *versionibus* syriaca hac in re maioris est momenti.

In *Syro sinaitico* deest quidem haec pericopa, sed ideo solum, quia folium integrum, Matth. 16, 15—17, 11 continens, interiit. Ex comparatione vero aliarum paginarum constat folium istud deperditum, ut plene inscriptum esset, debuisse continere pericopam[2].

Diatessaron Tatiani magna ex parte servatum est in scriptis Aphraatis et Ephraem Syri. *Aphraates* non citat quidem textum, sed clarissime ad eum alludit: „Et tandem Simoni discipulorum principi, cum negando dixisset . . . subiit paenitentia magnamque vim lacrimarum profudit; et suscepit eum Dominus, posuit eum in fundamentum vocavitque eum Petram, Ecclesiae aedificationem." (Demonstrationes VII 15, ed. *Graffin-Parisot* [Patrologia syriaca I 335]; cf. XXIII 12 [Patr. syr. II 35]). — Plura inveniuntur apud *Ephraem*, cuius commentarius in Tatiani Diatessaron nobis servatus est in epitome armeniace scripta. „Vos autem quid dicitis de me, quod sim? Simon, caput et princeps, locutus est: ‚Tu es Christus, Filius Dei vivi'. Et respondit: ‚Beatus es, Simon. Et portae inferi te non vincent,' i. e. quod non destruetur fides. Quod enim Dominus aedificat, quis potest destruere . . .?" Paulo post ita prosequitur: „Tu es petra, illa petra, quam erexit, ut Satanas in eam offenderet." (Cap. 16, ed. *Aucher-Moesinger* p. 153/4). Alia testimonia habentur tum in hymno quodam (Hymni dispersi, ed. *Lamy* IV 673 682) tum in Catena Severi pluries, in qua (ed. *Lamy* II 156) occurrunt verba: „Vectes inferni non praevalebunt adversus te", quae *v. Harnack*, sequens *Resch*, refert ad Simonem, cum tamen de Sione, Ecclesia, dicta sint[3].

Versionibus adnumerari potest paraphrasis quaedam *EvMatth.*, quod *Evangelium Hebraeorum* (vel secundum *Schmidtke* Nazaraeorum) vocari solet. Scriptum lingua aramaica (syriaca), characteribus hebraicis, exponit *EvMatth.* ad instar targumim. Ortum est vel tempore belli Barkocheba (132—135), vel circa annum 100 *(Lagrange)*, vel iam ante annum 100, paulo post eversionem Urbis sanctae (70); ita *Batiffol, Duchesne, Harnack*. In usu erat apud iudaeochristianos regionis trans Iordanem et Beroeae, Syriae. Hoc evangelium *(EvHebr.)* differt pluribus locis ab *EvMatth.*, qui nobis noti sunt vel ex citationibus auctorum antiquorum vel ex apparatu critico quorundam codicum, quos ad eandem classem (‚montis Sion', quia prototypus Hierosolymis asservabatur) pertinere *Schmidtke* ostendit. Duo ex his codicibus, ð 30 et ϵ 77, exhibent ad Matth. 16, 17 hanc lectionem marginalem: τὸ ἰουδαϊκόν· υἱὲ Ἰωάννου, i. e. *EvHebr.* legebat „filius Ioannis" loco „filius Ionae". Cum autem notae criticae illa sola efferre soleant, quibus textus inter se differunt, sponte infertur in reliquis textum *EvHebr.* cum Matthaeo consonare, i. e. totam pericopam continere[4].

352. c) Ex *citationibus* et allusionibus paucae afferantur, quae speciali consideratione dignae videntur vel propter aetatem maioris ponderis sunt.

Philosophus ethnicus ille, contra quem scripsit Macarius Magnes (*Porphyrius?*), tamquam testis sententiae partialis interpolationis a v. Harnack allegatur: „Attamen narratur Petrum, cum ne paucos quidem menses

oves pavisset (scil. Romae), cruci affixum esse, cum tamen Iesus ipsi dixerit portas inferi non esse praevalituras adversus eum (αὐτοῦ)" (III 22). Ita irrisor religionis christianae, qui tamen alio loco textum integrum citat (III 19)[5].

Ex eodem fere tempore, ex medio saeculo III, exstant testimonia clarissima *Cypriani* (De catholicae Ecclesiae unitate 4. *K* 266; Epist. 33) et *Firmiliani* (Epist. Cypriani 75, 16 sq.), cuius verba testantur et propriam notitiam et usum huius textus in ecclesia romana: „Atque ego in hac parte iuste indignor ad hanc apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod, qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat . . ." (scilicet agnitione baptismi haereticorum; ed. *Hartel* 820 sq.). — Num eidem tempori adscribendum sit testimonium *Libelli adv. aleatores* (*K* 310), non constat.

Magni ponderis est testimonium *Origenis,* testis optime eruditi, qui bene novit codices et nosse potuit, cum itinera fecerit et epistolarum commercium habuerit, si quae fuerint lectiones variantes. In commentario suo ad Matth. nostram quoque interpretatur pericopam: „Quodsi, postquam dixerimus et nos quemadmodum Petrus: ‚Tu es Christus, Filius Dei vivi. . . .' Petrus efficimur; dicatur et nobis a Verbo: ‚Tu es Petrus etc.' Petra enim est omnis discipulus Christi, de quo bibebant, qui ‚bibebant de spiritali consequente petra.' . . . Si vero super unum illum Petrum solummodo totam Ecclesiam aedificari arbitraris, quid de Ioanne, tonitrus filio, et unoquoque apostolorum dixeris? . . . ‚Non praevalebunt adversus eam': quam autem eam? an enim petram, super quam Christus aedificat Ecclesiam? an Ecclesiam? Ambigua quippe locutio est. An quasi unam eandemque rem, petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo. . . ." (*MSG* 13, 998 sqq.; ed. *Lommatsch* III 147 sqq.). — Paulo inferius, explicans Matth. 16, 28, habet haec: „Et ii fortasse, qui raro vel leviter peccant, mortem solum degustant; qui vero virtutem amplexi sunt, ne degustant quidem illam, sed semper pane vivo aluntur. Petro igitur, adversus quem non praevalebunt portae inferi, conveniebat mortem non degustare, cum mortem quispiam tunc degustet et edat, cum adversus eum portae inferi praevaliturae sunt. . . . Sed nec fieri poterat, ut tonitrus filii . . . mortem gustarent . . ." (*MSG* 13, 1060; ed. *Lommatsch* III 183 sq.). — Ad hunc textum provocat *v. Harnack;* at sine ratione, nam Origenes loquitur de morte animae, non corporis.

Similis auctoritatis est *Tertullianus,* ex alio autem capite. Nam iste vel catholicus vel montanista citat textum ut genuinum, quamvis sciat et testetur ecclesiam et episcopum (romanum) eo uti tamquam fundamento biblico suae potestatis. *De praescriptione* 22: „Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni caelorum consecutum et solvendi et alligandi in caelis et in terris potestatem? Latuit et Ioannem aliquid, dilectissimum Domino pectori eius incubantem . . .?" (Cf. *Scorpiace* 10; *Irenaei* Adv. haer. 3, 13, 2). — Aliter in opere *De pudicitia,* quod montanista scripsit: „Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia, delicta donandi. . . . De tua nunc sententia quaero, unde hoc

ius Ecclesiae usurpes. Si, quia dixerit Petro Dominus: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam ... idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem ecclesiam Petri propinquam?" (21; cf. *De monogamia* 8). Ergo tempore Tertulliani textus indubie genuinus habebatur.

Ante Tertullianum *Irenaeus* textum testatur, licet non tam clare, ut valor huius testimonii non potuerit negari et negatus non sit. In libro Adv. haer. 3, 13, 2; 18, 4; 21, 8, alludit ad Matth. 16, 17; iure igitur praesumitur novisse totam pericopam; argumentum vero e silentio, olim a Resch aliisque propositum, ideo fieri nequit, quia Irenaeus utroque loco agit de filiatione divina Christi et hinc omnis deerat necessitas citare etiam versus sequentes. Insuper alio loco alludere videtur ad versum 18: „Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus enim veritas ... (Haeretici effugiunt) fidem Ecclesiae, ne traducantur; reicientes vero Spiritum, ut non erudiantur. Alienati vero a veritate digne in omni volutantur errore ... sophistae verborum magis volentes esse, quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam, habentem in seipsa lapides multos. Propter hoc et multos deos fingunt ..." (3, 24, 1 sq.). — Haec verba, cum ex Matth. 7, 24 non plene explicari videantur, remittunt lectorem ad Matth. 16, 18.

Iustini testimonium nunc iam universim agnoscitur; Dial. 100 sat clare prodit notitiam pericopae: „Nam (Christus) unum ex discipulis suis, qui eum, revelante ipsius Patre, filium Dei, Christum, esse agnoverat, appellavit Petrum, cum Simon prius vocaretur. Et cum eum filium Dei esse in apomnemoneumatis apostolorum eius scriptum legamus, eum et filium dicimus. ..." Cf. Dial. 106.

Vestigia quaedam magis minusve clara et certa, quae et ipsa ad saeculum secundum pertinent, confirmant testimonia allata eaque eatenus complent, quatenus ostendunt textum Matth. 16, 17 sqq. late sparsum fuisse etiam inter haereticos et gnosticos. — *Actus Petri cum Simone*[6] (Actus Vercellenses; ed. *Lipsius* 53). „Fama peruolauit in urbem ad dispersos fratres Petrum dicentem domi venisse Simonis causa, ut eum ostenderet seductorem et persecutorem bonorum esse. concurrit itaque multitudo omnis ut uiderent domini apostolum fundari (fundare) in Christum." (7) — Actus hi circa finem saeculi II orti esse videntur; antea hymni quidam gnostici componebantur, *Odae Salomonis* quae vocantur, ex annis circiter 100—150, ex quibus vigesima secunda videtur alludere ad Matth. 16, 18, saltem si comparatur cum textu parallelo *Pistis Sophiae*. „Tu mundum tuum ad interitum adduxisti, ut omnia solverentur et renovarentur et ut tua petra fundamentum omnium fieret; et in ipsa aedificasti regnum tuum, et facta est habitatio sanctorum. Alleluia!" (22, 11 sq.) Pistis vero Sophia ita habet: „Adduxisti mundum tuum in perniciem, ut omnes solverentur et renovarentur et lux tua fundamentum fieret omnium. Aedificasti divitias tuas super eos et facti sunt habitatio sancta" (71)[7].

Ex quorum testimoniorum concursu elucet, cur editiones modernae criticae, quae textum originarium N^i T^i restituere conantur ope omnium testium, ad unam omnes exhibeant Matth. 16, 17—19 ut lectionem critice absolute certam, absque ulla variante quae tangat sensum. Ita *Tischendorf, Westcott-Hort, B. Weiss, v. Soden, Vogels.*

353. 2. Rationes, quibus interpolatio probaretur, partim ab ipsis adversariis derelictae sunt, partim omni vi destitui facile convincuntur. Quin immo ostendi potest interpolationem non fuisse possibilem, textum vero inde ab initio *EvMatth.* organice insertum fuisse ab ipso evangelii auctore.

Rationes adversariorum[8] ad 4 classes revocari possunt. Petuntur enim: (1) Ex forma *linguistica* et *stilistica* pericopae, ex usu scilicet methaphorarum in re tam gravi et ex compositione metaphorarum diversi generis. — De hac re in thesi sequenti. (2) Ex *relatione ad EvMatth.,* in quo narratur reprehensio Petri (16, 23), contentio apostolorum de primo loco in Regno Dei. — Haec autem praecise in suppositione primatus Petri perfecte intelleguntur; Petrus enim ut Christi vicarius penitus legem fundamentalem crucis intellegat necesse est. Contentiones vero clare ostendunt Duodecim scire esse „primos locos" in Ecclesia. — (3) Ex relatione pericopae ad *textus parallelos* (Marc. 8, 27 sqq. Luc. 9, 18 sqq.), in quibus deest promissio primatus. — Argumentum e silentio hoc loco fieri nequit; nam ostendi nequit Lucam et Marcum debuisse haec Christi verba referre. Quae ipsis nota fuisse ex eo concludimus, quod impositionem nominis Petri narrant (Marc. 3, 16. Luc. 6, 14), explicationem vero ut notam supponunt sicut Paulus. Accedit quod theoria interpolationis certe multo minus valet explicare, cur textus immissus sit in *EvMatth.* neque vero in *EvMarc.* et *EvLuc.* — (4) Criteria *interna* petuntur ex condicione Petri, qui secundum fontes nullum primatum in Ecclesia primitiva gesserit. Quae ratio hodie magna ex parte relicta est, et quidem iure, ut patebit ex *Ass. 16,* n. 395 sqq. — Indirecte ostendere volunt primatum esse impossibilem ex eo quod Christus sit unicum caput Ecclesiae secundum fontes. Responsum habetur Matth. 16, 20 sqq.; Christus scilicet reversurus in caelum sui in terris constituet vicarium, qui sua auctoritate instructus simul cum Christo unum caput Ecclesiae sit (caput ut aiunt ministeriale).

354. a) *Interpolatio fieri non potuit.* — (1) Causa efficiens interpolationis secundum adversarios est *ecclesia romana* eiusque ambitio. Atvero quaerimus: quonam iure episcopi romani crimine tali falsificationis et usurpationis accusantur? undenam omnino idea primatus nisi ex traditione? si vero in traditione, cur non in *EvMatth.*? — (2) Causa suscipiens (passiva) sunt *christiani* aliarum ecclesiarum. Iamvero illi respuissent talem interpolationem, factam eo tempore quo textus Matthaei erat *notus,*

quia in usu publico Ecclesiae; erat *fixus,* quia usus lectionis liturgicae iam invaluit; erat longissime *sparsus* et lingua graeca et versionibus. Qui fit, ut nullus exstet testis, qui hoc textu careat, neque ullus codex neque ullus scriptor, qui lectionem variantem exhibeat? Quomodo hoc factum explicatur in suppositione interpolationis, quae facta sit circa finem demum saeculi II? Quodsi illa sententia praeferatur, quae textum insertum esse asserit inter annos 110 et 120, crescit difficultas iam ex eo quod secundum adversarios hoc tempore nondum exstiterint episcopi monarchici romani. Cum autem ex testibus allatis certum sit textum iam circa annum 100 adfuisse, omnis interpolatio a limine excluditur; nam eo tempore vixit adhuc Ioannes apostolus, vixerunt plurimi apostolorum et partim Domini discipuli, qui textus tam gravis falsificationem et interpolationem ferre non potuerunt. Textus tam gravis dico, et propter argumentum (filiationem divinam Christi, fundationem Ecclesiae) et propter formam sollemnem, qua haec verba Christi prae aliis praecellunt.

355. b) *Genuinitas* pericopae ex ipsa sua *forma* suisque cum toto evangelio Matthaei *conexibus probatur.*

Et *forma* quidem respicit et voces et stilum. *Voces* enim omnibus confitentibus produnt originem aramaicam („Bar Iona", lusus verborum in voce כֵּיפָא, qui graece πέτρα — πέτρος imperfecte redditur, caro et sanguis, portae inferi, potestas clavium, ligare et solvere, regnum caelorum). Qui color aramaicus apte explicari nequit, nisi pericopa orta sit in Palaestina, scilicet verbum Domini sit fideliter servatum et ut tale a Matthaeo evangelio insertum.

Quod ad *stilum* attinet, observari licet *parallelismum* quendam formalem et idealem. Petrus dicit: „Tu es Christus, Filius Dei vivi", i. e. Messias et quidem qualificatus: Filius Dei. Christus dicit: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam", i. e. fundamentum firmum, et quidem regni illius, quod condet Messias tamquam Filius Dei, Ecclesiae. Ideae igitur correlatae sunt hae: Persona Christi ut Messiae et Filii Dei, et opus Christi ut Messiae et Filii Dei.

356. Quae idearum coniunctio identidem in *EvMatth.* videre est, in iis maxime *pericopis,* quae cum nostra aperte *cohaerent:* Matth. 11, 25 sqq. et 28, 18 sqq. Et his iam transimus ad *conexus,* quibus pericopa cum *EvMatth.* conectitur. Matth. 11, 25 sqq. effert aequalitatem omnimodam inter Patrem et Filium, ex qua Christus hanc deducit conclusionem: „Tollite iugum meum super vos . . .": est enim iugum Christi iugum ipsius Dei, leve et suave, quia

impositum a Christo, qui hominibus similis factus est tamquam Filius hominis. Iugum autem legis Christi est Ecclesia. — Matth. 28, 18 sqq. vero complet revelationem mysterii SS. Trinitatis. Christus, secunda persona, auctoritate sua summa et innata, mittit apostolos suos, qui Ecclesiam condant exercitio potestatum a Christo ipsis traditarum. Utroque loco agitur de persona et de opere Christi eadem ratione ac Matth. 16, 13 sqq. (cf. n. 225).

Ex qua consideratione apparet huius pericopae *organica conexio cum EvMatth.* Constat inter omnes Matthaeum composuisse opus artis eximiae [9], ita quidem ut partes principales ipse indicaverit formulis vel introductoriis (cf. 4, 17; 16, 21) vel finalibus (cf. 7, 28; 11, 1; 13, 53; 19, 1; 26, 1). Matth. 16, 13—20 est *pars intermedia* quaedam, coniungens duas periodos vitae Christi publicae. Regnum Dei, quod Christus annuntiaverat, ab Israel reiectum est; hinc, cum consilia Dei salutaria irrita fieri non possint, super novo fundamento nova sacra communitas aedificari debet. Haec communitas (qahal) est Ecclesia Christi (ἐκκλησία μου), fundata super Simone, qui ideo vocatur Kepha-Petros. Quae sequuntur pericopae, inserviunt institutioni discipulorum, qui haec Christi consilia exsequentur. Itaque intellegitur, cur haec pericopa necessaria sit compositioni Matthaei, minime vero evangeliis Marci et Lucae (cf. n. 239 sq. 331 sqq.).

357. Accedit *confirmatio,* quae petitur ex *nomine Petri.* Petrus enim non est cognomen sicut Paulus, neque omnino nomen proprium; ita Commissio thesauri linguae latinae (Monacensis) ex cognitione fontium asserit nomen in litteratura profana non occurrere; Tertullianum illud primo adhibere [10]. Neque est nomen qualitatis, signum, sicut „Barnabas" (Act. 4, 36); nam indoles Simonis Petri non fuit petrea. Porro vertitur ex aramaico in linguam graecam, Kepha = Πέτρος, ita quidem, ut initio utraque forma in usu fuerit (Gal. 2, 7 sqq.), postea vero forma graeca praevaluerit (Io. 1, 42) atque in linguam latinam transierit. Quidnam igitur de hoc nomine? Quaenam eius explicatio historica? Ceteri fontes supponunt lectores scire sensum nominis; Matthaeus eum explicat ista pericopa.

Cum hoc facto cohaeret, quod Matthaeus non solum Petrum in enumeratione expresse vocet „primum" (10, 2; cf. Marc. 3, 16; Luc. 6, 14), sed etiam plura de eo deque eius ad Christum relatione refert, quae in aliis evangeliis desunt: 14, 28 sqq. (ambulatio super undas), 16, 23 (reprehensio Petri; cf. Marc. 8, 33), 17, 24 sqq. (Christus solvit didrachma pro se et Petro), pluries Petrus loquitur nomine aliorum 15, 15 (cf. Marc. 7, 17); 18, 21.

Quae omnia inter se confirmant atque ostendunt pericopam esse organice concatenatam cum toto evangelio Matthaei.

Quaeritur autem, num haec verba, a Matthaeo Christo adscripta, sint revera verba Domini; de eorum igitur genuinitate historica in altera parte agendum erit.

Pars II. De genuinitate historica Matth. 16, 17—19.

358. Facilis videri possit transitus et obvia illatio de genuinitate litteraria ad historicam, siquidem *EvMatth.* esse historicum et fide dignum probatur in Introductione in N^{um} T^{um} quae vocatur. Quia autem theoria quaedam moderna fictionem pericopae, ut vidimus, condicionibus primae christianitatis attribuit, rationes huius theoriae pensandae sunt argumentis genuinitatis historicae.

Theoria ista evolutionis dogmaticae primitivae (Gemeindetheologie) ad haec summa capita reduci potest: (1) Primis post Christi mortem annis, ante Pauli conversionem, ergo tempore brevissimo, — (2) in sinu ecclesiae primitivae hierosolymitanae, in qua vivebant plurimi testes, comites, discipuli Christi cum duodecim apostolis, — (3) ducibus et auctoribus iisdem hisce apostolis et Petro, quibus auctoritas summa erat, — (4) vi influxus illius evolutivi, cui omnis religio succumbit, quo facile elementa aliena (syncretistice) sua facit: — (5) doctrinam Christi et de Christo essentialiter mutatam, transformatam, auctam, dogmata a mente Christi aliena ficta, ritus introductos esse, adeo ut quoad plurima non iam sit possibile pervenire ad certam cognitionem neque personae neque doctrinae Christi.

Inter figmenta huius evolutionis esse etiam Matth. 16, 13—20.

Inquisitio nostra est bipartita: generalis quaedam respicit theoriam ipsam, specialis eius ad pericopam Matth. 16, 13 sqq. applicationem.

359. 1. Consideratio generalis. — Theoria ista tot tantisque laborat difficultatibus, ut admitti nullatenus possit, sive consideratur (a) eius origo, sive (b) eius natura, sive (c) eius cum fontium testimonio unanimi contradictio.

a) *Origo* enim et radix intima huius theoriae non est historica, innitens scilicet datis historicis, sed aprioristica et philosophica. Optimo sane iure Encyclica „Pascendi", agens de hac et similibus theoriis evolutivis, loquitur de „dominatu philosophiae in historiam" (*D* 2098). Hinc est quod omnia, quae supernaturale sapiunt, huic evolutioni tribuuntur, quam potius effugium ad instar agnosticismi philosophici vocaveris quam explicationem scientificam.

b) Repugnat ex *natura* sua, quia praetendit componere incompossibilia. Nam impossibilis est talis evolutio celerrima simul et profundissima, augens simul Christi personam et opus et per-

vertens eius doctrinam, auctoribus ipsis familiaribus Christi. Crescit haec impossibilitas, si fieri potest, cum admittatur influxus aliarum religionum syncretisticus, a quibus Iudaei palaestinenses quam maxime abhorrebant.

c) Penitus autem reicitur *fontium testimonio* explicito. Nam fontes asserunt convictionem primae Ecclesiae christianae certissimam et universalem, communem et iudaeo- et ethnico-christianis, et Duodecim et Paulo non esse auctoritatem ullam religiosam et doctrinalem nisi Iesum Christum, ad cuius mentem, voluntatem, verba provocant tamquam ad argumentum peremptorium, absolutum, unicum. Apostolorum autem auctoritas tota quanta provenit ex eorum relatione cum Christo, quia et quatenus missi sunt a Christo, Christi apostoli. Testis eximius est Paulus, qui sibi conscius est se docere in consensu totius Ecclesiae atque apostolorum „evangelium Christi" (cf. *Ass. 10,* n. 300 sqq.). Cum hoc testimonio claro et certo theoria evolutionis suppositae constare nequit.

360. 2. Consideratio specialis. — Cui considerationi generali accedunt speciales, scilicet (a) negativae, quae diluunt argumenta fictionis inanis huius pericopae; (b) positivae, quae vetant textum istum (Matth. 16, 13 sqq.) attribui tali evolutioni.

a) Rationes *adversae* petuntur vel ex forma vel ex argumento pericopae. Iamvero *forma* pericopae, si componi potuit a iudaeo-christianis paulo post Christi mortem, repugnare nequit in ore Christi. Ceterum conferantur illa, quae supra de forma dicta sunt.

Argumentum vero impugnatur ex consideratione non historica, sed aprioristica et rationalistica: Christum non cogitasse de Ecclesia fundanda, neque vere resurrexisse, neque esse legatum, multo minus Filium Dei naturalem. Ergo nullus iam primatus, nulla eius promissio. Missis his affirmationibus, quae alibi reiciuntur, quaeritur:

α) Sitne ulla difficultas, quominus admittatur Christum reversurum in caelum suum vicarium in suo regno terreno, in Ecclesia nimirum, constituisse? — Verba Christi e contra docent eum in parabolis identidem de vicario servo, villico, oeconomo locutum esse, imprimis Luc. 12, 42 sqq.

β) Sitne aliqua repugnantia in eo quod suam potestatem uni Petro tradiderit ceu vicario atque ita primatem eum constituerit? — Fontes e contra omnes testantur aliquem Petri primatum, licet non omnes huius primatus rationem, radicem, ambitum describant.

b) Rationes *positivae* continentur partim in iis, quae supra de indole pericopae deque eius cum toto evangelio Matthaei conexibus disseruimus; nam inde sequitur maximam partem *EvMatth.* fide

historica carere, si Matth. 16, 13 sqq. fuerit figmentum primitivae Ecclesiae. Accedit *impossibilitas psychologica* talis fictionis et falsificationis maior quam in aliis pericopis, quia agitur de Christi persona et dignitate tum messianica tum divina, de Ecclesiae fundamento et origine, de Petro primo apostolorum. Numquid omnes Christi discipuli, numquid ipsi apostoli, numquid Petrus tali falsificationi vel saltem illusioni consenserunt?

Tandem haec theoria *mirum* quendam factorum *concursum* — casum eum potius dixeris — admittat necesse est: Pericopa scilicet ista, ex supposito ficta in ecclesia particulari hierosolymitana absque ulla tendentia universali, de facto formam universalem prae se fert; Petrus, qui hac pericopa praedicatur ut fundator Ecclesiae primitivae, postea Romam venit ibique moritur atque ut fundator vel saltem primus episcopus ecclesiae romanae celebratur. — Ecclesia romana, quaerens suae ambitionis fundamentum iuridicum biblicum, huic pericopae superstruit primatum atque adeo ipsam Ecclesiam catholicam.

361. NOTAE. — **1** Conspectum quendam dedi in Biblica IV (1923) 189—200, cuius *Summarium* est hoc: Sententia antiquiorum auctorum protestantium liberalium, qui textum istum vel integrum vel ex parte interpolatum esse volunt, aut modificata est — quatenus interpolatio non iam (cum *Resch, Grill*) saeculo II exeunti attribuitur, sed circiter annis 110—120 *(Soltau, Harnack)* — aut plane derelicta. Fautores scilicet sententiae recentioris, evolutionis cuiusdam dogmaticae primitivae (Gemeindetheologie), contendunt verba non quidem esse genuina Christi, attamen originem ducere ex Ecclesia primitiva, hierosolymitana (*Bultmann, Schmidt, Schütz,* alii). Quaestio ulterior, undenam elementa istius pericopae, solvitur vel ex expressionibus et comparationibus similibus V^{is} T^{i} et rabbinorum *(Sulzbach, Kirchbach, Goetz)*, vel ex loci condicionibus *(Immisch)*, vel ex analogiis aliarum religionum *(Köhler, Dell)*. *Kattenbusch* vero, ulterius progrediens, ipsam genuinitatem historicam textus agnoscit, ita quidem ut eius sensum pervertat; cf. etiam *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche 64 sqq. — Singuli auctores: *A. Resch**, Außercanon. Paralleltexte zu den Evangelien II 185 sqq. (Texte u. Unters. X, 2. Heft, Leipzig 1894); *I. Grill**, Der Primat des Petrus, Tübingen 1904; *W. Soltau**, Wann ist Matth. 16, 17—19 eingeschoben? (Theol. Stud. u. Krit. LXXXIX [1916] 233—237); *A. v. Harnack**, Der Spruch über Petrus als den Felsen der Kirche (Matth. 16, 17 f.). (Abhandl. der Akad. der Wiss. [Berlin 1918] 637—654.) — Contra *Resch** scripserunt *C. A. Kneller* in Stimmen aus Maria-Laach L (1896) 129 sqq. 288 sqq. 375 sqq.; *Yves de la Brière,* Études 119 (1909 II) 585 sqq. 729 sqq., 120 (1909 III) 55 sqq.; contra *v. Harnack** plures, inter quos *I. Sickenberger* in Theol. Revue XIX (1920) 1 sqq.; *L. Fonck,* Biblica I (1920) 240 sqq.; *M. d'Herbigny,* Theol. de Ecclesia II 325 sq.; — *R. Bultmann**, Die Frage nach dem messianischen Bewußtsein Jesu und das Petrusbekenntnis, in Zeitschr. für neutest. Wissensch. XIX (1919/20) 165—174. In eodem periodico scripserunt *A. Sulzbach** (IV [1903] 190 sqq.), *K. G. Goetz** (XX [1921] 165 sqq.), *A. Dell** (XV [1914] 1 sqq.; XVII [1916] 27 sqq.); *O. Immisch** (XVII [1916] 18 sqq.); — *W. Köhler**, Die Schlüssel des Petrus (Archiv für Religionswiss. VIII [1905] 214 sqq.); *F. Kattenbusch**, Der Quellort der Kirchenidee (Festgabe Harnack

1921) 143 sqq.; *idem* in Neutest. Forschungen, Sonderheft der Theol. Studien u. Kritiken 1922, II 96 sqq.; *idem* in Festgabe Karl Müller (Tübingen 1922) 322 sqq. — **2** *A. Merk* in Comm. in Evang. secundum Matthaeum, auctore *I. Knabenbauer* ([3]Paris. 1922) II 576. — **3** Erudite et sobrie *S. Euringer,* Der locus classicus des Primates (Matth. 16, 18) und der Diatessarontext des hl. Ephräm. Beiträge zur Gesch. des christl. Altertums und der byzant. Literatur (Festgabe Albert Ehrhard [1922]) 141—179, qui respicit sententiam a v. Harnack (l. c.) propositam. — **4** Hoc de argumento scripsi in Biblica II (1921) 65—69. De *EvHebr.* scripserunt *A. Schmidtke*,* Neue Fragmente und Untersuchungen zu den judenchristl. Evangelien (Texte u. Unters. XXXVII (1911); *A. Merk* l. c. I 15 sqq.; *M.-J. Lagrange* in Revue Bibl. XXXI (1922) 161 sqq. 321 sqq. — **5** Textus composuit *A. v. Harnack*,* Kritik des N. T. von einem griechischen Philosophen des 3. Jahrhunderts (Texte u. Unters. l. c. not. 4) et: Porphyrius' „Gegen die Christen" 15 Bücher, Zeugnisse, Fragmente und Referate (Abhandl. der Akad. der Wiss., Berlin 1916). — **6** Cf. *E. Hennecke*,* Neutest. Apokryphen ([1]1904 399) [2]1924 235 sqq.; *idem,* Handb. zu den neutest. Apokryphen 422. — **7** Editio *Ungnad-Staerk** (*Lietzmann,* Kleine Texte 64) praebet textum et Odarum et Pistis Sophiae. De aliis quibusdam allusionibus alio loco disserendum erit. — **8** Multas obiectiones congessit *I. Schnitzer*,* Hat Jesus das Papsttum gestiftet? (Augsburg 1910); *idem,* Das Papsttum eine Stiftung Jesu? (ibid. 1910.) Contra eum scripsit *F. Tillmann,* Jesus und das Papsttum, Köln 1910. — **9** *H. I. Cladder,* Als die Zeit erfüllt war, [2/3]Freiburg 1922; *idem,* Unsere Evangelien (ibid. 1919) 50 sqq.; *A. Merk* l. c. 34 sqq. — **10** Relatum a *Dell** l. c. (Zeitschr. für neutest. Wiss. XV [1914] 16 sq.).

B. De sensu textuum.

Quaestione praevia, de genuinitate nimirum textus Matth. 16, 17 sqq., soluta, iam in sensum istius et aliorum textuum inquirendum est, quidnam asserant de primatu. Agitur de facto historico, scilicet de institutione primatus, qui Simoni Petro a Christo Domino traditus sit. Agitur maxime de ratione huius primatus, qui dicitur continere summum regimen Ecclesiae universalis. Fontes, quibus nititur nostra inquisitio, sunt quattuor evangelia eaque sola, cum alii fontes, i. e. Actus et epistulae Pauli, methodice ad caput sequens pertineant. Textus principales, Matth. 16, 17 sqq. et Io. 21, 15 sqq., illustrant et confirmant alios et quidem non paucos, qui ex omnibus evangeliis afferri possunt.

ASSERTIO 14. Primatus (iurisdictionis) Petro a Christo promissus (Matth. 16, 17 sqq.) eidem collatus est post Christi resurrectionem (Io. 21, 15 sqq.).

362. 1. Sensus assertionis. — Imprimis determinandus est sensus vocis primatus.

Primatus vi vocis ipsius dicit „esse primum, primum locum tenere". Sensu *improprio,* qui nostris temporibus invaluit, vox usuvenit de rebus (e. g. de primatu, qui adscribitur amori vel sensui prae intellectu). Sensu *proprio,* quem unice hic considera-

mus, illud nomen tantum adhibetur de personis, ita quidem ut intellegatur vel primatus mere *localis*, quo quis est primus alicuius seriei, ordinis, catalogi alphabetici; vel primatus *honoris*, quo quis gaudet aliqua praecellentia prae aliis, sive haec fundatur ratione cuiusdam aequitatis e. g. reverentiae senectutis, sive aliquo iure quod e. g. ordinet praecedentiam legatorum publicorum, quos civitates inter se mittere solent; quod ius postulat quidem exhibitionem honoris istius, neque vero fundat veram inaequalitatem iuris socialis, relationem scilicet superioris ad subditum; vel primatus *auctoritatis (iurisdictionis)*, qui natura sua est socialis, i. e. respicit societatem eiusque membra atque horum relationes ad societatem fundat et regit. Infert inaequalitatem socialem, quatenus superiorem opponit subditis.

Talem potestatem, primatum scilicet auctoritatis et iurisdictionis, contendimus Simoni Petro a Domino collatam esse; hinc eius naturam paulo amplius evolvamus.

363. Brevis circumscriptio haec fere elementa nobis effert: Primatus est iurisdictio hierarchica monarchica. In voce *iurisdictionis* latent, uti supra (n. 315) dictum est, duo haec: Potestas *moralis*, quae ut talis spectat et ligat liberam voluntatem; et potestas *socialis*, quae respicit essentia sua relationes membrorum ad societatem eorumque subiectionem sub auctoritate. *Hierarchica* autem vocatur potestas primatus non ideo solum quia exercetur in societate religiosa, sed praecipue ex eo quod sit munus immediate a Christo et Deo institutum atque certo cuidam homini commissum. Primatus est hierarchicae iurisdictionis gradus summus. Indoles *monarchica* specificat hanc potestatem hierarchicam.

Monarchia. ex societate civili nota. est certa forma regiminis supremi. ea scilicet, in qua summa potestas civilis (regimen, iurisdictio summa) est penes unum, singularem hominem, qui ex proprio iure, pro tempore vitae regimen supremum tenet, vel exclusive vel non exclusive. Ex dictis patet agi de societate perfecta et hinc de iurisdictionis potestate. Hanc tenet unus, persona physica (rex), in oppositione ad personam moralem vel collegium, ita quidem ut proprii iuris esse dicatur. Quae proprietas non quidem excludit ius divinum supremum, a quo omnis potestas derivatur, sed negat ius altius humanum; hinc rex distinguitur a praesule reipublicae, qui democratice ab universitate civium eligitur, ut eius nomine et auctoritate regimen summum exerceat. Regis regimen est pro tempore vitae; nam nemo poterit eum demovere loco suo. Exclusivitas monarchiae restringi potest vel ex parte optimatum, e. g. electorum, vel ex parte populi, qui secundum constitutiones certo modo et gradu regimen participat.

Hic conceptus in *primatu*, quem Christus suae Ecclesiae dedit, plene verificatur. Persona physice una, Petrus vel eius successor,

gerit summum regimen Ecclesiae universalis, et quidem ex proprio iure, eoque formaliter divino, quia Christus immediate munus instituit et Petro tradidit. Fideles igitur, sicut nullas partes habuerunt in primatu creando et Petro deferendo, ita in posterum nemini primatum possunt vel conferre vel adimere. Summus Pontifex, quamdiu fuerit membrum Ecclesiae neque libere muneri suo renuntiaverit, pro tempore vitae est primas Ecclesiae. Plenissime praeterea in primatu invenitur exclusivitas summae potestatis. Omnia membra Ecclesiae ipsi subsunt, ipse vero nulli subest, nec singulis nec toti communitati. Plenam exercet potestatem ita quidem, ut de hac plenitudine ne possit quidem quidquam cedere [1].

Hoc modo primatus arcet omnem speciem democratiae quam longissime a regimine Ecclesiae. Est enim potestas vere absoluta, quae rationem reddere debet soli Deo.

364. 2. Variae sententiae. — Hinc nil mirum, quod ab omnibus fere, qui non sunt catholici, primatus negetur; consequenter negare debent Christum primatum instituisse et Petro tradidisse. Hinc textus allatos aliter explicare conantur, imprimis Matth. 16, 17. Varias explicationes in decursu inquisitionis recensebimus.

Probatio ita procedit, ut primo consideret Matth. 16, 17 sqq., promissionem scilicet primatus; dein transeat ad Io. 21, 15 sqq., ubi enuntiatur collatio eiusdem Petro facta. Accedunt testimonia, quae habentur in *EvMarc.* et *EvLuc.*

I. Promissio primatus (Matth. 16, 17 sqq.).

365. 1. Condicio pericopae. — Christus versatur extra Palaestinam in regionibus ethnicorum vel diasporae, in „partibus" (Matth. 16, 13) vel in „castellis" (pagis, κώμαις, Marc. 8, 27) Caesareae Philippi.

Caesarea antiquitus Paneas vocata, anno 20 a. Chr. ab Augusto Herodi Idumaeo dono data, ab eius filio et herede, Philippo tetrarcha, denuo exstructa, amplificata, magnificis aedificiis ornata est. Nomini Caesareae, in honorem Caesaris Augusti ipsi indito, apponebatur distinctivum Philippi conditoris. De templo Augusto sacro, quod Herodes ad fontem Iordanis super rupes collocaverat, supra sermo fuit. Verba Domini in conspectu huius sanctuarii prolata esse plane non constat, sed neque ut impossibile excludi potest; probabilior videtur sententia, quae supponat locum narrationis esse prope oppidum, non oppidum ipsum [2].

Pauci sunt, qui Christum *comitantur*, secundum contextum soli Duodecim. Rationem evangelista haud obscure indicat. Populus enim Israel legationem Christi atque eius messianitatem non agnovit, eius doctrinam reiecit, miracula non ut signa sed ut

auxilia et levamina dumtaxat recepit. Non deerant quidem occasiones, in quibus propius ad agnoscendam Christi dignitatem messianicam accederent: „numquam (tale quid) apparuit sic in Israel“ (Matth. 9, 33). „Numquid hic est filius David?“ (12, 23.) Sed obloquuntur pharisaei: „In principe daemoniorum eicit daemones!“ (9, 34; cf. 12, 24; 10, 25.) Cum his igitur, pharisaeis et legisperitis, Christo erat luctandum, cumque ideis, quas spargebant et fovebant in populo, falsis et perversis (cf. *Ass. 3,* n. 95 sqq.), ut sibi adsciscerét salvaretque populum (cf. 12, 1 sqq. 24 sqq. 38 sqq.; 15, 1 sqq.: 16, 1 sqq.). Populus autem sequebatur duces suos, qui non erant veri gregis pastores (9, 36). Hinc Christus recedit a populo, curat potius discipulos suos docendos et erudiendos (13, 10 sqq. 34 sq.; 15, 12 sqq.), fugit insidias Herodis tetrarchae (14, 13), ideas messianicas vulgi (14, 22 sq.), pharisaeos et scribas, qui Hierosolymis venerant, ut eum tentarent (15, 21), pharisaeos et sadducaeos signum petentes (16, 4 sq.), atque ita pervenit in partes Caesareae Philippi[3].

366. Quinam suae praedicationis *fructus?* quinam effectus signorum?

Apostolis suis Christus hanc proponit quaestionem, ut sibi rationem reddant de Christi condicione et de sua ad eum relatione: „Quem dicunt homines esse Filium hominis?“ (Matth. 16, 13.)

Aliae ab aliis proferuntur opiniones: Iesus modo dicitur Ioannes Baptista, qui surrexit a mortuis (cf. 14, 2), modo Elias, qui praecedet adventum Messiae (Mal. 3, 1; 4, 5 sqq. Eccli 48, 1 sqq.), modo Ieremias, qui adstat populo in tribulationibus (2 Mach. 15, 14), vel alius (aliquis?) propheta. Iesum esse Christum vel Messiam nemo videtur admisisse. Haec idea, si quando in vulgo (Luc. 9, 18 οἱ ὄχλοι) exstiterit, iamdudum exstincta est per proceres Israel. Nunc demum dirigit Christus eandem quaestionem suis apostolis: „Vos autem, quem me esse dicitis?“ Quaestio sane gravis, atque ex eo gravissima quod responsum dare debent in solitudine, separati a suo populo, procul ab omni suggestione enthusiasmi, quem Christi praedicatio excitaverat et miracula auxerant, longe ab illis ideis populi, quas ipsi modo Christo exposuerant. Simon Petrus, ille solus, respondet: „Tu es Christus, Filius Dei vivi!“ Verba gravia, aeque gravia ac quaestio posita, messianitatem Iesu Christi aperte profitentur — et in his iam excedunt vulgi opiniones — insuper eius dignitatem divinam, filiationem divinam naturalem, tamquam convictionem certam.

Christus verba sollemnia sollemniter confirmat: „Beatus es Simon Bar Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed

Pater meus, qui in caelis est." Illa scilicet beatitudine Simon beatus est, ob quam Christus Patri gratias egerat, qui mysteria altissima parvulis revelat (11, 25 sqq.). Revelationi etenim, non cognitioni naturali, tribuenda est haec convictio et haec Simonis responsio. Verbis suis Christus adiungit promissionem primatus, de qua iam agendum est.

367. 2. Sensus pericopae. — Inquisitio nostra duo considerare debet: (a) sensum verborum, *quid* dicatur, et (b) personam, *cui* dicantur.

a) Christus tribus metaphoris suam voluntatem manifestat: comparatione scilicet Ecclesiae cum aedificio, cuius fundamentum Petrus sit; comparatione clavium, quae eidem Petro traduntur in signum plenae potestatis quam in domo Christi exercebit; comparatione denique ligationis et solutionis, qua indoles moralis atque adeo divina huius potestatis effertur.

Aptissime quidem Christus his metaphoris utitur, quia non solum in se sunt clarissimae et insuper usu librorum sacrorum et rabbinorum auditoribus Christi familiares, sed etiam eo ipso apprime idoneae, quibus verba et voluntas Christi mentibus eorum infigantur. Accedit earum inter sese arta conexio talis, ut alia aliam excipiat, explicet, compleat.

α) *Metaphora petrae.* — „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus (kepha), et super hanc petram (kepha) aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam."

Sensus horum verborum petendus est ex ipsa comparatione et, si fieri possit, ex Christi explicatione authentica. — *Comparatio* Ecclesiae, societatis religiosae, cum aliqua domo est prona et in V^{e} T^{o} saepe adhibita, unde usus transiit in N^{am} T^{um} (cf. e. g. Act. 2, 36; 7, 42; 1 Tim. 3, 15; Hebr. 3, 6). Idem dicendum est de „fundamento" domus; ex multis locis sufficiat unum allegare, Eph. 2, 19 sqq.: „...estis... domestici Dei; superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio ... crescit in templum sanctum in Domino..." (cf. Eph. 3, 17; Col. 1, 23; 1 Cor. 3, 10 sqq. et alia). Quibus in textibus fundamentum describitur ut ratio firmitatis domus. Fundamento tribuenda est *unitas* domus, qua omnes domus partes inter se compingantur et cohaereant atque domus vere una consistat. Eidem autem debetur *stabilitas externa,* qua possit resistere omni fluctuum vel ventorum impetui. Tali fundamento comparatur Petrus vel potius: Simon partes fundamenti sustinebit in Ecclesia a Christo fundanda; hinc vocatur Petrus, Kepha.

Hanc interpretationem textus esse legitimam *ex verbis Christi* clare constat. Duo sunt textus inter se paralleli, quibus ratio fundamenti explicite exponitur a Domino: Matth. 7, 24; Luc. 6, 48.

In conclusione sermonis montani Christus addit parabolam viri sapientis, qui aedificat domum super petram (7, 24) constituentem ipsum fundamentum domus (7, 25: τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν). Firmitate huius fundamenti domus ipsa inconcussa consistit et resistit pluviis et fluctibus et ventis. Ergo fundamentum intellegitur ipsum saxum naturale, neque vero muri partes imae, quae sub terra reconduntur et aliquando etiam fundamentum vocantur. Id quod expresse effertur loco parallelo Luc. 6, 48. Homo aedificaturus domum fodit in altum et ponit fundamentum super petram (ἔθηκεν θεμέλιον ἐπὶ τὴν πέτραν). De tali *petra*, cui tota domus superstruitur, de *fundamento naturali*, non artificiali, Christus loquitur Matth. 16, 18: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.

Ex quo apparet non iuste plures protestantes conservativos fundamentum-petram ita explicare, ut Simon sit *unus* vel *primus lapis* muri fundamentalis, cui alii adiunguntur, quatenus Petrus primus fuerit in *fide* profitenda vel primus in evangelio *praedicando* et Ecclesia fundanda [1].

368. Quae si ad *Ecclesiam* transferuntur, condicionem Petri talem determinant, ut sit fundamentum totius Ecclesiae, sine quo neque integra neque salva consistere possit, ex quo omnis unitas seu compactio partium et omnis stabilitas provenit, indefectibilitas et invincibilitas absoluta. Dicit enim Dominus: „Portae inferi non praevalebunt adversus eam", vel scilicet Ecclesiam, quia innititur fundamento firmo, vel petram, quae ut talis est ipsa firmitas.

„*Portae inferi*" aliter ab aliis intelleguntur. Sunt qui velint designari potestatem *mortis* (πύλαι τοῦ θανάτου, cf. Ps. 9, 14; 106 [107], 18; Cant. 8, 6; πύλαι ᾅδου, Is. 38, 10; Sap. 16, 13); quo sensu supposito Christus praedicit Ecclesiae omnimodam indefectibilitatem: non interibit umquam. Sunt qui insuper intellegant potestatem *diaboli;* quorum sententia videtur esse magis consona verbis scripturae. Nam potestas inferni et satanae directe opponitur tamquam potestas inimica Regno Dei et Christi (Matth. 13, 39 41) et a Christo impugnatur (Matth. 12, 26 sqq.). „potestas tenebrarum" (Luc. 22, 53). Nexus artus, qui inter utramque potestatem intercedit, exhibetur Hebr. 2, 14: Christus destruxit per mortem „eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum" (cf. Rom. 5, 12 sqq.; 1 Cor. 15, 22 sqq. Usus loquendi $N^i T^i$ apparet ex locis his: Matth. 11, 23; Luc. 16, 23; Apoc. 1, 18; 6, 8; 20, 13). Nulla igitur potestas creata, neque mors, cui nil resistere potest, neque diabolus, princeps huius mundi et inimicus regni Christi, praevalebit adversus Ecclesiam, quia fundata est super petram, i. e. Simonem, qui idcirco vocatur Petrus [5].

Iam quaeritur, quaenam sit *ratio Petri in Ecclesia,* si adhibeamus terminos proprios linguae iuris. Responsum eruendum est ex natura Ecclesiae tamquam societatis. Ratio firmitatis et stabilitatis, principium reale unitatis membrorum omnis societatis est auctoritas, respective, in societate perfecta, iurisdictio. In Ecclesia igitur erit Petrus qua petra et fundamentum, a quo totius societatis unitas et firmitas pendet, auctoritas summa, exercens veram iurisdictionem.

Neque hac explicatione quidquam derogatur *iuribus Christi* absolutis in Ecclesiam suam (μου τὴν ἐκκλησίαν). E contra; quia Christus tamquam fundator est caput Ecclesiae et rex (Matth. 11, 27 sqq.; 13, 41; 16, 28; 20, 21 sqq.; 25, 34; 28, 18), potest suam potestatem alteri tradere, qui suo nomine et sua auctoritate praesit regno Christi. Christus igitur manet verum fundamentum Ecclesiae, ratio ultima et absoluta firmitatis, fons auctoritatis omnis. *Auctoritas* vero Petri est participata, exercita in unione cum Christo, cum quo unum quodammodo caput constituit. Similem considerationem Paulus exhibet Eph. 2, 20. *Indefectibilitas* vero Ecclesiae est munimen Christi, quo Petrus fit fundamentum stabilissimum. Non deerunt pericula et persecutiones (Matth. 5, 10 sqq.; 10, 16 sqq.; 24, 9 sqq.); sed haec omnia Ecclesiam non vincent, vi promissionis et assistentiae Christi.

369. β) Metaphora clavium. — „Et tibi dabo claves regni caelorum." Metaphora petrae exhibet relationem, ex voluntate Christi necessariam, inter Petrum et Ecclesiam: metaphora clavium hanc relationem eatenus determinat, quatenus est comparatio deprompta ex ordine sociali, scilicet ex administratione domus vel regni.

Christus alio loco locutus est de quadam potestate clavium, quae competat *scribis* et *pharisaeis*. „Vae vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis" (Luc. 11, 52). Similiter apud Matthaeum (23, 13): „Vae . . . vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae: quia clauditis regnum caelorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare." Legisperiti enim et pharisaei hac sua auctoritate doctrinali abusi erant contra finem muneris ipsis collati et contra consilia divina: arcebant et impediebant populum a Regno Dei[6].

Non autem talis fuit haec potestas clavium, quam Christus *Petro* promittit. Clavis scientiae (κλεὶς τῆς γνώσεως) non est unica clavis Regni Dei, quod ex conexu versuum 18 et 19 coincidit cum Ecclesia Christi. Alia iam et amplior quaerenda est explicatio clavium, quae auctoritatem doctrinalem non quidem excludat, attamen excedat. Ecclesia est regnum Christi: potestas

igitur huius regni est proprie et proxime potestas Christi. Hanc vero aliquando ipse vocat „clavem David" eamque describit ut omni ex parte absolutam. „Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit" (Apoc. 3, 7). Ergo potestas Christi est davidica, regia et messianica, in qua condit regnum suum, annuntiatum a prophetis, scilicet Ecclesiam suam. Hanc potestatem regiam tradit Petro exercendam in Ecclesia, simili modo atque ministerium domus regiae David translatum est Eliacim (Is. 22, 15 sqq.). Verba in Apocalypsi relata ipsa nos remittunt ad hanc narrationem Isaiae. Sobna, praepositus templi et minister domus regiae, de statione sua et ministerio suo deponitur et Eliacim in eius locum sufficitur. „Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda. Et dabo clavem domus David super humerum eius: et aperiet, et non erit qui claudat: et claudet, et non erit qui aperiat" (22, 21 b 22). Eliacim igitur exercebit potestatem regiam (David), vices gerens regis. Ita Petrus vices gerit Christi regis, in domo et regno Christi, in Ecclesia. Christus enim abibit „in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reverti" (Luc. 19, 12), passione sua et morte et resurrectione (Matth. 16, 21). Interim committit regnum servis suis, qui vigilantes semper parati sint, ut revertentem recipiant (Luc. 12, 36). „Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam an et ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens (ὁ πιστὸς οἰκονόμος ὁ φρόνιμος), quem constituit Dominus super familiam (θεραπείας) suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?" (12, 41 sq.)

Haec est igitur condicio Petri: servus est, quatenus subditus est Christo et ab eo instruitur auctoritate; sed vi huius auctoritatis, plenae et supremae, est totius domus οἰκονόμος[7], gubernans eam et dirigens ut Christi vicarius.

Ex dictis patet verbis Christi non satisfacere eos, qui Petro adscribant solam auctoritatem *doctrinalem* ad instar legisperitorum, multo minus eos, qui Petrum velint esse *ianitorem* dumtaxat Regni Dei et clavigerum.

370. γ) Metaphora ligandi et solvendi. — „Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis." Quoniam supra (n. 321) de sensu huius comparationis actum est, restat ut consideremus relationem potestatis his verbis enuntiatae cum metaphoris praecedentibus.

Potestas ligandi atque solvendi natura sua affinis est potestati clavium. Utraque est bipartita: claudere — aperire, ligare — solvere;

utraque definit naturam potestatis Petro traditae. Differunt autem inter se maxime ex eo quod potestas clavium exhibet potius plenitudinem auctoritatis, indolem dixeris monarchicam; potestas vero ligandi et solvendi potissimum eius ambitum describit, sive extensive et obiective consideratur („quodcumque ligaveris . . .“), sive intensive, prout ligat et solvit conscientiam illud, quod Deus ratum habet („et in caelis“); qua ratione effertur relatio Ecclesiae et auctoritatis ecclesiasticae ad alteram vitam, indoles Ecclesiae religiosa et transcendens hoc saeculum.

Iam si uno quasi conspectu et intuitu potestas consideratur, quam Christus *hisce tribus metaphoris* circumscribit, haec dicenda est (1) *socialis* seu auctoritas, in Regno nimirum Christi, quod vocavit Ecclesiam suam; (2) *hierarchica;* nam Christus ipse munus gubernationis vicariae instituit, sua auctoritate instruit, Simoni Petro tradit; (3) *monarchica,* quia, plena et summa, soli Petro committitur. Sed cum hoc tertium elementum acriter impugnari soleat, propriae disquisitioni subiciatur, licet iam iis, quae in ista et in praecedente assertione dicta sunt, plene contineatur.

371. b) Verba Domini *ad solum Petrum* dicta sunt. — Nulla quidem in textu apparet ratio, cur in dubium vocetur Simoni Petro eique soli haec Christi verba dici. *Tenor* enim *verborum* clare distinguit inter apostolos omnes („vos“ 16, 15) et Simonem („tu“ 16, 17 sqq). Parallelismus verborum Petri („Tu es Christus . . .“) et Christi („tu es Petrus . . .“) effert personam Simonis, prae aliis apostolis. Quae rationes de se sufficiunt, quibus evincatur verba dici soli Petro. Accedunt autem momenta etiam fortiora ex *metaphoris* adhibitis. Fundamentum domus describitur ut unum, cui superstruitur totum aedificium; hoc fundamentum (kepha) est Simon, qui ob id ipsum vocatur Petrus (kepha), et quidem ille solus. Potestas dein clavium minime est ambigua: est enim regia, monarchica, sicut auctoritas regis, cuius vices gerit. Ergo Christus est rex, Petrus regis vicarius et quidem ille solus.

Tota denique condicio, qua Petrus secundum *Ev.Matth.* prae aliis apostolis effertur (10, 2; 14, 28 sqq.; 16, 22; 17, 27), lucem suam accipit ex hac primatus promissione. Itaque consideratio plenior pleniorem reddit et certiorem argumentationem.

Rationes vero, quae adversus sententiam modo expositam afferri solent, tantum abest ut eius veritatem negare valeant, ut eandem potius confirment.

Christus, ita quidam, *de se ipse* locutus est, dicens „super hanc petram aedificabo . . .“, „tibi dabo . . .“, „quodcumque ligaveris. . . .“ — Refutatione talis interpretatio non indiget. Christum vere esse et in exposi-

tione nostra manere fundamentum Ecclesiae, de cuius virtute et firmitate derivatur omnis auctoritas atque indefectibilitas Petri, supra (n. 353 368) iam diximus.

Maior aliquibus videtur difficultas ex eo petita, quod *omnes apostoli* vocentur fundamentum (Eph. 2, 20), vel quod omnibus Duodecim a Christo tradatur potestas ligandi atque solvendi (Matth. 18. 18). — Sed quaeritur. utrum haec asserta sese excludant an vero potius confirment. Pleno quidem iure apostoli. immo secundum Paulum etiam prophetae N^i T^i (l. c.), comparantur fundamento Ecclesiae, quatenus praedicant evangelium Christi ut Christi legati (1 Cor. 3, 10 sqq.). Omnes apostoli instructi sunt potestate sociali et auctoritate in Ecclesia (Matth. 18, 18). Sed de ordine et hierarchia, quae fortasse vigent inter apostolos, textus, si soli considerentur, nil dicunt; quodsi quis animadverterit eandem potestatem ligandi et solvendi et Petro (Matth. 16, 19) et omnibus apostolis (Matth. 18, 18) committi. et Petro quidem primo, facile inferet hanc esse Christi intentionem et voluntatem, ut Petro plena, ceteris vero participata quaedam auctoritas tribuatur.

Petrum esse „*repraesentantem*“, ut aiunt, apostolorum vel totius communitatis christianorum, cui Christus in persona Simonis totam auctoritatem tradiderit, ne innuitur quidem in textu; excluditur autem peremptorie et sensu pericopae exposito et contextu eiusdem et mente auditorum, qui, utpote Iudaei atque membra hierarchiae V^{is} T^{ii}. hierarchicum sensum verbis Christi sponte tribuebant. Hinc illae, quae deinceps narrantur, contentiones apostolorum inter se, „quis eorum videretur esse maior“ (Matth. 18, 1 sqq.; 20, 20. Luc. 22, 24)[8].

II. Collatio primatus (Io. 21, 15 sqq.).

372. Alia prorsus ac illa, quam narrat Matthaeus (16, 13 sqq.), est condicio verborum, quae Christus resuscitatus dicit Petro: „Pasce agnos meos! Pasce oves meas!“ (Ioh. 21, 15 sqq.) Sonitus belli illic, clangor veluti tubarum: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam!“ — istic autem pax summa. Piscatio nocturna, matutinum convivium, sermones Christi cum discipulis familiares, collatio muneris pastoris seu auctoritatis supremae in grege Christi. Aequalis autem in utroque loco est plenitudo potestatis, qua Christus vicarium suae auctoritatis in sua Ecclesia sibi constituit.

De genuinitate huius pericopae haec sola resumantur:

(1) Caput ultimum evangelii quarti *adiectum* esse operi iam absoluto ostendunt verba extrema capitis praecedentis (20. 30 sq.), ea tamen lege ut *Ev Io.* quantum constat numquam divulgatum fuerit absque hoc ultimo capite.

(2) Omnes testes antiqui, quotquot de auctoritate huius evangelii loquuntur, id adscribunt *Ioanni apostolo.* Atque ipse Eusebius, qui Apocalypsim scriptam esse velit ab altero quodam Ioanne, presbytero item ephesino (Hist. eccl. 3, 39, 6; *K* 47), evangelium tamen affirmat scriptum

esse ab apostolo. Similiter Dionysius Alexandrinus, quem Eusebius testem suae sententiae invocat (apud Eusebium, Hist. eccl. 7, 25, 7).

(3) Evangelium quartum celerrime inter christianos divulgatum, admissum, *fide dignum* habitum est: ratio vero huius facti alia esse nequit nisi scriptoris auctoritas, historica inconcussa.

(4) Si quis, abstrahens ab hac apostoli auctoritate, consideret *EvIo.* solummodo tamquam *documentum saeculi* primi exeuntis vel secundi ineuntis, ipse quoque agnoscet iam tunc temporis viguisse inter christianos convictionem Petro a Domino primatum commissum esse.

373. Praeter Ioannem etiam *EvMatth.* innuit saltem aliqua ratione primatus collationem Petro factam, eo quod plenius quam Marcus et Lucas narrat, quae post priorem multiplicationem panum acciderunt. Iesus ambulans super mare noctu obviam venit naviculae discipulorum fluctibus iactatae (14, 23 sqq.). „Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas", ita Petrus audacius quam prudentius. — „Veni!" — Descendit Petrus de navi, videt ventum validum, timet, mergi coepit, clamat: „Domine, salvum me fac!" Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum et ait illi: „Modicae fidei, quare dubitasti?" (14, 30 b 31.) Non fuit sine ratione, quod haec pericopa ideo a Matthaeo evangelio suo inserta esse diceretur, ut et ostenderet Simonem esse Petrum (kepha) virtute Christi, non autem ex propria virtute, et simul indicaret Petrum neque negatione Domini aquis esse submersum, sed servasse tum fidem tum primatum ob hanc fidem ipsi aliquando promissum. Verum est neque Matthaeum neque alium ex evangelistis synopticis quidquam referre de huius primatus collatione; et ex hac causa iure supponimus Ioannem in hoc quoque sibi constare atque quae desunt evangeliis praecedentibus complere.

Integrum enim *caput ultimum* (21) dixeris agere de Ioanne et Petro. Ioannes, ita exierat sermo inter fratres, secundum verba Domini non est moriturus. Quae verba, ut eorum verus sensus cognoscatur, Ioannes affert (21, 22), enarrans ordine qua occasione a Domino dicta sint. Qui factum est, ut plura de Petro, de relatione inter Petrum et Ioannem familiari (21, 20 sq.: cf. 13, 22 sqq.; 18, 15 sq.; 21, 7) deque condicione Petri tradat: Petrus est, qui invitat ad piscandum, qui Domino cognito se mittit in mare, qui trahit rete ad terram; Petro dein a Christo praedicitur martyrium crucis pro Christo subeundum. Antea autem, modo et lingua sollemniore, eidem collatus est primatus.

Cui collationi alia quaedam in *EvIo.* narrata *praeludunt*, inter quae eminent verba, quibus Christus Simonem ad sui sequelam vocat: „Tu es Simon filius Iona (graece: Ἰωάννου): tu vocaberis

Cephas, quod interpretatur Petrus" (1, 42), et verba Petri, quibus ipse, abeuntibus multis discipulis, suam in Christum fidem profitetur: „Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes, et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei (graece: ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ)" (6, 68 sq.). In ultimo tandem capite exponitur ratio, curnam Christus Simoni nomen novum imposuerit: Simon erit kepha Ecclesiae Christi vel, mutata metaphora: supremus gregis Christi pastor.

374. *Interpretatio* huius metaphorae pastoralis nulla requiritur; notissima enim est sicut aliis gentibus ita Iudaeis. Pastores vocantur in libris sacris duces populi, iudices (1 Par. 17, 6); reges, qui dicuntur pascere populum Iahve Israel (2 Reg. 5, 2), principes populorum (Ier. 6, 3); sacerdotes, pastores, prophetae defecisse dicuntur a Iahve (Ier. 2, 8). Proprius autem pastor gregis sui Israel est *Iahve;* pastorem eum canunt psalmi (22 [23], 1; 79 [80], 1), praedicant prophetae. Iahve, dicit Isaias, „sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit" (40, 11). Quam curam pastoralem participant pastores ab ipso constituti, sicut *David,* quem „elegit . . . et sustulit eum de gregibus ovium . . . pascere Iacob servum suum, et Israel hereditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos" (Ps. 77 [78] 70—72; cf. 2 Reg. 7, 8). Qui tamen non est nisi typus et adumbratio quaedam boni et veri pastoris, quem Iahve populo suo dabit, qui descendens ex regia stirpe David „Unctus Domini", *Messias* scilicet, erit sensu pleniore pastor quam David aut alius quis ex regibus et prophetis. Ipse quidem Iahve congregabit populum suum, reliquias Israel, et custodiet eum sicut pastor gregem suum (Ier. 31, 10); sed suscitabit super eum pastores, et pascent eum (23, 4), „germen iustum" David, „et regnabit rex" (23, 5), „et ipse erit eis in pastorem" (Ez. 34, 23). Clarissime hisce locis Ieremias (23, 1 sqq.) et Ezechiel (34, 1 sqq.) depingunt imaginem boni pastoris venturi.

Hanc imaginem *Christus* sibi applicat. In eodem evangelio Ioannis legimus parabolam boni pastoris (10, 1 sqq.): „Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis" (10, 11). „Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere . . . et fiet unum ovile, et unus pastor" (10, 16; cf. 11, 52 sq.). Hunc suum gregem iam tradit Simoni Petro pascendum; nam ipse ascendet ad Patrem suum (20, 17; cf. 14, 1 sqq.; 16, 28; 17, 4 sq.; 8, 21 sq.). Manet quidem dominus proprietatis et summus pastor: „Pasce oves *meas!*" (cf. 10, 14 27 sq.),

Petrus igitur est pastor gregis Christi eodem plane modo ac est fundamentum Ecclesiae Christi (Matth. 16, 18). Ideoque Petrus in sua epistula priore Dominum vocat „principem pastorum" (ἀρχιποίμενα, summum pastorem; 5, 4; cf. 2, 25), cuius ipse vices gerit, aliique cum eo et sub eius ditione constituti, veri pastores animarum (Matth. 18, 12 sqq.; cf. 9, 36 sqq.).

375. Quibus expositis minime necessarium videtur esse, indolem huius potestatis hierarchicam et monarchicam propria inquisitione ulterius efferre. Munus pastorale Petro traditum esse *hierarchicum,* verba ipsa directe testantur; Christus enim munus proprium Petro committit, hinc totam eius auctoritatem. Simon Petrus gregi Christi praeficitur sicut rex David populo Dei. *Monarchicam* esse hanc potestatem, simili consideratione ac in priore parte adhibebatur, in lucem profertur: soli etenim Petro verba Christi dicta sunt. Quod attinet ad hoc factum, iam ipsa pericopae forma dialogica tollit omne dubium. Christus enim ter Petrum alloquitur solum; solus ei respondet Petrus. Qui numerus haud obscure alludit ad triplicem Petri negationem (13, 38; 18, 25 sq.), quam triplici professione amoris et dilectionis retractat. Totum deinde argumentum ultimi huius capitis tale est, cuius finis saltem secundarius recte dicatur in eo esse ut Petri patefiat prae aliis apostolis praestantia, qua Christi pastoris vicarius, qua Christo crucifixo in morte etiam similis. Etiamsi igitur verba „plus his" (πλέον τούτων, 21, 15) a pluribus etiam omitterentur testibus, tamen dicenda essent sensui pericopae perfecte consonare: de facto autem testes longe plurimi iique gravissimi haec verba exhibent tamquam originaria evangelii Ioannis; itaque neque desunt in editionibus criticis, ut *v. Soden* et *Vogels.*

***Scholion.* Dē traditione synoptica.**

376. Quae ita, nixi imprimis *EvMatth.* et *EvIo.*, deduximus, confirmationem non exigui ponderis accipiunt ex consensu aliorum fontium, qui, licet singuli non satis auctoritatis afferant, consonantia sua tamen primatum Petri expromunt. Quoniam de Actibus et de epistulis Pauli in *Ass. 16* (n 402 sqq.) agendum erit, reliquum est, ut perscrutemur traditionem synopticam.

Traditio synoptica exhibetur a tribus evangeliis Matthaei, Marci, Lucae; et hoc sensu intellecta continet quam clarissime primatum Petri. Quodsi quis velit interim abstrahere a pericopis petrinis Matthaeo propriis, imprimis a Matth. 16, 18 sqq., et considerare sola ea, quae tribus evangeliis sint communia vel quae in Marco et Luca inveniantur, ipse quoque fatebitur non deesse vestigia primatus Petri.

Verba quidem Christi ad Petrum de Ecclesia fundanda apud Marcum et Lucam desunt, licet uterque pericopam habeat (Marc. 8, 27 sqq. Luc. 9, 18 sqq.); explicatio, ut supra innuimus, fundatur in fine et natura diversis evangeliorum. Facta autem historica, quorum interpretationem solus Matthaeus dat, aeque exhibentur a Marco et a Luca. Uterque enim narrat Simoni a Christo nomen Petri inditum esse (Marc. 3, 16. Luc. 6, 14); uterque insinuat Petrum quendam inter Duodecim primatum gessisse (Marc. 1, 36; cf. Luc. 8, 45; Marc. 1, 16 sq.; Luc. 5, 1 sqq.); uterque demum evolutionem historicam eandem describit ac Matthaeus: Christus, cum sit Messias et praedicet Regnum Dei, reicitur ab Israel: quonam igitur modo, super quo fundamento erigetur regnum Messiae? Marcus tacet; Lucas vero videtur responsum simile dare ac Matthaeus in relatione aliqua petrina, quam solus habet (22, 31 sq): „Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos." Inter colloquia, quae Christus iamiam discedens ex coenaculo cum suis habuit, protulit haec verba, quae singula fere cum singulis expressionibus Matth. 16, 18 comparari possunt. Satanas expetivit te — portae inferi; ego rogavi — ego aedificabo super hanc kepha; confirma — Petrus fundamentum firmitatis. Discrimen potissimum est in eo quod verba a Luca relata diserte respicere videntur magisterium Petri exercendum tempore proxime futuro passionis Domini; sed valor universalis positive non excluditur (cf. n. 751).

377. NOTAE. — **1** Conferatur descriptio primatus atque eius rationis quam exhibet *Concilium Vaticanum* sess. 4 (*D* 1822 sqq., imprimis 1823, 1826, 1827, 1831; cf. n. 537 sq.) et encyclica Leonis XIII *„Satis cognitum"* (n. 990 sqq.); *CIC* breviter eadem complectitur 108, 3; 218 sq. — **2** Cf. *E. Schürer**, Geschichte des jüd. Volkes I $^{3/4}$ 427 sq.; II ^{4} 204 sqq.; *O. Immisch**, Zeitschr. für neutest. Wissensch. XVII (1916) 18 sqq. — **3** *H. I. Cladder*, Als die Zeit erfüllt war 145 sqq.; *Knabenbauer-Merk*, Comm. in Evang. sec. Matthaeum I 34 sqq. — **4** *Th. Zahn**, Das Evangelium des Matthäus (Leipzig 1905): „Nicht als ein felsiger Baugrund, welcher die Festigkeit des auf demselben erbauten Hauses verbürgt (cf. 7, 24 sq.), ist Pt dadurch bezeichnet, sondern als ein Felsstein, der als erster Baustein dienen soll . . . . der als der Erste den Glauben . . . in ein klares Bekenntnis gefaßt hat, . . . an welchen alle weiterhin zu dem Bau des Hauses zu verwendenden Steine sich anschließen sollen" (p. 539). „. . . Das Fundament eines Hauses (besteht) nie bloß aus einem einzigen Stein, dem Grundstein, sondern aus einer Schicht gleichartiger Steine . . ." (p. 546). Similem interpretationem, quam tenent *Strack-Billerbeck**, Komm. zum N. T. aus Talmud u. Midrasch I 730. iure reicit *B. Vandenhoff* in Theol. Revue XXIII (1924) 302. — *I. Haussleiter** contra Immisch eiusque explicationem topographicam Matth. 16, 18 haec opponit: „Mein Hauptbedenken gegen diese Erklärung besteht darin, daß Petrus in dem Herrnwort nicht als eine hohe, ragende

Felswand, sondern als ein einzelner Felsstein bezeichnet wird — als der erste Baustein, an welchen alle weiterhin zu dem Bau der Gemeinde zu verwendenden Steine sich anschließen werden, wie es ja dann an Pfingsten wirklich geschah (Apg. 2, 41)" (Theol. Literaturbl. XXXIX [1918] 412). — De interpretatione textus apud theologos Orientis separati cf. *Th. Spáčil,* Conceptus et doctrina de Ecclesia iuxta theologiam Orientis separati (Romae 1924) n. 41 127. — **5** „Vectes inferni" ab Ephraem Syro videntur considerati esse tamquam cataractae, quibus aquae inferae tenentur, „fontes abyssi magnae" (Gen. 7, 11), ne inundent terram. Ita *S. Euringer,* Festgabe Albert Ehrhard 150. — **6** De potestate clavium cf. *G. Dalman*,* Die Worte Jesu (Leipzig 1898) 176: *K. Adam* in Tüb. Theol. Quartalschr. XCVI (1914) 167 sqq.; ad totam pericopam *Strack-Billerbeck*,* Kommentar zum N. T. aus Talmud und Midrasch. I: Das Evangelium nach Matthäus 731 sqq.; *M.-J. Lagrange,* Évangile selon S. Matthieu 322 sqq. — **7** Occurrit apud S. Paulum οἰκονόμος, οἰκονομία hisce locis: 1 Cor. 4, 1 sq.; 9, 17. Gal. 4, 2. Eph. 1, 10; 3, 2 9. Col. 1, 25. 1 Tim. 1, 4. Tit. 1, 7; cf. 1 Petri 4, 10. Rationes convenientiae bene exponit *S. Thomas,* Summa c. gent. 4, 76. — **8** Interpretationem textus Matth. 16, 18 in Ecclesia primitiva non fuisse uniformem ostendunt *H. Bruders* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXIV (1910) 659 sqq.; XXXV (1911) 79 sqq. 292 sqq. 464 sqq. 690 sqq.; *K. Adam* in Tüb. Theol. Quartalschr. l. c. 49 sqq. 161 sqq. In qua certus progressus cognosci potest, sicut in cognitione ipsius primatus (cf. *Ass. 21.* n. 507 sqq.); *idem,* Festgabe Albert Ehrhard (Bonn 1922) 1 sqq.

C. De primatus et Ecclesiae perennitate.

Tertia huius capitis quaestio facile solvitur ab eo, qui admittat Christum primatum ceu fundamentum suae Ecclesiae instituisse. Si Regnum Dei a Christo praedicatum est universale (cf. *Ass. 8,* n. 205 sqq.), si idem a Christo fundatum est ut Ecclesia (Matth. 16, 18 sq.), iam patet Ecclesiam ipsam esse universalem, a Christo positam et destinatam omnibus omnium temporum hominibus, i. e. esse perennem. Haec igitur Ecclesiae perennitas non tam demonstratione indiget quam ulteriore quadam explicatione, qua conexa ostendatur cum tota Christi doctrina et speciatim cum Petri primatu.

Simul autem haec inquisitio vias pandet sequentibus, quae de Ecclesia agent: qualis fuerit tempore posteriore, post Christi scilicet atque etiam apostolorum et Petri mortem.

ASSERTIO 15. Christus voluit una cum primatu Ecclesiam esse perennem.

378. 1. Sensus assertionis. — Inquisitio etiam huius assertionis restringitur ad testimonium evangeliorum, ad verba scilicet Christi. Doctrina S. Pauli, qui testis nobis est consensus primae Ecclesiae, addatur, ut ex ore interpretis authentici constet de sensu genuino verborum Christi. Dicta autem Christi ea potissimum considerentur oportet, quae explicite de Ecclesia agunt:

alia tamen, quibus Regni Dei indoles a Domino describitur, minime excluduntur; nam, vi coniunctionis et identitatis saltem inadaequatae quae intercedit inter Regnum Dei et Ecclesiam, possunt et debent servatis servandis de Ecclesia intellegi quae de Regno Dei dicta sunt, siquidem *Ecclesia* est Regnum Dei *praesens*, prout exsistit in condicionibus huius terrae et saeculi. Perennitas igitur Ecclesiae de tempore, non de aeternitate intellegitur. Regnum quidem Dei stabit in aeternum sine fine, „in saecula saeculorum"; Ecclesia vero cum tempore ipsa disparebit, cum „consummatione saeculi" ipsa consummabitur. Nam cum sit tempus praeparationis et probationis eorum qui iam filii Dei sunt, heredes autem „secundum spem vitae aeternae" (Tit. 3, 7), tempore ac munere impleto Ecclesia quodam modo permanebit et vivet etiam in filiis suis beatis, proprie autem et formaliter finem habebit.

Interim vero, quamdiu his in terris exspectat alterum Christi adventum, durabit, *perennitate* non solum *resistentiae,* qua vinci nequeat ab ulla potestate creata, sed etiam *vitae* et vigoris, qua utpote organismus et ipsa salva consistat et muneribus suis plene fungatur. Nos quidem hoc loco consideramus solam Ecclesiae formam externam atque eius organisationem; attamen verba Christi pensanda edicunt omnimodam indefectibilitatem Ecclesiae, et quoad munus sanctificandi homines, qua in ea iugiter manabunt „fontes salvatoris", et quoad munus magisterii, qua non solum integrum servabit depositum doctrinae Christi sed etiam ut „lux mundi" et „civitas supra montem posita" (Matth. 5, 14) eandem hominibus proponet et praedicabit.

379. 2. Variae sententiae. — Patet hac assertione non omnem ab Ecclesia arceri profectum, sed eum solum, qui pugnet cum ea Ecclesiae constitutione, quae fixa est per Christi voluntatem. — Adversantur igitur nobis ii soli et omnes, qui contendunt vel ipsam Ecclesiam aliquando perituram esse, vel eius constitutionem, quae et quatenus a Christi expressa voluntate procedit, cedere posse naturali cuidam evolutioni.

Priore modo *montanistae* exstiterunt adversarii Ecclesiae. Montanus, ante conversionem sacerdos ethnicus, paulo post medium saeculum secundum in Phrygia coepit spargere „novam prophetiam". Spiritu nimirum velut prophetico se actum putans atque a duabus adiutus prophetissis, Prisca et Maximilla, nova quaedam et diversa a doctrina in Ecclesia tradita protulit. Ita Eusebius refert, secutus fontes et scripta istius temporis (Hist. eccl. 5, 16, 7). Seipsum, dixit Montanus, esse organum Spiritus Sancti, *paracletum* illum, quem Christus Ecclesiae promiserat (Io. 14, 16 26: 15, 26:

16, 7), qui nunc venisset, ut per Montanum doceret ea, quae apostoli ferre non potuissent (Io. 16, 12), sicut testatur Tertullianus, qui et ipse Montani partibus adhaesit (De monog. 2). Nunc demum, post aetatem infantilem (ante Christum) et iuvenilem (religionis christianae), advenisse aetatem perfectam viri (cf. 1 Cor. 13, 11), tertium quendam evolutionis gradum, salutis plenae et absolutae. Cum autem „nova prophetia" ab Ecclesia minime agnosceretur ut vera et legitima, mox eandem impugnabat (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 16, 10); successioni hierarchicae opponit charismaticam et propheticam (17, 4); itaque „blasphemat Dominum et apostolos eius et sanctam ecclesiam" (18, 5).

Alia prorsus est sententia *modernistarum*, quam a theologia protestantica liberali mutuati sunt, *evolutionis* scilicet plane naturalis. „Quid igitur Ecclesia? partus est conscientiae collectivae seu consociationis conscientiarum singularium; quae vi permanentiae vitalis a primo aliquo credente pendeant, videlicet pro catholicis a Christo. . . . Quo modo Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur, atque ideo eidem subest: quam subiectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur" (Encycl. „Pascendi" *D* 2091). Decretum „Lamentabili" hanc notavit propositionem: „Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin immo in mente Christi regnum coeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat" (*D* 2052). Eschatologismus his verbis expressus nequit agnoscere ullam perennitatem Ecclesiae, quam ipsam negare debet.

Argumentum. — Consideratio nostra complectitur evangelia (1) *synoptica* et (2) *Ioannis*, inter synoptica imprimis *EvMatth.*

380. 1. Exordiamur ex textu modo exposito *Matth. 16, 18:* „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam." Quibus verbis Christus et fundamento seu primatui et aedificio seu Ecclesiae promittit stabilitatem atque virtutem omnem contra universos inimicos et quamcumque potestatem creatam adversam. Quaeri autem potest, num haec promissio includat plenam perennitatem, qua scilicet excluditur *Deum* aliquando Ecclesiae substituturum esse novum Regnum Dei, similiter ac Pactum mosaicum Novo Foedere abrogavit. Tale quid finxerunt montanistae. Solo quidem isto textu inspecto quaestio fortasse non penitus solvitur, cum verba Christi explicite non agant nisi de repellenda potestate creata; alia insuper Christi effata, pleniora et clariora, adhibenda

erunt, ea imprimis, quibus Regnum Dei praecise qua Regnum Christi (Ecclesia) describatur ut perenne.

Fuit certe haec convictio toti V^i T^o: fore ut „ultimis diebus" veniret salus messianica, plenitudo illa salutis, cuius Lex Vetus atque omnes eius leges, instituta, vaticinia non fuerint nisi typi, promissiones, praeparationes. Quam persuasionem Christus diserte agnovit et confirmavit (cf. Matth. 5, 17; 9, 14; 11, 9; Marc. 1, 15). Insuper autem salutem messianicam a se allatam esse Regnum Dei absolutum Deique dispensationem cum hominibus ultimam variis modis explicite indicavit. Regnum enim Dei, ait Christus, comparari potest *bono semini,* cui zizania („filii nequam") intermiscentur (Matth. 13, 38). „*Messis* vero *consummatio saeculi* est . . . mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala . . . et mittent eos in caminum ignis. . . . Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum" (13, 39—43). Ergo Regnum Dei seu Regnum Christi, expresse enim aequiparantur, crescet tamquam seges fructifera usque ad consummationem saeculi, huius videlicet saeculi sive huius terrae atque vitae terrestris; quam excipiet altera eaque aeterna vita, Regnum Dei aeternum, caeleste. In parabola de *sagena* (13, 47 sqq.) idem asserit: „Sic erit in consummatione saeculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis . . ." (13, 49 sq.). Clarissime haec saeculi consummatio describitur a Christo in fine sermonum qui agunt de *eschatologia.* Mediis in terroribus „parebit signum Filii hominis in caelo: et tunc plangent *omnes* tribus terrae: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate" (24, 30). Etenim ut rex (25, 34) veniet, circumfulsus splendore caelesti et maiestate regia, ut exerceat ius suum summum ut iudex *omnium gentium* (25, 32), quae stabunt ante thronum eius, iudicandae secundum Legem Christi caritatis (25, 35 sqq.); immo sententiae suae norma erit modus, quo quisque cum Christo coniunctus fuerit: „Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis" (25, 40). „Et ibunt hi in supplicium aeternum: iusti autem in vitam aeternam" (25, 46). Haec igitur gloriae et virtutis Christi manifestatio atque triumphus terminabit eius regnum his in terris exsistens, i. e. Ecclesiam.

Quibus perpensis iam constat de sensu verborum Christi (16, 18), quibus Ecclesiae suae stabilitatem promittit; stabit ea invicta, quamdiu homines in terra peregrinantur, qui, bonum semen et seges Christi, congregati in sagena, fundati super petram Ecclesiae, salutem suam aeternam operantur et adipiscuntur; stabit, non quidem propria virtute, sed virtute Christi, vi illius *assistentiae*

perpetuae, quam apostolis suis promisit: „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi" (28, 18—20).

381. 2. Eadem ratione, excipiens fere atque ulterius exponens verba haec ultima Christi a Matthaeo relata, *S. Ioannes* in evangelio suo de perennitate Ecclesiae loquitur; praefert quidem comparationem pastoris (cf. Matth. 25, 32) et gregis. Christus ut bonus et verus pastor (ὁ ποιμὴν ὁ καλός, 10, 11 14) non solum pascet oves suas, quas de suo ovili, Israel nimirum, Deus ei promisit et commisit, sed etiam adducet alias, quae non sunt de hoc ovili, ut fiat *unum ovile et unus pastor* (10, 16). Pro quibus omnibus vitam suam et animam ponit, qua pastor animarum (10, 15 17 sq.), „moriturus (ait explicans evangelista) pro gente (Israel), et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret (συναγάγῃ) in unum" (11, 51 sq.). Haec synagoga, hic grex, hoc ovile est *Ecclesia,* in qua homines vitam inveniant aeternam (17, 2 sqq.), tamquam fructum mortis boni pastoris. Dispensationem autem huius vitae tradit *apostolis* suis. „Sicut tu (ita Christus ad Patrem) me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate . . . ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint" (17, 18 19 21). Hanc orationem esse efficacem ipse Christus discipulis suis affirmat: „Et ego rogabo Patrem, et alium *paraclitum* dabit vobis, ut maneat vobiscum *in aeternum,* Spiritum veritatis . . ." (14, 16 sq.). His iam promissio, quam discedens Duodecim in monte Galilaei (28, 18 sqq.) reliquit, clarius circumscribitur. Una quidem atque eadem est assistentia, quam Christus suis se daturum promittit; nam Pater mittet Paraclitum in nomine Christi (Io. 14, 26), ipse Christus mittet Spiritum a Patre (15, 26; 16, 7). Spiritus autem, ait Christus, „de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt" (16, 14 sq.). Mysterium igitur SS. Trinitatis hoc loco aeque ac Matth. 28, 19 revelatur a Christo atque eius validissima protectio promittitur Ecclesiae, usque ad finem mundi, perennis.

382. Doctrina S. Pauli. — S. Paulus quam lucidissime Ecclesiae perennitatem effert; est enim consequentia sponte fluens ex universalitate salutis christianae, quam praedicat (cf. *Ass. 8,* n. 227 sqq.).

Sicut per unum hominem *peccatum* et mors in mundum intrarunt et ad *omnes* homines transeuntia regnum suum universale erexerunt, „sic

et per unius (Christi) iustitiam in omnes homines in iustificationem" (Rom. 5, 18) abundat *gratia,* immo multo magis; „superabundavit gratia, ut . . . regnet per iustitiam in vitam aeternam per Iesum Christum Dominum nostrum" (5, 21). — Quotquot igitur homines descendentes de Adam in ipso peccaverunt, tot redimuntur a Christo, i. e. omnes.

Haec autem redemptio, sanguine Filii Dei absoluta et perfecta (Hebr. 9, 12 sqq; cf. 1 Tim. 2, 3 sqq.), condidit Novum *Foedus aeternum;* „una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos" (Hebr. 10, 14; cf. *Ass. 7,* n. 196 sqq.).

Forma autem huius Novi Foederis est organica; *corpus Christi* a Paulo vocatur, Christus vero „caput corporis Ecclesiae" (Col. 1, 18). „Ex quo totum corpus . . . crescit in augmentum Dei" (2, 19), ut omnes occurrant „in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi" (Eph. 4, 13). Istud enimvero est munus Ecclesiae: vivam et vivificam permanere his in terris, donec omnes homines ex plenitudine Christi (Col. 2, 9 sq.) vitam accipiant eaque abundent ad plenitudinem usque, ut scilicet medium salutis perenne et universale.

Quando vero haec mensura impleta fuerit — certe postquam plenitudo gentium atque ipse Israel intraverit in Ecclesiam (Rom. 11, 25 sq.) — quando omnes, qui in *adventu* Christi crediderunt, vivificati fuerint (1 Cor. 15, 22 sq.), „deinde finis" (15, 24), si Christus nimirum omnes hostes atque ipsam mortem devicerit. „Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius" (15, 25). Tunc demum regnum messianicum, quod his in terris gerebat, tradet „Deo et Patri" (15, 24), „ut sit Deus omnia in omnibus" (15, 28).

Atque hoc est Regnum Dei perfectum et aeternum, caeleste.

CAPUT II.

DE ECCLESIA, QUALIS FUERIT TEMPORE APOSTOLORUM.

383. De ratione huius capitis. — De organisatione Ecclesiae si quaeratur, de forma videlicet constitutionis, quam Christus religioni a se fundatae dederit, imprimis ipsius Christi ut fundatoris effata et testimonia alleganda sunt. Cum tamen Ecclesia post mortem demum Christi atque opera apostolorum Christi exsistere vigereque coeperit, consonum, immo necessarium videtur esse, ut hanc Ecclesiam — primitivam eam dicemus — ab apostolis longe lateque propagatam, instructam, gubernatam penitus perspiciamus. Verba Christi institutiva atque vere constitutiva quasi formas Ecclesiae praebent; efferunt enim sola essentialia et fundamentalia. Testimonia vero apostolorum eam totam describunt, vivam et vigentem inter homines et in hominibus, tamquam „Christi corpus", ut ait S. Paulus. Singulae iam eius facultates et potestates,

officia et munera, tota denique aedificii eiusque partium constructio elucent, ex quibus disci licebit consilia, quae Christus de Ecclesia sua aedificanda iniit.

Possit quidem aliquibus haec via longior videri et ob idipsum minus apta ad gignendam certitudinem de Christi intentione, quam solam inquirimus. Re quidem et veritate est indirecta et illativa; neque vero minus tuta, siquidem testis nobis erit *consensus primae Ecclesiae*. Quae non solo tempore artissime cum Christo conexa est, sed imprimis *traditione apostolica*. Apostoli enim, familiares Christi comites et discipuli, postea ex eiusdem voluntate testes et praecones, evangelium Christi ubique praedicant, ecclesias secundum Christi intentiones condunt ubique. Iidem dein scriptis suis vel suorum discipulorum nobis sunt testes, quibus tuto fisi delineare valemus organisationem Ecclesiae apostolicae.

Iure igitur ex eorum atque omnium christianorum consensu interpretabimur consilia Christi, magistri eorum et Domini, quem habent pro summa et absoluta et unica auctoritate. Nos quidem in sequentibus inquisitionibus satius esse ducemus hunc Ecclesiae primitivae consensum exquirere, quibus facile deductio indicata tamquam minor semper recurrens subiungitur. Et haec quidem de via nostrae inquisitionis.

384. Reliquum est, ut paucis circumscribamus *tempus*, quod *apostolicum* nominamus. Plurimorum, ut inter omnes constat, apostolorum nescimus sortes: ubinam, quo modo, quamdiu munere suo apostolico functi sint: ex illorum igitur vita vel praedicatione aetas apostolica determinari nequit. Si abstrahas ab apostolis Thoma, Andrea, Philippo, Thaddaeo, de quibus vestigia saltem historica servata esse negari aegre potest [1], attendere necesse est ad eos, quos fontes nostri sacri referunt: Iacobum Zebedaei iam circa annum 42 ab Agrippa necatum esse narrant Actus (12, 2); Matthaeum primum evangelium scripsisse iudaeochristianis palaestinensibus iamiam discedentem ab hoc agro sterili affirmant testimonia antiquitatis. Neque vero, quo se verterit, quandonam mortuus sit, certo constat [2]. Longe aliter de Petro, Ioanne, Iacobo fratre Domini qui vocatur [3], Paulo. Quos tres Paulus vocat „columnas Ecclesiae“ (Gal. 2, 9), seipsum vero abundantius omnibus laborasse asserit (1 Cor. 15, 10).

Hisce igitur atque eorum apostolatu computanda erit aetas apostolica. Quoniam autem Ioannes pluribus decenniis post alios mortuus sit summa senectute, mors aliorum, Petri scilicet et Iacobi et Pauli, terminus nobis poterit esse huius periodi apo-

stolicae, i. e. annus circiter 70, quo certe omnes tres ex hac vita discesserant.

Periodus ita circumscripta ut seorsim consideretur, aliae quoque rationes suadent. (1) Evangelium Iesu Christi celerrimo cursu ad extrema terrae pervenit, verbum Dei tamquam semen Christi sparsum est, ecclesiae conditae sunt, utique tamquam lucernae rarae in loco caliginoso. Nunc iam, quae primo quasi impetu expugnata erant, conservanda, confirmanda, extendenda sunt. — (2) Eodem tempore religio christiana etiam externe et plene solvitur a religione mosaica Iudaeorum. Bellum Iudaicum, persecutio tum orta, maxime vero destructio Urbis et templi separationem perficiunt. — (3) Eo ipso deciditur denique quaestio longe gravissima primitivae Ecclesiae, de libertate scilicet christianorum a iugo Veteris Legis. Principium quidem et doctrina iam dudum ratihabita erant conventu hierosolymitano (Act. 15, 1 sqq.). Perturbatores autem, qui perrexerunt discidia disseminare inter iudaeo- et ethnicochristianos, omni influxu destituebantur eo quod iudaeochristiani fugientes in partes vel orientales (trans Iordanem) vel septentrionales (Syriae; Beroeam) partim tamquam haeretici exciderunt ex Ecclesiae communione, partim de facto separati ab ea vitam aliis fere ignotam degerunt. Ecclesia, saltem inter partes imperii Romani, tunc temporis erat fere ethnicochristiana. — (4) Quae evolutio externa et interna usa est pace sat magna. Non deerant quidem persecutiones, quae ex „fontibus persecutionum“ (Tertullianus, Scorpiace 10) prorumpebant, ex Iudaeis scilicet, testibus libris sacris, imprimis Actibus et epistulis S. Pauli. Attamen ipsum imperium nondum notaverat christianos tamquam sectam propriam atque a Iudaeorum religione distinctam, „odio humani generis“ convictam (*Tacitus,* Ann. 15, 44; *K* 34). Prima persecutio neroniana Romae exorta est circa finem huius temporis, cui et ipsi principes apostolorum succubuisse videntur.

385. Variae sententiae. — Non est nobis in animo omnes et singulas recensere sententias[1], sed restringimus considerationem nostram ad tres, quae quasi genera omnes fere complectuntur opiniones; ad hierarchicam nimirum, democraticam, charismaticam. De hierarchica autem cum iam supra actum sit, reliquum est, ut democraticam et charismaticam paulo fusius exponamus.

a) Sententiam *democraticae* organisationis Ecclesiae primitivae ita si placet evolvamus, ut prius notas eius essentiales, dein specimina quaedam, prout alia ab aliis scholis efformata occurrunt, perlustremur.

Auctoritas socialis, qua omnis societas indiget, tam parum deest societati democratice constitutae quam hierarchiae; alio tamen ordine et modo in alia constitutione et oritur et agit. In societate enim democratice constituta *subiectum proximum omnis iuris socialis* est ipsa *communitas* seu universitas sociorum, qui quantum ad ius sociale attinet omnes sunt aequales. Exercetur hoc ius vel immediate ab omnibus in conventu coniunctis, vel mediate per viros a communitate electos et ad id deputatos, ut nomine et auctoritate eiusdem certa munera socialia impleant. Itaque gignitur inaequalitas iuris socialis, consequenter scilicet ad voluntatem autonomam communitatis, quatenus suam potestatem vel integram vel ex parte, quam immediate exercere non possit aut non velit, tradit alicui personae, morali vel physicae, ad munus suo nomine exercendum.

Iam patet munera tali modo creata ab eadem communitate posse mutari, restringi, abrogari; personam item, cui tale munus tali ratione commissum sit, debere rationem reddere communitati, loco suo cedere si tempus statutum elapsum sit, deponi posse si officio desit a communitate.

Simili modo contendunt *Ecclesiam primitivam* constitutam fuisse. Christum enim communitati tradidisse plenam auctoritatem, qua utatur vel in conventu (ecclesia, cf. e. g. 1 Cor. 11, 18)[5] congregata vel per munera (docendi, regendi, administrandi bona communia), quae instituit. Haec igitur munera sunt originis proxime humanae, hinc etiam iuris humani; subsunt rerum et temporum vicissitudinibus atque legi universali evolutionis, quae alias in aliis condicionibus producet formas et institutiones.

Discrimen inter sententiam hanc *democraticam* et *hierarchicam* fundamentale et essentiale est in eo, ut illa constitutionem Ecclesiae eiusque formas omnes deducat ex voluntate autonoma communitatis, *humana*; hierarchica vero, saltem quod ad auctoritatem supremam attinet, ex voluntate immediata Christi, *divina*.

Notione quasi generica sententiae democraticae exposita, iam ad species quasdam delineandas procedamus, quae scilicet vigent in schola protestantica vel conservativa vel liberali.

Eschatologistas quidem ac *modernistas* non est cur hoc loco denuo commemoremus (cf. *Ass. 4*, n. 108 sqq.); negant enim Ecclesiam esse Christi, cum Christus finem mundi proxime imminere opinatus sit seque fore regem regni messianici futuri, transcendentalis et caelesti maiestate hominibus affulgentis. Hinc Ecclesia non est nisi figmentum humanum aeque ac aliae societates humanae, atque ut tale arbitrio hominum et perpetuae evolutioni obnoxium (cf. Decret. *Lamentabili*, *D* 2052 sq.).

386. Theologi protestantici *conservativi* sententiam organisationis democraticae Ecclesiae primitivae suam faciunt ea quidem lege, ut retineant conexum inter Christum et Ecclesiam. Christum enimvero proprio sensu esse fundatorem Ecclesiae et voluisse, ut asseclae sui sese adunarent in hac sua Ecclesia. Constitutionem autem eius Christum non determinasse, sed definiendam reliquisse christianis. Auctoritatem quam apostolis commiserit transiisse ad coetum universalem christianum, qui autonomia praeditus sibimetipsi constitutionem temporum condicionibus adaptatam daturus esset. Consequens est talem constitutionem non ad Ecclesiae essentiam pertinere [6]. Negat igitur haec sententia vinculum iuridicum immediatum exsistens inter Christum et *formam* constitutionis Ecclesiae (cf. n. 556 sqq.).

Schola *liberalis* ulterius progreditur atque *omnem nexum* directum intercidit inter Christum et Ecclesiam. Secundum multos eius asseclas ne hoc quidem constat, num Christus voluerit religionem novam fundare: multo minus probari posse eum intendisse condere aliquam societatem religiosam ad instar V^is^ T^i^. Manere tamen quaedam vincula inter Christum et Ecclesiam, quatenus ista naturali quadam et spontanea evolutione processerit ex ideis et sensibus religiosis, quos Christus sparserat inter homines. Quotquot enim Christum sequebantur persuasum habebant se per Iesum invenisse Deum atque iam Dei spiritu dirigi et gubernari; porro, cum essent Iudaei, in Christo regnum messianicum demum apparuisse opinati pro hac sua convictione ipsam mortem subire non dubitabant [7]. Nexus igitur, si minus iuridicus, attamen organicus agnoscitur inter Christum et Ecclesiam atque hoc ipso haec schola distinguitur ab eschatologistis (cf. n. 562 sqq.).

Hisce fere et aliis modis efformata theoria constitutionis democraticae Ecclesiae primitivae longe praevalet inter theologos protestantes [8]: ita ut altera sententia, charismatica, quam quodam iure etiam aristocraticam nuncuparunt, vix habeat fautores.

387. b) Sententia organisationis *charismaticae* opponitur theoriae modo expositae, nisa rationibus, quas partim agnoscere valemus. Organisatio videlicet democratica, ut infra ostendetur, iam ex eo reicitur, quod secundum S. Paulum Ecclesia cum omnibus eius ordinibus est opus Dei, organismus a Spiritu Sancto vivificatus, corpus, ut ait, Christi, cui vita et operatio omnis desuper a capite affluit. Ex huius facti veritate procedit sententia charismatica, ita tamen ut, eam non ab omni parte ponderans a sobria consideratione deflectat, plus aequo tribuens donis illis, quae sensu quodam strictiore charismata (dona praeternaturalia et miraculosa)

vocari solent. Docet autem fere haec — sequimur *R. Sohm*[9], principalem huius sententiae propugnatorem —: Tota Ecclesia ut donum Dei (χάρισμα, hinc charismatica) regitur a Spiritu Dei (πνεῦμα, hinc pneumatica). Iam vero tale opus Dei atque operatio divina a limine excludit omne ius omnemque constitutionem stricte dictam. Nulla igitur esse poterit organisatio iuridica in Ecclesia. Propositio ista: naturae Ecclesiae ut religiosae et a Deo creatae repugnare ius, a Sohm non probatur, sed ceu axioma asseritur: Ius divinum est impossibile.

Species tamen alicuius organisationis adfuit in prima Ecclesia, exsurgens ex ipsis charismatibus. Nam dona ista obligant tum eum, quibus data sunt, ut iisdem utatur in utilitatem communitatis, tum ceteros omnes, ut ea agnoscant seseque illis submittant; haec vero obligatio ex utraque parte est caritatis, non iuris et iustitiae. Ita, ut exemplum rem illustret, donum docendi adstringit diversa forma et mensura apostolos, prophetas, evangelistas, doctores (1 Cor. 12, 28. Eph. 4, 11) ut doceant, communitatem (ecclesiam) autem ut docentes audiant. Atque hac ratione aedificatur totum corpus in caritate. Aliqua igitur inaequalitas et subordinatio inde nascitur, certa quaedam efformatur organisatio, sed analoge talis; ius enim, cui tandem subordinatio inhaeret, nullum habetur. Hinc intellegitur, cur haec organisatio ab ipso Sohm vocata sit „anarchia pneumatica"; est enim negatio omnis constitutionis proprie dictae (anarchia), cui substituitur Spiritus usque in Ecclesia vigens (pneumatica).

De facto hoc regimen Spiritus non diu in Ecclesia permansisse, cum iam exeunte saeculo primo, 60—70 elapsis vix annis post mortem Christi, plane interierit. Isto enim tempore invaluisse in Ecclesia illam constitutionem iuridicam, quae hodieque vigeat atque se esse iuris divini affirmet: ita ortam esse Ecclesiam catholicam, in oppositione videlicet ad Christi voluntatem.

Discrimen inter istam organisationem charismaticam et democraticam ad originem potissimum organisationis reducitur, quae in illa est Deus et quidem per immediatam suam et continuam directionem, in hac communitas humana. Ab hierarchica autem organisatio charismatica eo discrepat, quod excludit omne ius ab ea, atque ipsum ius divinum, in quo fundatur hierarchia, ut metaphysice impossibile reicit.

Quae dicenda sint de sententiis modo expositis, qua de causa ipsae reiciendae sint, ex assertionibus sequentibus apparebit, quibus indolem hierarchicam Ecclesiae primitivae ex fontibus ostendemus. Infra autem, si placet, ulteriorem quendam conspectum opinionum, quae et qua forma proferuntur, exhibebimus (n. 543 sqq.).

388. De fontibus huius periodi. — Decisio, quaenam ex sententiis allatis vera sit, ferri nequit nisi ex testimonio fontium; est enim quaestio facti historici. Iam igitur videamus, quinam sint fontes quibus organisatio Ecclesiae primitivae describatur, cuiusnam sint generis et valoris.

Ac primum quidem generaliter dici potest *factum* ipsum historicum huius organisationis non esse eiusmodi quod difficile admodum e fontibus eruatur. Est enim natura sua externum, latissime notum, et qua tale excellit inter argumenta illius consensus christiani, quem inquirimus. Paulus et Lucas aliique, qui nobis testes sunt huius organisationis, eam non solum noverunt, sed in ea et per eam ut membra Ecclesiae vixerunt. neque solum in Ecclesia vixerunt, sed spatia eius dilataverunt eo quod novas ubique condiderunt ecclesias, quas tamquam organisationes locales ceteris aggregando simul coetui universali, Ecclesiae nimirum catholicae, inseruerunt. Iure sane ipsam hanc organisationem vocaverit quis factum inter christianos publicum. Quod adeo verum est, ut ex hac indole publica nobis evadat paene obstaculum ulterioris cuiusdam inquisitionis. Hinc enim est quod fontes nostri organisationem potius supponant quam describant. Epistulae e. g. Pauli priores vestigia tantummodo admodum rara praebent, quae quidem tuto sequemur, quibus tamen ad perfectam notitiam organisationis ecclesiasticae minime pervenimus. Alia autem sunt documenta, inter quae eminent epistulae Pauli quae vocantur pastorales, quae largissime complent quod in illis prioribus desideramus. Sed hisce iam ad ipsos fontes describendos advenimus.

389. Aliter ab aliis auctoribus *fontes* in *ordinem redigi* solent. — Sunt qui *genus litterarium* sequentes [10] distinguant epistulas (e. g. S. Pauli), relationes et narrationes (e. g. Actuum), apocalypses (e. g. Ioannis), tandem compendia vel manualia (cf. Didache seu doctrina apostolorum); qua dispositione efferri dicitur gradus valoris singulorum generum historici. Sunt qui intuentes regiones et provincias, de quibus fontes agunt, ordinem servent *geographicum* [11]; alii etenim fontes respiciunt ecclesias Asiae, alii Europae, Palaestinae, Syriae, alii denique certo loco adscribi vix poterunt. Optime quidem hac compositione ostenditur universalitas consensus et organisationis, quam testatur. Sunt qui ducti consideratione *historica* dividant fontes secundum gradum et statum organisationis ecclesiasticae, ita quidem ut ordo quem statuunt fere exhibeat evolutionem, qua haec organisatio externe magis magisque apparuerit [12]. Negari vix poterit hanc partitionem esse maxime

aptam; quoniam autem potius supponit organisationem eiusque gradus et formas e fontibus iamiam esse repetita, quam ut eiusdem inquisitioni praeludat, praeferendus hoc loco videtur ordo, qui enumerat singulos fontes ratione temporis quo scripti vel cuius testes sunt. Hunc ordinem, *chronologicum* scilicet, sequentes simul cuius generis et valoris sint fontes si libet videamus.

Documenta christiana antiquissima nobis servata sunt epistulae *S. Pauli,* scriptae inter annos circiter 50 et 66/67. In secundo itinere S. Paulus scripsit duas epistulas ad ecclesiam Thessalonicensium, Corintho, anno probabiliter 50 vel 51. In tertio itinere item duas ad ecclesiam corinthiacam, priorem Epheso, ante pascha 56 ut videtur, alteram e Macedonia, aliquot mensibus post. Intervallum istud aliud ab aliis computatur, prout admittunt Paulum ante alteram suam epistulam canonicam Corinthiis scripsisse aliam epistulam deperditam atque etiam ipsam ecclesiam corinthiacam adiisse *(Zwischenbrief* und *Zwischenreise).* Cui tempori assignanda sit epistula ad ecclesias Galatiae, non constat; videtur autem praecessisse epistulam, qua Paulus Corinthi degens Romanis promittit fore ut brevi eos inviset, anno fortasse 57. Roma dein scripsit epistulas quae captivitatis vocantur, ad Colossenses et Philemonem, ad Ephesios, Philippenses, annis circiter 61—63, quas excepit epistula ad Hebraeos. Reversus tandem in partes imperii orientales ultimis suis atque vere pastoralibus epistulis confirmat quae fundaverat, tuetur doctrinam, perficit organisationem ecclesiasticam. Epistulam ad Titum et priorem ad Timotheum scripsit in itinere, alteram ad Timotheum Roma iterum captivus, exspectans sese proxime consummaturum esse suum cursum, delibari tamquam victimam Christi, coronam se accepturum gloriae (2 Tim. 4, 6 sqq.). Quando agonem suum perfecerit, nescimus; sententia eorum, qui statuunt annum 67. factis historicis melius videtur consonare.

Eodem fere tempore ac epistulae paulinae scripta sunt *evangelia* synoptica, ea scilicet ratione, ut tertium evangelium, Lucae nimirum, absolutum fuerit ante annum 63; nam huic eidem anno tribui debet alterum Lucae opus, *Actus apostolorum.* Epistulas *Petri, Iudae, Iacobi* scriptas censemus annis inter 60 et 70, opera tandem *Ioannis* annis fere 90—110.

Patres apostolici scriptoribus sacris, imprimis Ioanni, ex parte aequales iisque adiuncti sunt. Epistula Clementis Romani ad Corinthios composita est anno 96; epistulae Ignatii Antiocheni, quibus Romam proficiscens complures ecclesias earumque praepositos consolatur et adhortatur, primis annis saeculi secundi (107?) scriptae esse rite supponuntur. Quas sequitur epistula Polycarpi

episcopi smyrnensis ad ecclesiam philippensem. Minus accurate tempus quo *Didache* orta sit determinari potest; sunt etenim qui velint eam esse documentum post libros sacros antiquissimum vitae christianae; sunt etiam qui eam scriptam censent anno demum 130; prior sententia interim praeferenda videtur.

390. Quibus fere absolvimus elenchum eorum fontium qui ad hanc periodum apostolicam pertinent; qui vero eorum sit *valor historicus* saltem innuamus.

Est quippe maximus. Nam auctores isti maiore ex parte sunt testes amplissimi, qui noverunt universam paene Ecclesiam ideoque etiam eius constitutionem; sufficiat commemorasse Paulum, Lucam, Petrum, Ignatium Antiochenum. Testes sunt iidem disertissimi atque planissimi; cogita epistulas Pauli pastorales, Ignatii, Clementis Romani. Testes sunt dein gravissimi, maxime in re tali, qualis est Ecclesiae et ecclesiarum forma externae organisationis, in cuius descriptione neque error vel illusio irrepere neque mendacium vel fallacia consistere possit. Nullum proinde dubium esse poterit, quin fisi hisce fontibus tuta via incedamus atque secuti bona interpretationis principia ad certam rei veritatem perveniamus[13]. Ad quam interpretationem iam aggrediemur; antea autem quaestio aliqua methodica absolvenda videtur, quo scilicet modo inquisitio nostra procedat, utrum exordiatur ab inquirenda organisatione Ecclesiae universalis, an vero prius, quae constitutio fuerit singularum ecclesiarum localium, videre debeamus.

391. De Ecclesia universali et particulari deque earum inter se relatione. — Cum in fontibus nostris inde a primis S. Pauli epistulis nomen ecclesiae tribuatur et coetui universo christianorum (Ecclesia *universalis*) et conventibus localibus singularum urbium vel regionum (ecclesiae *particulares*), sponte exsurgit quaestio, quo modo consensus christianus temporis primitivi consideraverit utramque ecclesiam quamque inter eas relationem intercedere censuerit. Artissimum quidem esse earum inter se vinculum, ita quidem ut partim saltem coincidant, nemo est qui neget, cum ipsum nomen commune iam sat clare hoc indicet. Quodsi ulterius exquiramus modum, quo hae duae formae sociales sese inter se habeant, non una est auctorum sententia. Sunt qui velint secundum fontes ecclesias particulares esse primigenias, ex quarum unione deinceps universalis Ecclesiae corpus coaluerit, evolutione quadam naturali et necessaria; ita plurimi scriptores theologi liberales. Alii autem, in dies plures, contendunt christianos inde ab initio considerasse suam religionem tamquam

universalem, destinatam videlicet omnibus hominibus, itaque etiam formam eius socialem, Ecclesiam dico, ut societatem unam, quae omnes Christi asseclas complectatur. Quae si vera sint, Ecclesia universalis est prima et primigenia; ecclesiae vero particulares sunt eius partes, in quibus exsistit et agit.

Perscrutanti fontium testimonia decisio huius quaestionis haud difficilis erit, cum nullum dubium relinquant de Ecclesiae Christi unitate simul ac universalitate. Maximi autem ponderis videtur esse illa S. Pauli consideratio, quae exhibet Ecclesiae indolem organicam, qua singulos coetus christianorum locales inter se ac sibi uniat atque in unitate organismi sustentet et vivificet. Tota proinde partium — ecclesiarum particularium — subsistentia et exsistentia omnesque earum vitae actus proveniunt ex suppositi subsistentia et vita.

392. Universalitatem, quam Christus Ecclesiae suae vindicavit (*Ass. 8;* n. 205 sqq.), asserit *Lucas* inde fere a prima praedicatione Petri peractam esse, eo sensu ut apostoli auditores, „ex omni natione quae sub caelo est" (Act. 2, 5) oriundi, redeuntes in terras suas non potuerint non loqui de his, quae acciderint die festo pentecostes Hierosolymis, praevii quodammodo praecones facti evangelii „usque ad ultimum terrae" (1, 8). Lucas dein describit, quo modo verbum Christi sparsum sit in Palaestina atque in regionibus adiacentibus, quo modo seges creverit rebus secundis et adversis, miraculis scilicet quae apostoli patrant et persecutionibus quae contra eos oboriuntur. Quin immo, casu diceres, ex persecutione et fuga hellenistarum (8, 1; 11, 19) prodiit ecclesia antiochena, ex qua deinceps tamquam a matrice plurimae, ope praesertim Pauli, excrescerent novae ecclesiae in unitatem Ecclesiae universalis mox receptae. Lucas Romam usque Paulum comitatur, unde viae patent in omnes terrae partes.

Paulus vero ipse, sicut identidem redemptionis Christi plenitudinem et omnimodam superabundantiam extollit (Rom. 5, 12 sqq.; cf. *Ass. 16*), ita se ipsum apostolum esse dictitat „ad obediendum fidei in omnibus gentibus" (Rom. 1, 5), omniumque debitorem (1, 15), peculiari nimirum missione praeditum, qui tamquam Christi minister sacer (λειτουργός) gentes Christo acquirat conversasque offerat ceu hostiam Deo acceptam atque sanctificatam in Spiritu Sancto (15, 16). Eandem cogitationem in aliis prosequitur epistulis, praesertim in epistula ad Ephesios. Consilium Dei, ita fere Paulus, in eo est ut Christum constituat caput omnium rerum, quae in caelo sunt et in terra (1, 10), maxime autem Ecclesiae (1, 22 sq.), utpote corporis Christi. Per quam et in qua

Christus sustulit omnem distinctionem gentium et hominum, inter domesticos et hospites, inter cives et advenas, quia omnes in semetipso condidit in unum corpus, in novum hominem (2, 11 sqq.). Itaque Ecclesia est templum sanctum in Domino, habitaculum eius in Spiritu, aedificatum super lapidem angularem Christum per apostolos et prophetas N^i T^i (2, 20 sqq.). Quibus iam simul cum universalitate Ecclesiae eius naturam organicam indicat, quam dein describit in eadem epistula. „Unum corpus" (4, 4) aedificandum secundum dispensationem divinam, quae ipsum et adumbrat et donis suis construit atque consummat (4, 7 sqq.), ita quidem ut totum corpus vivat et crescat vita Christi capitis (4, 16). Hoc itaque est mysterium et sacramentum, quod prioribus generationibus absconditum nunc iam revelatum est: unitas organica atque universalitas Ecclesiae ut corporis Christi (3, 5; cf. *Ass.* 8; n. 227 sqq.).

Quae cum ita sint, incertum esse nequit Paulum et primos christianos Ecclesiam universalem pro prima et secundum voluntatem Dei primigenia habuisse, ex qua singuli fidelium coetus tamquam ex vivo supposito subsistentiam, vitam omnemque efficaciam reciperent[14].

393. NOTAE. — **1** De apostolorum vita et praedicatione quae in variis fontibus continentur, collegerunt: *K. A. H. Kellner,* Jesus von Nazareth und seine Apostel im Rahmen der Zeitgeschichte (Regensburg 1908) 386 sqq.; *W. Bauer**, Das Leben Jesu im Zeitalter der neutestamentl. Apokryphen, Tübingen 1909; *idem* in *E. Hennecke,* Neutestamentl. Apokryphen (²1924) 111 sqq. — **2** De Matthaei persona et opere v. *Knabenbauer-Merk,* Comm. in Evang. sec. Matth. I³ 1 sqq. — **3** De quaestione, quis sit auctor epistulae Iacobi, cf. e. g. *Cornely-Hagen,* Compendium introductionis (1914) 622 sqq.; *Schaefer-Meinertz,* Einleitung in das Neue Testament (²1913) 392 sqq., (³1921) 318 sqq. — **4** Singulae sententiae usque ad annum 1900 quae prodierunt, v. *St. v. Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats (Erg.-Heft zu d. Stimmen aus Maria-Laach LXXVII, Freiburg 1900). — Statum inquisitionis atque sententiam fere communiter inter theologos liberales receptam exhibere se dicit *Hans v. Soden,* „Die Entstehung der christlichen Kirche" et „Vom Urchristentum zum Katholizismus" (Gesch. der christl. Kirche I, II; Aus Natur und Geisteswelt 690/1), Leipzig 1919, de quo libro v. Stimmen der Zeit CI (1921) 68 sqq. — **5** *C. Weizsäcker** (Das apostol. Zeitalter der christl. Kirche [Tübingen 1902] 599) contendit esse factum historicum indubie admittendum, „daß die einzelne Gemeinde überall sich selbst regiert und in allen wichtigen Angelegenheiten selbst Beschluß faßt, daß dieser also durch die Ausübung eines gleichen Rechtes von seiten sämtlicher Genossen zustande kommt". — **6** *Th. Zahn**, Das Evangelium des Matthäus (²1905) 547: Apostolos omnes — non solum Petrum — exercuisse munus regendi Ecclesiam (Matth. 18, 15 sqq.): quodsi quaeratur, cuinam tradiderint suas potestates, haec dicenda esse: „Das Amt der Apostel in seiner Eigenart und Totalität ist überhaupt nicht auf andere Personen übergegangen. Wie die Apostel als die von Jesus selbst

ausgesandten Prediger des Ev. die ganze Welt zum Arbeitsfelde haben, so bezieht sich die aus diesem ihrem nächsten Beruf sich ergebende Vollmacht, die Gemeinde der Gläubigen zu regieren und ihr je nach Bedarf Ordnungen zu geben, auf die ganze Gemeinde Jesu, die gesamte Christenheit auf Erden." — **7** *A. Harnack** (Entstehung und Entwicklung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechts in den zwei ersten Jahrhunderten, Leipzig 1910 [cit. s. v. „Kirchenverfassung"]) contendit criticam fontium considerationem excludere omnia vestigia „theocratica et clericalia". Itaque si quis, sicut oportet, reiciat textus illos, qui de aliqua Ecclesiae Christi constitutione agunt, imprimis in *Ev.Matth.*, nullum iam agnoscere poterit vinculum inter Christum eiusque Ecclesiam; „so ist jedes direkte äußere Band zwischen Jesus und der ‚Kirche' und ihren werdenden Ordnungen zerschnitten. Übrig bleibt das innere geistige Band, auch wenn Jesus die Kirche weder gestiftet noch auch gewollt hat. Übrig bleibt natürlich auch die Tatsache, daß es eben seine Schüler und Gläubigen gewesen sind, die die Kirche gebildet haben, und daß er Zwölf von ihnen als Verbreiter seiner Lehre und als künftige Richter über die Zwölfstämme eingesetzt hat. Alles aber, was wirklich geworden ist, ist nicht aus einem im voraus gefaßten Plane entstanden, sondern ist unter den gegebenen Zeitverhältnissen automatisch herausgewachsen aus der brüderlichen Gemeinschaft von Menschen, die durch Jesus Gott gefunden hatten, die sich darum vom Geiste Gottes regiert wußten, und die, in der jüdischen Theokratie stehend, an die Verwirklichung derselben durch Jesus glaubten und dafür ihr Leben einsetzten" (p. 3). — **8** *O. Scheel**, Die Kirche im Urchristentum (Religionsgeschichtl. Volksbücher IV 20 [Tübingen 1912] 5 sq.): „Doch auch die heute in der protestantischen Forschung am weitesten verbreitete Annahme weiß von einem kirchlichen Gepräge des Urchristentums wenig zu sagen." Describit dein hypothesim democraticam: „Diese ‚Gemeindeverfassung' nicht Kirchenverfassung — ist natürlich ein ganz profanes Gebilde, eine Vereinsverfassung. Die ‚Beamten' sind so ‚weltlich' wie nur je Vereinsbeamte. Geistliche und religiöse Gesichtspunkte fehlen dieser Ordnung vollständig. . . . Die durch sie begründeten Gemeinden sind ganz ‚natürliche' Gebilde." — **9** *R. Sohm** sententiam suam propugnavit his libris: Kirchenrecht I, Leipzig 1892; II, ebd. 1923; Wesen und Ursprung des Katholizismus, [2]Leipzig 1913; Das altkathol. Kirchenrecht und das Dekret Gratians, München 1918. — **10** *H. Bruders*, Die Verfassung der Kirche 1 sq. — **11** *P. Batiffol*, Études d'histoire I[5] 225 sqq. — **12** *St. v. Dunin-Borkowski* in The Cath. Encyclopedia VII, New York 1910: „Hierarchy of the Early Church" (327 sq.); *idem*, Die Kirche als Stiftung Jesu (*Esser-Mausbach*, Religion, Christentum, Kirche III[5] 159 sqq.). — **13** Cf. *A. Wikenhauser*, Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert (Neutest. Abhandl. VIII, 3./5. Heft). Münster 1921; *H. Dieckmann*, Die Verfassung der Urkirche 22 sqq. — Genuinitatem, i. e. lucanam originem *Act.*, plurimi quidem theologi protestantes liberales non admittunt; excipiuntur soli fere *A. Harnack** (e. g. Neue Untersuchungen zur Apostelgesch. und zur Abfassungszeit der synopt. Evangelien [Beiträge zur Einleitung in das N. T. IV], Leipzig 1911, 63 sqq.) et *Ed. Meyer**, Ursprung und Anfänge des Christentums. III: Die Apostelgeschichte und die Anfänge des Christentums (Stuttgart u. Berlin 1923) 3 sqq. — **14** *St. v. Dunin-Borkowski*, Die Kirche als Stiftung Jesu ([5]1923) 50 sqq.; *H. Dieckmann* l. c. 29 sqq.; *A. Harnack**, Kirchenverfassung 34 sqq. 69 („die Lokalgemeinde, eine bisher der pneumatischen Gesamtgemeinde enhypostatisch eingefügte Größe") 155 sqq.

Quaestio 1. De constitutione hierarchica Ecclesiae universalis.

394. Relatio, quae, ut modo exposita est, intercedit inter Ecclesiam universalem et particularem, modum procedendi suadere videtur eum ut inquiramus in constitutionem prius Ecclesiae universalis, dein ecclesiarum localium. Ita nimirum prior quaestio alteri vias pandet, cum ex generali consideratione sponte concluditur fore ut partes ac membra eundem modum vivendi prae se ferant ac suppositum ex quo vivunt.

Formam autem constitutionis asserimus esse hierarchicam atque eo ipso reicimus sententiam et democraticam et charismaticam. Et primo quidem democraticam, quatenus affirmamus Ecclesiam primitivam consensisse in eo quod constitutio essentialis data sit ab ipso Christo, qui condiderit apostolatum et primatum; omnia autem alia munera originem ducere a potestate ista hierarchica itaque indolem hierarchicam et ipsa participare. Non autem negamus apostolos, pro sua prudentia atque in omnes caritate vere fraterna, potuisse cedere christianis quasdam partes in eligendis viris, qui certa officia socialia obirent et exercerent. Siquidem Duodecim in creando primo iam munere, septemvirorum mensis inserviendis (Act. 6, 1 sqq.), fideles congregatos, ut viros aptos deligerent et proponerent, adhortati sunt. Similiter Paulus in ecclesiis a se fundatis processit; cogita tribunal illud, quo tota communitas coniunctim cum Paulo iudicium ferret de fornicario (1 Cor. 5, 1 sqq.). Simile quid etiam postea moris fuisse in aliquibus Ecclesiae partibus docet Didache (15, 1; *K* 6). Quod vero ad organisationem quam dicunt charismaticam attinet, (1) concedendum est Ecclesiam ipsam et omnia eius munera aliquando vocari charismata, dona scilicet et gratias Dei (cf. Eph. 4, 7 sqq.), idque summo iure, ut patet. Sed ex hac ipsa consideratione atque ex munerum enumeratione clare elucet charisma intellegi sensu lato neque rite ad dona dumtaxat praeternaturalia et miraculosa (prophetiam, sanationem etc.) posse coartari. Neque tamen (2) negamus dona illa praeternaturalia, e. g. doctrinam spectantia, certo modo et gradu disposuisse et commendasse charismaticos, quibus prae ceteris munera quaedam, ut doctoris et magistri, in Ecclesia exercenda traderentur. Quin immo dotes quaedam externae et naturales, tituli „primitiarum" alicuius ecclesiae (cf. 1 Cor. 16, 15) vel meriti singularis vel etiam aetatis, ratio esse possunt, ob quam alteri prae altero munus aliquod, imprimis praesulis, deferatur. Quae omnia condicioni hierarchicae neutiquam derogant.

Quibus praemissis hanc statuimus assertionem:

ASSERTIO 16. Tempore apostolico Ecclesia universalis erat hierarchice constituta.

395. 1. Sensus assertionis. — Ecclesia *universalis* intellegitur corpus omnium ecclesiarum, i. e. non earum mera summa, sed societas quaedam altioris ordinis, quae ut talis ipsa instructa sit oportet auctoritate aliqua universali; haec vero alia non est nisi apostolica sub primatiali Petri potestate. Indoles proin *hierarchica* huius potestatis vix est cur denuo ostendatur, cum ex iis, quae supra (*Ass. 10,* n. 288 sqq.) de apostolatu Pauli dicta sunt, constet, quo sensu primi christiani apostolatum considerayerint, tamquam institutionem videlicet divinam.

2. De modo procedendi. — Quoniam fontes antiquissimi non diserte exponunt Ecclesiae constitutionem universalem, testimonia quae praebent ita disponimus, ut gradibus quodammodo ad plenam rei notitiam perveniamus. Qui fit, ut et amplam fontium materiam integre proponamus et apte digeramus, et simul ostendamus consensum primae Ecclesiae hac in re fuisse universalem atque omni ex parte certum. Gradus vero quos ascendemus sunt hi: (1) Et christiani et alii, Iudaei et ethnici, persuasum habebant: Christi asseclas ut tales esse inter se *unitos* atque eo ipso ab aliis differentes et discretos; (2) hanc unionem esse *veram* et *externam* (visibilem) eamque niti quibusdam vinculis socialibus, eadem nimirum doctrina, eodem cultu, exercitio caritatis vere universali; (3) neque deesse vinculum proprium cuiusvis societatis, scilicet auctoritatem universalem, ex qua haec christiana unio dici debeat organica et *organisata;* atque unionem ita definitam redire ad Christi voluntatem ideoque esse *hierarchicam.*

Cum testimonia plurima eaque gravissima inveniantur in Actibus et in epistulis S. Pauli, hos potissimum fontes considerabimus, aliis tamen minime neglectis.

I. De unitate christianorum.

Christiani inde ab initio sese considerabant tamquam membra alicuius novae religionis, qua (1) in pluribus ab aliis discernerentur, et a Iudaeis et a gentilibus, (2) inter se autem artissime vincirentur.

396. 1. „Salvamini a generatione ista prava", adhortatur Petrus primos credentes die pentecostes (Act. 2, 40); atque ita factum est. Narrat enim Lucas: „Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis (templi). Ceterorum autem nemo audebat se coniungere

illis: sed magnificabat eos populus" (5, 12 b 13). Neque alia fuit sacerdotum et sadducaeorum (4, 1; 5, 17) de apostolis et christianis sententia. Hinc illis comminantur poenas (4, 21) eosque detrudunt in carcerem (5, 18) et flagellis caedunt (5, 40). Mox nomen ipsis imponunt, ut opinantur, criminosum: *nazarenos* [1] (nazaraeos) enim eos vocant. Tertullus, orator a synedrio accersitus, qui accusaret Paulum coram Felice procuratore (24, 1), apostolum nominat ducem et antesignanum *sectae* nazarenorum (24, 5). Atque duobus annis post, versus annum 61, Iudaei romani norunt religionem christianam tamquam *sectam* cui ubique contradicitur (28, 22).

Neque ipsos ethnicos latuit christianos, licet oriundos ex Iudaeis, ab iisdem plane distingui. Signum est nomen, quod primi Antiocheni, dicacitati ut constat dediti, fortasse ad ludibrium Christi asseclis indiderunt: „*christianos*" eos appellabant (11, 26). Quod cito ipsi christiani admisisse atque in honoris nomen convertisse videntur (cf. 1 Petri 4, 16).

Paulus quidem nomen christianum in suis epistulis non adhibet, attamen, sicut ante conversionem „hanc *viam* persecutus erat usque ad mortem" (22, 4), ita apparitione Domini collustratus iam Christi asseclas dicit „*vocatos*" (Rom. 1, 6 sq.; 8, 28. 1 Cor. 1, 2 24) et „*electos*" (Rom. 8, 33. Col. 3, 12. Tit. 1, 1). Nitide distinguit inter illos „qui *foris* sunt" et „qui *intus* sunt" (1 Cor. 5, 12; cf. 1 Thess. 4, 12; Col. 4, 5; 1 Tim. 3, 7), atque christianos ab omni consortio deterret infidelium. „Nolite iugum ducere cum infidelibus. . . . Quae enim conventio Christi ad Belial? . . . Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi . . ." (2 Cor. 6, 14—16).

397. 2. „*Templum* Dei, *domus* Dei, *populus* Dei" aliaeque appellationes similes et Paulo familiares ex usu V^{is} T^{i} ab ipso transferuntur ad religionem christianam. Christiani nempe sunt verum „Israel Dei" (Gal. 6, 16; cf. Act. 15, 14; 18, 10), donati iure *civitatis* Israel (Eph. 2, 12); hinc adscripti iam in civitatem caelestem (Phil. 3, 20). Quae omnia supponunt et asserunt unitatem quandam christianorum eamque analogam ad theocratiam V^{is} T^{i}. — Idem sequitur ex vocibus „*domus*" Dei (1 Tim. 3, 15; cf. 1 Cor. 3, 9; Gal. 6, 10; Eph. 2, 19 sqq.) vel Christi (Hebr. 3, 6), idem porro ex comparatione Ecclesiae cum *corpore,* quam in tertia parte ulterius prosequemur. Neque tandem desunt loci, ubi S. Paulus *unitatem* ipsam efferat. Ultima eius radix est unitas et unicitas Dei (1 Cor. 8, 4 6. Rom. 3, 30. Eph. 4, 4 sqq. 1 Tim. 2, 5), qui genus humanum peccato unius Adae perditum (Rom.

5, 12 sqq.) per salutiferam Christi oboeditionem (5, 19) sibi reconciliavit; Christus enim „unus pro omnibus mortuus est" (2 Cor. 5, 14). Itaque omnes in Christo baptizati „unum (sunt) in Christo Iesu" (Gal. 3, 27 sq.); „omnia (enim) et in omnibus Christus" (Col. 3, 11).

Hinc *nomina* illa socialia, quibus *inter se* christiani appellant. In Actibus (sicut in evangeliis) saepissime occurrit vox *„discipuli"* (μαθητής, μαθήτρια 9, 36), qui scilicet eandem doctrinam fidemque communem (hinc fideles πιστοί: Act. 10, 45. 2 Cor. 6, 15. Eph. 1, 1. Col. 1, 2. 1 Tim. 4, 3 12) atque eandem vitae rationem („viam" Act. 9, 2; 22, 4; 24, 14 22) sequuntur. Nomen *„fratres"* commune est Actibus et epistulis Pauli; aptissime designat eos, qui, filii cum sint eiusdem Dei et Patris, inter se vinculo caritatis uniuntur. *„Sancti"* vel sacri (ἅγιοι) vocantur christiani, quia Deo dicati sunt titulo potiore quam vetus Israel. Itaque S. Petrus in priore epistula verba Exodi (19, 6) „regnum sacerdotale et gens sancta" traducit ad christianos, qui „aliquando non populus, nunc autem populus Dei" sunt (2, 9 10).

Nomen quidem maxime sollemne, quo coetus christianorum designatur, est *„Ecclesia"*, Ecclesia Dei, Ecclesia Christi. Consonabat quippe in hac voce memoria omnium eorum, quae Iahve populo suo Israel fecerat (cf. Rom. 9, 4 sq.), ac verecundia adhibita voci, quam ipse Christus gregi suo indidit; insuper autem eiusdem nominis sonitus excitare debuit gratam animi recordationem „vocationis" (κλῆσις, κλητός: cf. 1 Cor. 1, 18 sqq.) omniumque donorum et bonorum plenitudinem quae attulit. Ex altera parte nulla est appellatio, quae magis proprie indolem Ecclesiae religiosam simul et socialem exprimat, qua omnes christiani tamquam lapides vivi Christo superaedificantur in perfectam unitatem domus spiritualis et sacerdotii sancti (1 Petri 2, 5).

II. De unitate christianorum externa.

398. Christiani, oriundi sive ex Iudaeis atque eorum sacro foedere „qehal Iahve" sive ex ethnicorum cultibus et collegiis religiosis, alienissimi erant a cogitatione „Ecclesiae invisibilis", quam ipsa iam vox redarguit. Et re quidem vera, fontes inde ab antiquissimis singula fere momenta enumerant, quibus huius consociationis christianae membra inter se uniuntur, inter se norunt, quibusque discernuntur ab omnibus aliis coetibus et religionibus. „Erant autem assidui (1) in doctrina apostolorum sectanda et (2) in (fraterna) coniunctione, (3) in fractione panis et orationibus" (Act. 2, 42; *Vg:* „in communicatione fractionis panis"), i. e. vinculum omnes christianos inter se ligans est tri-

plex: eiusdem nimirum doctrinae — eiusdem caritatis universalis — eiusdem cultus.

1. *Doctrina apostolorum.* — Evangelium Christi, „quae coepit Iesus facere et docere" (Act. 1, 1), cuius testes ab ipso Christo constituti sunt apostoli (1, 8; 10, 42), annuntiatur ab iis ut „verbum Dei" (4, 31; 6, 2 4), auctoritate divina (4, 19 sq.; 5, 29 sqq.). Christiani vero hoc eiusdem doctrinae vinculo inter se coniuncti vocantur *discipuli* (6, 1 et passim). *Paulum* huic considerationi consentire iam vidimus in *Ass. 10* (n. 302 sqq.) agentes de ipsius apostolatu. Enimvero secundum Paulum unum est evangelium Christi, videlicet, „quod praedicatum est in universa creatura . . . cuius factus sum ego Paulus minister" (Col. 1, 23) sicut alii apostoli: „Sive enim ego, sive illi: sic praedicamus et sic credidistis" (1 Cor. 15, 11). Eadem est proinde „forma (τύπος) doctrinae" (Rom. 6, 17; cf. 15, 15) in ecclesia romana ac in ecclesiis a Paulo fundatis, quae sequuntur „vias meas, quae sunt in Christo Iesu" (1 Cor. 4, 17), idem „symbolum", quod ex parte saltem servatum legimus in epistula ad Corinthios priore (15, 3 sqq.), eadem dehinc fides („una fides", Eph. 4, 5) christiana et apostolica. Ita Paulus, ita consensus christianorum primi temporis: sciunt se vinculo eiusdem doctrinae atque fidei uniri in unum corpus.

399. 2. *Coniunctio caritatis.* — „Via excellentior" est secundum S. Paulum caritas, donum prae omnibus S. Spiritus charismatibus praestantissimum (1 Cor. 12, 31). Hinc eius fructus in primitiva Ecclesia uberrimi: „multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una" (Act. 4, 32), ita ut egeni inter eos non invenirentur (4, 34). Eidem porro caritati tribuendum est quod ecclesia antiochena „mitteret in ministerium habitantibus in Iudaea fratribus" (11, 29) per Barnabam et Saulum; quod Paulus postmodum *eleemosynas* in ecclesiis suis collectas deferret Hierosolyma (24, 17), sollicite implens ea quae promiserat (Gal. 2, 10). Quam sollicitudinem testantur eius epistulae, secundum quas ecclesiae Galatiae (1 Cor. 16, 1), Macedoniae (2 Cor. 8, 1 sqq.), Achaiae (9, 2) contribuerunt ad haec Dei stipendia. Corinthios imprimis monet, ut pro sua in fratres caritate abundent in omne opus bonum. Ipse Paulus deferet haec dona „sanctis" qui sunt Hierosolymis, quamquam pericula sibi imminere scit. Ita scribit ad Romanos simul eos rogans, ut eum adiuvent suis orationibus, ut liberetur ab infidelium insidiis et ut „obsequii mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei" (Rom. 15, 31). Paulus Romam quidem pervenit, „vinctus Christi Iesu" (Philem. 1; cf. Eph. 4, 1), captus scilicet

in exercenda caritate, qua ligatus subsidia suarum ecclesiarum ad sanctos perferebat.

Praeclarum igitur haec caritas est vinculum christianorum, non solum alicuius ecclesiae localis, sed omnium ecclesiarum, licet maxime dissitae sint. Ut tale etiam a Paulo extollitur. Caritatis vestrae dona, ita ille Corinthiis, non solum inopiam sanctorum levabunt, sed firmiore etiam societate vos illis devincient; siquidem illi glorificabunt Deum, videntes vestram oboedientiam erga evangelium Christi atque sinceram in ipsos et *omnes* fratres caritatem (2 Cor. 9, 12 sq.).

400. 3. *Idem cultus.* — Artissimum vinculum est coniunctio eiusdem cultus, quatenus prae se fert indolem simul religiosam et socialem. Egregium huius intimae atque adeo familiaris unionis symbolum est „fractio" et distributio eiusdem *panis, eucharistici* nimirum, inter multos. „Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio (κοινωνία) sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio (κοινωνία) corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus" (1 Cor. 10, 16 sq.). Vinculum est vere universale, uniens quotquot sunt christiani; quotquot participant corpus Christi, constituunt et ipsi inter se unum corpus[2].

Neque eucharistia est unicus ritus christianus neque unum sacramentum, quod efficax gratiae internae simul signum est externum. Praebet quidem eucharistia prae aliis sacramentis naturam socialem unitivam, atque in hoc iure comparatur — praeeunte Paulo — sacramento et ritui initiationis, videlicet *baptismo.* Interrogantibus, quidnam facere debeant ut salventur, Petrus respondet: „Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum" (Act. 2, 38; cf. 9, 18; 10, 47; 19, 5). Quae lotio simul efficit sanctificationem animae et ingressum in coetum religiosum christianorum, i. e. baptismus est vinculum primarium et fundamentale, quod omnes Christi asseclas inter se ligat. Hinc est quod *Paulus* impugnans factiones in ecclesia corinthiaca ortas argumentum fortissimum petat ex unitate eiusdem baptismi. „. . . unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephae. — Ego autem Christi![3] Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis?" (1 Cor. 1, 12 sq.) In uno enim Christo Iesu omnes baptizati sunt; „in morte ipsius baptizati sumus, consepulti . . . cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit . . . ita et nos in novitate vitae ambulemus" (Rom. 6, 3 sq.). Baptismate igitur, i. e. ritu externo, cum homines



Friburgi Brisgoviae, Herder & Co.



Dieckmann, De Ecclesia I

adscribantur in civitatem christianam, cooptentur in regnum et familiam Dei, assumantur in Christi Ecclesiam, iam ipsa civitas, familia, Ecclesia externa sit oportet. Hinc ista S. Pauli adhortatio ad unionem et caritatis pacem in epistula ad Ephesios: „Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis . . . solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis“ (4, 1—6).

III. De unitate christianorum organisata.

401. Vinculum cuivis societati maxime proprium et singulare est auctoritas; de hac nobis iam agendum erit, vel etiam de organisatione Ecclesiae universalis, sive de christianorum unitate *organisata* quam vocavimus. Organisata etenim est unio talis, quae pro prototypo habet unitatem organismi, unitatem organicam seu vitalem. Sicut organismus, licet compositus sit ex pluribus iisque diversis partibus, unus est unitate quadam altioris ordinis, vi nimirum principii vitalis, ita organisata vocatur societas, quae, cum formetur ex pluribus hominibus, eosdem in unitatem redigit per principium uniens auctoritatis. Eiusmodi fuisse contendimus unionem christianorum inde ab initio, videlicet non mere exstitisse ecclesias locales confluentes seu foedus aliquod initum inter eas quae erant paris iuris, sed fuisse earum inter se coniunctionem talem, ut singulae ecclesiae particulares dependerent et quoad exsistentiam et quoad vitae actus ab Ecclesia universali (cf. supra n. 391 sq.); dein vero, id quod in hac dependentia includitur, ut in ipsa hac Ecclesia universali adessent organa et munera universalia, imprimis auctoritas, quae praeesset toti coetui. Unde sequitur, ut haec nostra inquisitio praecipue attendat ad haec munera universalia et, quae sint et cuius generis et originis sint, videat.

Fontes nostri, et Actus et epistulae Pauli, talem organisationem Ecclesiae primitivae indubie testantur, ea tamen lege, ut illi eam potius historice depingant, Paulus vero eiusdem naturam exponat.

402. 1. *Lucas* scilicet prosequitur origines Ecclesiae atque eius primordia, eius dein crescendi aetatem et tempus; semper autem *apostolicam* eam fuisse ostendit. Initia nimirum sicut fuerunt ex voluntate Christi apostolica, ita et eius progressus; sicut ecclesia matrix hierosolymitana subest apostolis, ita non solum ecclesiae quae ab ipsa dependent, sed etiam ecclesia antiochena cum chri-

stianis illis, quos imprimis Paulus ex ea urbe proficiscens in Asiae, Macedoniae, Achaiae partes ex ethnicis convertit atque in ecclesias adunavit. Siquidem una est et eadem omnibus auctoritas, apostolica videlicet, cuius plenitudo, universalis cum sit, extensive per terras quidem potest crescere, minime vero intensive. Ita fere Lucas.

Hinc operi suo praemittit *explicationem apostolatus,* qui scilicet a Christo sit institutus, cum ipse elegerit Duodecim (Act. 1, 2) eosque miserit ut testes suos (1, 8), atque voluerit — ita recte interpretabimur verba Lucae (1, 15 sqq.) — ut collegio eorum Matthias in locum proditoris adsciscerétur. Qui apostoli regunt christianos primo ecclesiae *hierosolymitanae,* et quidem sua doctrina (2, 42; cf. supra n. 398), administratione bonorum temporalium (2, 43 sqq.; 4, 35 37; 5, 1 sqq.; 6, 1 sqq.), auctoritate sociali, qua ordinem communitatis servant, nova munera instituunt (6, 1 sqq.: septemvirorum), noxios poenis coercent (5, 1 sqq.: Ananiam et Saphiram). *Extra Hierosolyma* aliae exstabant ecclesiae, non solum in Iudaea et Galilaea (9, 31), sed etiam in Samaria, praedicatione ut narrat Lucas (8, 4 sqq.). Philippi; protinus autem veniunt ab Hierosolymis Petrus et Ioannes, apostoli, „oraverunt pro ipsis (baptizatis), ut acciperent Spiritum Sanctum" (8, 15). „Ecclesia quidem per totam Iudaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem et aedificabatur ambulans in timore Domini . . ." (9, 31). Una igitur est Ecclesia, unita maxime per vinculum apostolicum. Id quod confirmant et exponunt verba Lucae sequentia: „Factum est autem, ut Petrus, dum pertransiret universos — ut nimirum eos videret et viseret — deveniret ad sanctos, qui habitabant Lyddae" (9, 32), porro ad ecclesias Saronae, Ioppe, Caesareae, ubi convertit domum Cornelii (10, 1 sqq.); forsan in his quoque locis Philippus semen evangelicum sparserat; nam dicitur evangelizasse „civitatibus cunctis, donec veniret Caesaream" (8, 40). Omnes igitur ecclesiae Palaestinae atque etiam diasporae adiacentis suberant auctoritati apostolorum; ipsam denique ecclesiam damascenam (9, 2 19), cui praefuisse videtur Ananias, arcte coniunctam fuisse cum hierosolymitana deducere licebit ex verbis Ananiae, quibus se multum audivisse de Saulo, christianorum persecutore, affirmat (9, 13).

Hae quidem ecclesiae omnes maximam longe partem effectae sunt ex *Iudaeis* ad fidem *conversis;* quid vero de illis, quae constabant maiorem partem ex *gentilibus baptizatis* neque immediate ab ecclesia hierosolymitana conditae sunt, sed ab antiochena?

Iam ipsa ecclesia *antiochena* originem ducit a quibusdam hellenistis, i. e. Iudaeis quidem, qui tamen lingua utebantur graeca (cf. 6, 1), qui fugati persecutione (8, 1) dispersi sunt per regiones Palaestinae (8, 1) et provinciarum vicinarum, Phoeniciae, Cypri, Syriae (11, 19; cf. 15, 3). Qui cum Antiochiae de Christo etiam ethnicis loquerentur, magnum eorum numerum converterunt ad Dominum. Illico autem *apostoli* mittunt *Barnabam,* virum inter primos Ecclesiae primitivae (4, 36; 9, 27), qui ecclesiae provideat eamque uniat Ecclesiae universali, apostolicae. Crescente christianorum numero Barnabas arcessit *Saulum* Tarsi degentem (11, 25)

simulque cum eo per annum integrum Antiochiae commorans docet magnam multitudinem. Itaque *Paulus,* ipse *apostolus* (cf. *Ass. 10,* n. 288 sqq.), iterum (cf. 9, 27) idque artius per Barnabam ligatur cum Ecclesia apostolica primitiva. Neque istud absque consilio a Luca scriptum esse censendum est; nam pergit (13, 4) in describendo itinere, quod Paulus cum Barnaba ingreditur, praedicans evangelium et propagans religionem Christi per insulam Cyprum regionesque Pamphyliae, Pisidiae, Lycaoniae. Ecclesias deinceps singulorum locorum, Derbae scilicet, Lystrae, Iconii, Antiochiae Pisidiae, cum instruxissent presbyteris (14, 23), redeunt Antiochiam (14, 26). Quaenam igitur harum ecclesiarum relatio ad apostolos atque Ecclesiam universalem?

Hanc relationem intimam fuisse nullum manet dubium. Lucas enim in proponendo *conventu,* qui *Hierosolymis* habitus est, ut decideret quaestionem Legis mosaicae, simul ostendit utriusque, si ita loqui fas est, ecclesiarum congregationis, *hierosolymitanae* dico et *antiochenae,* intimam *inter se* et cum auctoritate *apostolica* unionem. Disceptatione enim orta in ecclesia antiochena, num Lex Vetus obligaret ipsos Christianos, „statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex iis ad apostolos et presbyteros in Ierusalem" (15, 2). Quod consilium clarissime sane probat et unitatem omnium ecclesiarum et autoritatem apostolorum supremam. In ipso dein conventu Petrus contra „quosdam de haeresi pharisaeorum, qui crediderunt (ad fidem pervenerant)" (15, 5), libertatis enuntiat principium: „Per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi (christiani scilicet ex ethnicis conversi)" (15, 11). Quae sententia, ad quam non solum Paulus et Barnabas, sed ipse quoque Iacobus accesserunt, scripta tamquam decretum (τὰ δόγματα 16, 4) mittebatur „fratribus ex gentibus, qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae" (15, 23), ecclesiis nimirum, quae cum antiochena cohaerent (cf. 16, 4) ab eaque fundatae sunt. Omnes itaque ecclesiae, sicut unum efformant corpus, ita unam agnoscunt auctoritatem apostolicam, quam gerunt imprimis Duodecim, eandem vero etiam Paulus (et Barnabas; cf. *Ass. 10,* n. 293 sqq.), cuius vocatio et missio apostolica, teste epistula Pauli ad Galatas (2, 7 sqq.), in ipso hoc conventu quam disertissime agnoscebatur. Omnes igitur ecclesiae paulinae, fundatae sive ante sive post hunc conventum) Macedoniae et Achaiae: Act. 16, 11 sqq., Asiae: 19, 1 sqq.), in Paulo et per ipsum inseruntur in unitatem universalem Ecclesiae atque eius auctoritati universali, apostolicae dico, subiiciuntur.

403. Quae cum ita se habeant, in promptu est ut ulteriorem iam aggrediamur quaestionem et accuratius videamus huius apostolicae auctoritatis indolem et structuram, num scilicet Actus de eius hierarchica gradatione et de *primatu* Petri mentionem faciant. Et in genere quidem dici potest Petrus, sicut tempore Christi certa praerogativa inter apostolos usus est, ita post Christi mortem atque Ecclesiae primitivae initiis certe apparere ut primus in collegio duodenario et de facto indubie primatum exercuisse. Petrus enimvero est princeps apostolorum, quapropter

vocantur „Petrus cum undecim“ (2, 14) vel „Petrus et apostoli“ (5, 29), adeo ut Lucas, apostolorum cum velit enarrare acta, Petri fere gesta in priore parte sui operis describat. Legas, si libet, electionem Matthiae (1, 15 sqq.), sermones habitos ad populum (2, 14 sqq.; 3, 12 sqq.), miracula patrata a Petro (3, 1 sqq.; 5, 15; 9, 34 39 sq.), persecutiones contra Ecclesiam motas (4, 1 sqq.; 5, 17 sqq.) atque Petri defensiones (4, 8 sqq.; 4, 19 sqq.; 5, 29 sqq.); attendas ad potestatem quam gerit et exercet sive Hierosolymis (coactivam: 5, 1 sqq.; administrativam: 6, 1 sqq.) sive in Samaria (8, 20 sqq.) vel in civitatibus diasporae (9, 32 sqq.). Petrus porro, revelatione edoctus cum fuerit ethnicos non se debere submittere iugo Legis Veteris antequam intrarent in Christi Ecclesiam (10, 10 sqq.), decidit exinde disceptationem de hac eadem re postea exortam in conventu hierosolymitano (15, 7 sqq.). Nil ergo mirum, quod haec Petri eminentia inter christianos ipsi quoque regi Agrippae innotuerit eique ansam dederit, „ut affligeret quosdam de Ecclesia“, scilicet post Iacobum Zebedaei imprimis Petrum (12, 3), qui orationibus Ecclesiae adiutus atque per angelum carceri ereptus „egressus abiit in alium locum“ (12, 17). — Quonam? Lucas hunc alium locum tacitum tenet; nonne supponere videtur lectorem haud ignorare, quonam Petrus se verterit? Quaero insuper: nonne supponit totam Petri condicionem atque ipsam rationem, qua apostolus gerat primatum modo descriptum, lectoribus notam esse? Idipsum contingere enim in epistulis S. Pauli iam probabimus.

Possit. quis animadvertens *Paulum* in posteriore Actuum parte principem locum eodem vel etiam potiore modo tenere ac Petrum in priore, opinari duos istos apostolos a Luca unum cum altero aequiparari. At vero hoc quam longe absit a rei veritate legenti patet, siquidem Actus (1) Pauli opus apostolicum atque per ipsum maxime propagatam esse religionem christianam describunt, non autem eius auctoritatem universalem et supremam, quam Petro attribuunt; accedit (2) quod Pauli sortes, sermones, miracula fere narrantur, ut correspondeant sortibus, sermonibus, miraculis Petri, quo nimirum Paulus appareat ut verus Christi apostolus, insignitus omnibus signis apostolatus, atque in his certe Petro similis (cf. 3, 2 sqq. et 14, 8 sqq.; 5, 15 et 19, 11 sqq. [8, 14 sqq. et 19, 1 sqq.]; 8, 18 et 13. 6; 9, 36 sqq. et 20, 9 sqq. de miraculis Petri et Pauli). Sed eo ipso Petri, cui Paulus comparatur, extollitur excellentia.

404. 2. *Epistulae paulinae* pauciora quidem habent de evolutione historica Ecclesiae universalis, plurima autem atque egregia de eius unitate organisata, quam (a) comparant cum *organismo,* vocantes Ecclesiam „corpus Christi“, cuius (b) *auctoritatem* supremam dicunt esse apostolicam, ita quidem ut (c) *primatum* Petri haud obscure innuant.

a) Ipsa unitas organisata continetur nomine „corporis Christi", cuius unius vocis plenitudo, licet absconditum Ecclesiae mysterium includat eiusque vitam supernaturalem, iam de se sufficiens ad probandam Ecclesiae organisationem, ab ipsa Pauli auctoritate uberius explanatur. Saepius quidem apostolus loquitur de hoc omnium christianorum corpore; in epistula ad Corinthios priore (10, 16 sq.; 12, 4 sqq.) et ad Romanos (12, 3 sqq.) potius de ratione membrorum relate ad totum corpus agit; in epistulis ad Colossenses (1, 18 sqq.; 2, 19; 3, 15) et ad Ephesios (1, 23; 2, 16; 4, 3 sqq.; 5, 23 sqq.) insuper de relatione membrorum ad caput, scilicet Christum. Explicatio autem Pauli in ista re longe gravissima invenitur in epistulae ad Corinthios prioris capite 12 (12, 12 sqq.), in quo diserte comparationem Ecclesiae cum corpore (humano) perficit. Verus etenim organismus est Ecclesia, unum simul et compositum ex pluribus organis et membris, unum tandem suppositum vitale, cuius vitam participant, agunt, exercent eiusdem membra[4].

405. α) Haec videlicet *unitas organica* est fundamentum, ex quo Pauli declaratio procedit. „Sicut enim corpus *unum* est et membra habet *multa,* omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita . . . in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus (12, 12 13a; cf. 12, 20).

β) Membra corporis (humani) non solum sunt multa, sed inter se *diversa* tamquam eiusdem organa, utpote ad diversa ministeria destinata (12, 15 sqq.); eodem modo in Ecclesia sunt membra diversa et organa varia. Nam sicut Deus creator in corpore membra posuit prout voluit (12, 18), ita in corpore Ecclesiae, quod totum quantum est donum et opus Dei, „qui operatur omnia in omnibus" (12, 6), singula membra et organa per singula munera divina constituuntur, quae Paulus enumerat (12, 4 sqq. 28 sqq. Rom. 12, 6 sqq. Eph. 4, 11 sq.). Omnia ergo sunt „gratiae, charismata" (l. c.); nam sicut ipsa Ecclesia est magna quaedam gratia, magnum donum atque divinae dispensationis sacramentum (12, 4 sqq. Col. 1, 24 sqq.; 2, 19. Eph. 3, 10 21; 4, 11 sqq.), ita omnia eius munera et dona, sive spectant praecipue ordinem moralem (ut apostolatus, qui essentialiter est missio et auctoritas inde derivata; cf. n. 276 308) sive non (ut si quis accipiat donum prophetiae, vel „gratiam sanitatum": 12, 9 sq.); charisma proinde sensu paulino minime restringitur ad dona illa praeternaturalia et miraculosa, quae usus temporis postmodum sub hac voce intellexit, sed complectitur omne donum et munus, quod Deus dat Ecclesiae eiusque membris propter eam et ad eiusdem bonum[5].

γ) Omnia autem haec dona simul sunt „ministeria (διακονίαι)", munera ab hominibus exercenda, quibus inserviant „eidem Domino" (12, 5), sed insuper et immediate *toti corpori,* cuius per has diaconias facti sunt organa. Corpus enim ut tale multiplici indiget munerum et actuum genere, ut possit salvum consistere, vigere, crescere. „Ad utilitatem (πρὸς τὸ συμφέρον)" (12, 7) igitur dantur omnia haec dona ab uno eodemque Spiritu atque ad corporis unitatem, „ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra" (12, 25), compatientia et congaudentia (12, 26). „Vos autem estis corpus Christi et membra de membro" (12, 27), i. e. „singuli autem alter alterius membra" (Rom. 12, 5). Bonum igitur commune est finis omnium donorum et munerum; hinc monet Paulus: „Ad aedificationem Ecclesiae quaerite ut abundetis!" (1 Cor. 14, 12.)

δ) Artior etiam est unio inter membra huius organismi, quoniam vinculis non solum moralibus et iuridicis sicut aliae societates humanae, sed etiam physicis inter se ad totum uniuntur, ita fere, sicut organa organismi ad suppositum *vivum.* Omnia enim Ecclesiae membra, siquidem id plene sint, in unionem vitalem ingredi debent cum Christo capite atque participes fieri vitae et plenitudinis Christi (Col. 2, 19. Eph. 4, 16). Sed cum de hac vita corporis Christi postea agendum sit, sufficiat eam hoc loco leviter tetigisse, ne quid desit perfectioni imaginis, quam Paulus pingit de Ecclesia Christi (cf. n. 925 sqq.).

Quibus expositis unitas organisata, immo organica omnium christianorum clare constat, siquidem omnes, qui Christi baptismo baptizati eandem Christi fidem profitentur (cf. Eph. 4, 5). efformant unum corpus, Ecclesiam scilicet (Eph. 1, 23. Col. 1, 18), cuius caput est Christus. Ex hac corporis natura sequitur eius indoles *hierarchica;* nam sicut ipsa Ecclesia (Gal. 4, 26), ita omnia eius munera, utpote dona, veniunt de Deo, „qui operatur omnia in omnibus" (1 Cor. 12, 6); veniunt deorsum de capite, Christo scilicet, ex quo totum corpus aedificatur in caritate (Eph. 4, 16).

406. b) *Auctoritas* autem huius unitatis organisatae quaenam fuerit, novimus ex assertione de Pauli apostolatu (*Ass. 10*, n. 302 sqq.). Testibus epistulis paulinis Hierosolymis fuerunt *apostoli* „antecessores" Pauli in apostolatu (Gal. 1, 17), cum quibus suum modum procedendi contulit (2, 2), in conventu nimirum, qui celebratus est de quaestione Legis mosaicae (cf. Act. 15, 1 sqq.), a quibus dein ipse ut apostolus paris iuris agnitus est (Gal. 2, 7 sqq.; cf. 1 Cor. 9, 1 sqq.; 15, 8 sqq.); Paulus etenim sicut Duodecim munus suum

„non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem" (Gal. 1, 1) accepit. Legatione itaque Christi fungens (2 Cor. 5, 20) utitur auctoritate *doctrinali* omnimoda (cf. Gal. 1, 6 sqq.; 2 Cor. 11, 4 sqq.), vi cuius potest „in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi" (2 Cor. 10, 5; cf. Rom. 1, 5; 12, 3; 15, 15), atque etiam *disciplinari*, qua regit ecclesias a se fundatas, ut constabit ex quaestione sequenti.

407. c) Restat ut videamus, quidnam de Petro eiusque *primatu* in epistulis Pauli contineatur. Non adeo raro Paulus loquitur de Simone, quem et ipse bene novit et lectoribus suis apprime notum esse supponit. Testimonia sunt haec: Factiones, quae dividebant christianam ecclesiam Corinthi, exhibentur tres: Pauli — Apollo — *Cephae* (1 Cor. 1, 12; 3, 22), et ordine quidem indicato. Undenam haec pars, quae a Cepha nomen assumpsit? Vel quia Petrus aliquando per hanc ecclesiam transierit, ut innuit Dionysius (apud *Eus.*, Hist. eccl. 2, 25 8; *K* 60)? Vel quia Petri auctoritas erat admodum magna, universalis? Paulo quidem valebat plurimum; in eadem enim epistula agens de apostolatus sui iuribus provocat ad potestatem quam habent „et ceteri apostoli et fratres Domini et *Cephas*" (9, 5). Iterum, cum probandam sibi proponat resurrectionem mortuorum ex Christi resurrectione, inter huius resurrectionis Christi testes Petrum nominat diserte et quidem ut primum (15, 5): „et quia visus est *Cephae* et post hoc undecim", citans hisce verbis, ut videtur, „symbolum" primitivum, scilicet compendium quoddam brevissimum, quod articulos fidei forma fixa complectebatur, quodque iam ipse Paulus acceperat (15, 3). Ne immitamur nimium his textibus tamquam argumentis; at vero excitare certe valent studium, quo quis ad reliquas quaestiones pergat, num videlicet agatur de vera aliqua Petri praestantia et quae eius fuerit ratio.

408. Priorem quaestionem Paulus nobis solvit in epistula ad Galatas, in qua narrat (1) se venisse Hierosolyma, ut videret et cognosceret *Cepham* (*Vg:* Petrum); cum quo per quindecim dies conversatus sit (1, 18); curnam hoc factum epistulae suae inserit? — (2) cum iterum Hierosolyma ascendisset, Iacobum, *Cepham*, Ioannem (hunc sequitur ordinem) fuisse quasi „columnas" Ecclesiae (2, 9; cf. 2, 2 6); insuper autem, id quod maioris est ponderis, ab hisce et imprimis a *Petro* (hisce versibus [7 et 8] solis nomen Petri loco Cephae occurrit) agnitum esse suum apostolatum et aequiparatum cum apostolatu Petri (2, 7 sqq.). Curnam ad Petrum modo tam singulari se refert? Solutio petenda est ex scopo et indole istius epistulae. Paulus nimirum coactus defendere christianorum liber-

tatem a Lege mosaica, quam docuerat Galatas, contra perturbatores iudaizantes, nullum titulum habet fortiorem quam sui apostolatus. Hinc praecipue se esse veri et pleni nominis apostolum ostendit, tum ex „revelatione", qua Christum eiusque evangelium didicerit (1, 11 sqq.) atque ad apostolatum vocatus sit (1, 15 sq.; 1, 1), tum ex consensu Ecclesiae et agnitione apostolorum, inter quos eminet Petrus, adeo ut eius testimonium sit argumentum peremptorium. Addit dein argumentum, quod et directe libertatem edicit et simul, utpote ex *Petri* consensu petitum, est definitivum. Petrus enim commorans simul cum Paulo Antiochiae (2, 1 sqq.) primo quidem libere cum „gentibus" conversatus est: postea autem se ab eorum consuetudine segregavit, „timens (ait Paulus) eos, qui ex circumcisione erant" (2, 12). In qua vitae ratione cum nec sibi nec evangelio quod praedicabat constare videretur, a Paulo coram omnibus compellatus est; nam et alii atque ipse Barnabas Petri agendi modum imitati libertati christianae periculum creare videbantur: tanta erat Petri auctoritas. Atque etiam Paulo et Galatis est tanta, ut sibi videatur hoc solo iam se posse argumento redarguere adversarios suos: Petrus mihi consentit; una mecum tenet dogma fundamentale, „quod non iustificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi" (Gal. 2, 16; cf. Act. 15, 11: „per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari"), immo in ipsa vitae ratione atque convictu, ita videtur Paulus innuere, reversus est ad pristinam consuetudinis libertatem.

Undenam haec Petri apud Paulum et in ecclesiis paulinis talis ac tanta praestantia et auctoritas? Quam quaestionem si penitus ex epistulis Pauli solvere nequeamus, illustrare tamen aliquatenus valemus, et quidem ex ista epistula ad Galatas. Paulus videlicet ut plurimum adhibet *nomen* Cephae, uno tantum loco (2, 7 sq.) Petri. Supponit igitur lectores scire Simonem *duo* haec *nomina* gessisse. Iamvero si ita fuerit, recte suspicamur iisdem rationem etiam huius duplicitatis atque diversitatis haud ignotam fuisse, i. e. neque relationem quae intercedit inter Cepham et Petrum ut inter formam aramaicam et graecam, neque factum, cur nam et a quonam Simoni istud cognomen Cephas-Petrus, alioquin inusitatum, inditum sit. Paulus quidem sicut *EvMarc.* et *EvLuc.* et Actus de hoc facto silet; refert illud vero Matthaeus: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam" (16, 18)[6].

409. NOTAE. — **1** In oratione Iudaeorum hodieque in usu *Schemone esre*, quae componitur 18 (19) berakhoth (benedictionibus, imprecationibus, petitionibus) quaeque attribuitur saeculo primo christiano, commemorabantur etiam

christiani et quidem sub nomine nazaraeorum (Nozrim). Codex manuscriptus inventus in synagoga urbis Cairo (ed. *Schechter* 1898) hunc habet textum: „12 . . . et Nozrim et Minim celeriter intereant. Deleantur de libro viventium et cum iustis non scribantur. Benedictus Dominus, qui opprimis superbos!" Cf. *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes II[4] (1907) 544. — **2** Cf. quae *Ignatius Martyr* scribit ad Philadelphios: „Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus . . ." (4); „frangentes panem unum" Eph. 20, 2). Paulo aliter *Didache:* „Sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum" (9, 4; *K* 2). — **3** Si supponatur cum *H. I. Cladder,* Korinth, die Kirche des hl. Paulus (Aachen 1923) 35, aliisque, verba ista „Ego vero Christi!" iam esse responsum Pauli, servatur optimus nexus cum sequentibus atque disparet difficultas „factionis christianae". Cf. 3, 22 sq. **4** *Clemens Romanus* utitur eadem comparatione corporis: „Exemplo nobis sit corpus nostrum. Caput sine pedibus nihil est, prout neque pedes sine capite; minima autem corporis nostri membra universo corpori necessaria et utilia sunt: immo cuncta conspirant et una se subiciunt, ut salvum sit totum corpus. Servetur itaque totum corpus in Christo Iesu, et unusquisque proximo suo se subiciat iuxta gratiae donum ipsi assignatum" (37, 5; 38, 1). — De „corpore Christi" scripsit *F. Prat,* La théologie de S. Paul II[7] (1923) 341 sqq.; alio sensu *Tr. Schmidt*,* Der Leib Christi. Σῶμα Χριστοῦ. Eine Untersuchung zum urchristlichen Gemeindegedanken (Leipzig 1919); cf. infra *Conspectus dogmaticus* n. 928 sqq. 967 989. — **5** De sensu quo Paulus loquatur de charismatibus, cf. *P. Batiffol,* L'église naissante et le catholicisme (⁴1909) 36 sqq.; *Batiffol-Seppelt,* Urkirche u. Katholizismus 30 sqq.; *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche 69 sqq.; *St. v. Dunin-Borkowski,* Die Kirche als Stiftung Jesu (1913) 48 sqq., (1923) 52 sqq.; *idem* in Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 65 sqq.: *idem* in Stimmen der Zeit CI (1921) 392 sqq.; *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche 18 sqq. 97 99; *F. Prat* l. c. I[10] (1924) 150 sqq. 498 sqq. — **6** De hac quaestione scripsi: *Die Verfassung der Urkirche:* 2. Die Verfassung der Gesamtkirche (29 sqq.); 3. Der Primat. Das Zeugnis der Apostelgeschichte und der Briefe des hl. Paulus (57 sqq.) — Cf. *X. Roiron,* Saint Paul témoin de la primauté de Saint Pierre (Recherches de science relig. IV [1913] 489—531).

Quaestio 2. De ecclesiarum particularium organisatione hierarchica.

410. Ex iis quae initio huius capitis dicta sunt de relatione, quae intercedit inter Ecclesiam universalem et ecclesias particulares, quaestio ista, quaenam fuerit harum particularium forma socialis, quod ad rei summam attinet, soluta videtur esse. Si enim Ecclesia universalis est primigenia secundum Christi consilia, iam a priori probabile est eandem esse organisationis formam et Ecclesiae universali et ecclesiis particularibus, hierarchicam nimirum; si dein Ecclesia ut corpus unum est suppositum vivum, quod sustentat et vivificat coetus christianorum locales, si porro hoc corpus atque tota Ecclesia est donum Dei, „qui omnia in omnibus operatur" (1 Cor. 12, 6), si denique eadem est corpus

Christi, ex quo tamquam e capite defluunt omnia quae corpus uniunt et aedificant et vivificant omnesque eius iuncturae ac commissurae et vincula (Eph. 4, 16. Col. 2, 19), fieri non potest, quin et ipsae ecclesiae locales participent hanc communem atque universalem Ecclesiae indolem hierarchicam. Atque haec quidem mihi videtur esse ratio validissima, quae in probationem istius nostrae assertionis adduci possit, quippe quae petitur non solum ex identitate nominis ecclesiae pro utroque coetu, sed etiam ex consideratione maxime uuiversali et fundamentali S. Pauli et totius Ecclesiae primitivae, et qua talis alias omnes in se continet rationes, quas vel ipsa sustentat et explicat, vel a quibus explanatur et confirmatur [1]. Hac itaque generali consideratione praemissa iam ad singulos accedamus fontes, e quibus de ecclesiarum localium constitutione certiores reddimur, ad Actus imprimis et ad epistulas paulinas.

ASSERTIO 17. Ecclesiae particulares, utpote in Ecclesia universali et per eam subsistentes, et ipsae hierarchice constitutae erant.

411. *Sensus* assertionis ex iis quae supra disputata sunt haud difficulter constabit. Ecclesia enim *particularis* intellegitur coetus fidelium localis, alicuius videlicet urbis sive regionis, cuius membra eosdem conventus celebrare solent. Quoniam porro iidem christiani, qui constituunt aliquam ecclesiam particularem, simul et primarie quidem ad Ecclesiam universalem pertinent, ipsae quoque ecclesiae particulares subordinantur Ecclesiae universali, a qua habent totam suae exsistentiae atque vitae rationem.

De constitutione iam harum ecclesiarum localium inquirentibus occurrit eadem forma ac in Ecclesia universali, nempe *hierarchica*, i. e. auctoritas etiam horum coetuum localium — sive spectantur munera sive personae quae hoc munus gerunt — instituta est hierarchice, vel immediate a Deo vel mediate a potestate hierarchica (e. g. apostolica). Reicimus igitur, secuti fontes, sententias eorum, qui volunt tempore apostolico ecclesias fuisse vel democratice vel charismatice institutas, eo quidem sensu intellectas, ut vel coetus fidelium vel donum charismaticum constituat munera eaque aliquibus conferat, ut iisdem fungantur. Non autem omnem nos communitatis concursum excludere neque negare charismata (sensu artiore intellecta) certa quodam modo disponere et commendare ad certa munera socialia peragenda iam supra monuimus.

In animo nobis est fontes eo ordine adire, ut prius quae ex Actibus repeti possint videamus, dein ad epistulas paulinas ceterosque N^i T^i libros transeamus.

I. Testimonium Actuum.

Agemus (1) de ecclesia hierosolymitana, dein (2) de ecclesiis gentium, antiochena nimirum et iis, quae ab Antiochia conditae sunt.

412. 1. Initia Ecclesiae cum fuerint *Hierosolymis,* nos quoque ex huius ecclesiae forma initium sumamus, eo magis, quod ipsa vero quodam modo mater exstiterit atque exemplar aliarum ecclesiarum. Et primis quidem temporibus, quamdiu ecclesia hierosolymitana, sin minus unicus, attamen certe princeps longe erat coetus christianorum atque ab ipsis apostolis et imprimis a Petro regebatur [2] (cf. n. 402 sqq.), de organisatione locali vix sermo esse potest. Crescente autem Ecclesia et multiplicato numero fidelium et ecclesiarum fieri non potuit, quin apostoli, munus suum universale intendentes, aliis committerent auctoritatem in ecclesia locali hierosolymitana exercendam vel eo, quod adiutores sibi adsciscerent — ut Septem (Act. 6, 1 sqq.) — vel eo quod discedentes ab Urbe successores sibi constituerent, puta presbyteros sub Iacobo.

a) Collegii *semptemvirorum* cum referatur diserte et ansa et origo (cf. 21, 8), operae pretium est, ut huius relationis attente perpendamus singula paene verba (Act. 6, 1—6). Et *ansa* quidem erat querela et murmuratio quaedam orta intra ipsa membra ecclesiae. Coetu enim fidelium crescente decrevisse videtur caritas, qua inter se erant „cor unum et anima una" (4, 32), praesertim cum communitas duas quasi factiones in se contineret, „Hebraeorum" scilicet et „Hellenistarum" (6, 1). Licet enim haec diversitas non fuerit nisi solius linguae, tamen germina quaedam discordiarum sevit inter fratres eiusdem sanguinis atque religionis christianae eiusdem. Hellenistae scilicet opinati sunt „in ministerio quotidiano", i. e. in distributione eleemosynarum, despici vel praeteriri eorum viduas ab Hebraeis. Apostoli igitur, ut quam efficacissime arcerent omnem invidiam, crearunt munus peculiare eorum qui „mensis ministrarent" (6, 2). Ex praecedentibus constat (4, 34 36 sq.) initio apostolos ipsos totam curam communitatis atque etiam administrationem eleemosynarum gessisse; in collisione vero huius officii cum „ministerio verbi" (6, 4), quod apostolis est maxime proprium atque omni ex parte princeps, exsurgit necessitas muneris specialis, quod „mensis" provideat et pauperum necessitatibus. Quod cum profluat ex plenitudine apostolici muneris atque ab apostolorum auctoritate instituatur, dici debet *ex origine* sua *hierarchicum.* Hierarchicus porro est modus quo munus septemviris *deferatur.* „Convocantes autem Duodecim multitudinem

discipulorum (hellenistarum?)" (6, 2), eos admonent, ut eligant atque proponant septem viros „boni testimonii" . . . plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus (καταστήσομεν) super hoc opus" (6, 3). Quo facto apostoli electis manus atque ita munus imponunt. Communitas igitur, quamvis ex voluntate Duodecim suas in eligendis et proponendis viris habeat partes, illos tamen nullo modo instituit; sed sicut institutio muneris, ita et constitutio personarum quae hoc munere fungantur, est actus hierarchicus apostolorum. Hac igitur ratione democratica sententia excluditur, non minus autem charismatica. Dona quidem charismatica viris electis nullo modo defuisse videntur; quae autem ex sese nullam tribuunt potestatem, sed idoneos tantummodo reddunt pneumaticos, qui prae ceteris a coetu ad munus gerendum proponantur [3].

Haec itaque institutio septemvirorum exempli et typi gratia, fere dixeris, a Luca Actibus inserta est, quo videlicet semel indicet, quonam modo munera eorumque auctoritas omnis proveniant ab apostolis.

413. b) De originibus *presbyteratus* (Act. 11, 30; 15, 2 — 16, 4; 21, 18) Lucas nil refert, vel quia lectoribus notae supponebantur, vel quia descripta institutione septemvirorum similis presbyteratus origo diserta explanatione non indigebat [4]. Presbyteri primo occurrunt in pericopa, quae refert ecclesiae antiochenae caritatem erga fratres pauperes (cf. Gal. 2, 10) in Iudaea habitantes (11, 27 sqq.), quibus propter famem ab Agabo praedictam eleemosynas mittunt, quae a Barnaba et Paulo deferantur *ad presbyteros* (11, 30). Cur non ad apostolos, quorum erat inde ab initio, ut modo dictum est, cura pauperum? Lucas ipse supplet suam narrationem, addens rationem. Saeviente enim Agrippae persecutione (12, 1 sqq.), cui succubuit Iacobus Zebedaei, miraculo evasit Petrus; solus Iacobus videtur Hierosolymis mansisse (12, 17) cum presbyteris. „Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio" (12, 25), ita Lucas in fine huius pericopae.

Apostoli itaque non iam regebant ecclesiam hierosolymitanam, et praecipue quidem, quia ecclesiae circum undique fundandae et fundatae (8, 4 sqq.; 9, 31 sqq.; 11, 19 sqq.) obstabant, ne administrationem ecclesiae Urbis retinerent; accedebat autem vis illa ab Agrippa rege illata, quae aliter ac in priore persecutione, ad mortem Stephani orta (8, 1), ipsis imprimis apostolis adhibebatur. Agrippa dein mox defuncto (12, 20 sqq.; anno 44) aliqui ex apostolis ad tempus saltem reversi sunt; nam in conventu hierosolymitano, celebrato circa annum 49, aderant Petrus (15,

7 sqq.; Gal. 2, 9) et Ioannes (Gal. 2, 9) simul cum Iacobo et *presbyteris* („apostoli et presbyteri": Act. 15, 2 4 6 22 sqq.; 16, 4). Decem fere annis post, anno circiter 58, Paulus redux ex tertio itinere (18, 23 sqq.) invenit Hierosolymis Iacobum cum *presbyteris* (21, 18). Quae si complectamur, dubii esse non possumus presbyteros successisse in locum apostolorum, in munere scilicet regendi ecclesiam particularem hierosolymitanam; nam (1) istis presbyteris incumbit cura pauperum (11, 30; 24, 17) sicut antea apostolis (4, 34), aliter autem ac septemviris, quibus utpote „ministrantibus mensis" pars tantummodo huius curae videtur commissa fuisse; (2) vero presbyteri simul cum apostolis assident conventui hierosolymitano, qui de obligatione Legis mosaicae decidit. Relatio quidem et Lucae, quae solos apostolos loquentes affert (15, 7 sqq. 12 sqq.), et Pauli, qui Iacobum, Petrum, Ioannem „columnas" vocat (Gal. 2, 9), subicit aliquam differentiam inter auctoritatem apostolorum et presbyterorum, quae petenda est ex apostolatus dignitate omni ex parte ampliore; attamen presbyteri et ipsi exercent *magisterium,* proxime intra ecclesiam hierosolymitanam; deinde vero auctores cum sint „placiti" synodalis (15, 22 28; 16, 4) simul cum apostolis, etiam in alias ecclesias. Proprie tamen presbyteratus est munus *locale,* comprendens cum magisterio potestatem *regendi.* Ideoque Paulus, deferens eleemosynas suarum ecclesiarum (24, 17), excipitur a presbyteris (21, 18), qui sub Iacobo praesunt ecclesiae.

De *origine* proinde huius presbyteratus iam quaerentibus Actus responsum disertum quidem denegant; indicant autem sat clare eam fuisse *hierarchicam.* Describuntur enim presbyteri ut successores apostolorum in eorum munere et auctoritate locali, qui absque apostolorum potestate constitui non potuerunt; id quod diserte confirmat institutio tum septemvirorum hierarchica, tum presbyterorum in ecclesiis paulinis item hierarchica, de qua infra. Paulus videlicet, qui inde ab initio in coniunctione atque consensu apostolorum „antecessorum" (Gal. 1, 17) et Ecclesiae primitivae fuit (et per Barnabam: Act. 9, 27; 11, 25; 13, 2 sqq.; 15, 35; et per Silam: 15, 40 sqq.) et diserte dicit se Hierosolyma ascendisse, ut conferret „evangelium suum" cum apostolis (Gal. 2, 2), supponendus est formam etiam socialem ecclesiarum, quas fundavit et instituit (14, 23), mutuatus esse ab ecclesia prima, apostolica, hierosolymitana nimirum. — Ad hasce Pauli ecclesias earumque constitutionem iamiam animum advertamus.

414. 2. Plura quidem narrat Lucas de *ecclesiis inter gentes* fundatis, ac praecipue de ecclesia antiochena, ita quidem, ut inde

deducant ipsius Lucae originem antiochenam[5]; de organisatione tamen harum ecclesiarum pauca admodum discimus. Illud unum clare in Actibus exhibetur: ecclesias omnes subordinatas esse auctoritati apostolicae (cf. n. 402), ecclesiis dein paulinis praefectos esse presbyteros.

a) Ecclesiae *antiochenae* primordia fuerunt vere exigua. Hellenistae quidam, fugati ex Urbe post mortem Stephani (8, 1; 11, 19), pervenerunt in Phoeniciam, in insulam Cyprum, Antiochiam usque. Quot dispersi christiani, tot fere praedicatores erant evangelii, sed, ut ait Lucas, non loquebantur nisi solis Iudaeis (11, 19). Cum tamen inter eos aliqui, amoris Christi ardore quo aestuabant correpti, viri nimirum quidam cyprii et cyrenaei, ethnicis etiam Dominum Iesum annuntiarent (11, 20), verba eorum adiuvante Deo ceciderunt in terram adeo bonam, ut brevi excresceret seges amplissima, coetus fidelium numerosus ex ethnicis conversorum; res sane nova et inaudita in Ecclesia. Quidnam ergo facient apostoli? Quam primum audiunt de hac christianorum communitate, mittunt ei Barnabam, virum charismatibus instructum (11, 22 sqq.; cf. 4, 36; 13, 1) et magnae auctoritatis, qui et rei veritatem exquirat et antiochenam ecclesiam uniat cum Ecclesia universali et apostolica. Aucto dein numero fidelium Barnabas sibi in auxilium adscivit Saulum, tunc temporis Tarsi degentem (11, 25; cf. 9, 30; Gal. 1, 21), cum quo per annum integrum inservit doctrinae (11, 26); postea autem praeter Barnabam et Saulum tres alii enumerantur, qui ecclesiae dono suo vel prophetico vel didactico ministrabant (λειτουργεῖν, i. e. ministerium sacrum publicum obire; 13, 2). Numquid hi quinque fuerunt presbyteri ecclesiae antiochenae? Non quidem videtur hoc prorsus negari posse; sed multo probabilior est sententia illa, quae contendit Barnabam quidem, ex voluntate apostolorum, praefuisse ecclesiae; ceteros vero more prophetarum et doctorum peregrinantium[6] ad tempus munus suum in ecclesia antiochena gessisse in aedificationem christianorum. Neque vero inde negemus fuisse Antiochiae presbyteros tamquam praepositos locales ecclesiae, cum et ecclesia hierosolymitana, ex qua venit Barnabas, et ecclesiae paulinae, ab Antiochia fundatae, etiam talibus instructae sint. De his Pauli ecclesiis iam nobis agendum est.

415. b) De ecclesiarum *paulinarum* organisatione, si factum dumtaxat respiciatur, sat bene instructi sumus. Postquam Paulus cum Barnaba peragrans Cyprum insulam (13, 4 sqq.), Pamphyliam et Pisidiam (13, 13 sqq.), Lycaoniam (14, 6 sqq.), pervenerat Derben, iam non secutus est viam suam Orientem versus, qua brevi attin-

geret Tarsum Ciliciae, sed reversus eadem qua venerat via (14, 21 sqq.) ecclesias omnes recenter fundatas invisit, Lystrae nimirum, Iconii, Antiochiae, ut confirmaret eas cum verbis consolationis et adhortationis, tum vero organisatione: „constituentes (χειροτονήσαντες)[7] illis per singulas ecclesias presbyteros" (14, 23). Quibus verbis indoles muneris clare circumscribitur. Licet enim χειροτονεῖν de se non significet muneris traditionem sed solam electionem, hoc loco tamen utrumque intellegi ex contextu patet. Recte igitur presbyteratus dicitur munus *hierarchicum locale*. Presbyteri etenim ita singulis praesunt ecclesiis sicut Paulus omnibus quas fundavit, quarum supremam gubernationem sibi reservavit. Scopus namque secundi itineris ab ipso Paulo hic assignatur: „Revertentes *visitemus* (ἐπισκεψώμεθα) fratres per universas civitates, in quibus praedicavimus verbum Dei, quomodo se habeant" (15, 36), i. e. veram sibi attribuit potestatem „episcopalem", invisendi videlicet et inspiciendi ecclesias suas; itaque factum est, et promulgatione decreti apostolorum et presbyterorum et ulteriore instructione atque confirmatione in fide (16, 4 sq.).

Uberius quam ex istis locis instituimur de indole organisationis localis et praecipue presbyteratus ex ipsius Pauli verbis, quae Lucas, Paulum comitatus redeuntem ex tertio itinere (20, 5 sqq.), refert. Cum enim navis appulisset Miletum (20, 15) atque moram faceret aliquot dierum, vocavit *presbyteros* ecclesiae ephesinae — distat autem Ephesus a Mileto fere 60 000 metrorum — eosque allocutus est more vere pastorali, paterno, apostolico. Exordiens a laboribus quos Ephesi tulerit atque sortes indicans quas spiritu praevidit sibi Hierosolymis imminere, vincula scilicet et tribulationes, adhortatur presbyteros, ut digne munere suo fungantur. Sunt enim pastores gregis dominici, Ecclesiae nimirum Dei, quam Christus sibi sanguine suo acquisivit (20, 28; cf. Matth. 16, 18: „Ecclesiam meam"), positi a Spiritu Sancto, qui omnes gratias et diaconias in Ecclesia distribuit (1 Cor. 12, 4 sq.). Propter hanc suam condicionem vocantur a Paulo episcopi, quatenus scilicet simile in ecclesia particulari munus obeunt ac Paulus quoad ecclesias omnes sibi subiectas (15, 36). Hinc adhortatio ista: „Attendite vobis et universo gregi" (20, 28), „vigilate" (20, 31) ut boni pastores, ne „lupi rapaces" (20, 29; cf. Io. 10, 12; Matth. 7, 15) invadant gregem, pervertentes doctrinam ac scindentes unitatem. Quod ut facilius possint, teneant doctrinam Pauli apostolicam et christianam sequanturque eius exemplum[8].

Quae quidem descriptio optime complet ea, quae Lucas antea de presbyterorum institutione dixerat: auctoritate sane utuntur

sacra atque hierarchica, subiecta tamen potestati apostolicae et restricta ad ambitum ecclesiae localis.

II. Testimonium S. Pauli.

416. Attendentes ad constitutionem ecclesiarum localium, epistulas paulinas apte dividimus in duas classes, quarum altera complectitur priores usque ad epistulam ad Hebraeos, altera vero pastorales quae dicuntur. Hae enim, cum de rebus ecclesiasticis agant, formas etiam organisationis atque diserte munus presbyterale (episcopale) describunt; priores vero organisationem potius supponunt et occasione data leviter tantum tangunt. Hinc in promptu est, ut seorsum agamus de epistulis pastoralibus, utpote quae confirmant testimonium priorum.

1. Cum de relatione ipsius Pauli ad ecclesias a se fundatas vel in *prioribus epistulis* nullus ambigendi sit locus, ab hoc facto inquisitio nostra exordium sumat, a quo dein transeat ad dignoscendam condicionem eorum, quos apostolus aliquando ecclesiis istis mittit ut vicarios suos, ut tandem constet quaenam sit potestas praepositorum localium, quos in ecclesiis paulinis invenimus.

a) Ex *Ass. 10* (n. 288 sqq.), qua Paulum fuisse constat apostolum sensu pleno ac technico ut aiunt, apparet summa auctoritas, qua apostolus gaudet in Ecclesia Dei, sive doctrinalis sive disciplinaris. Hanc sibi Paulum vindicasse atque in ecclesiis suis adhibuisse testantur omnes eius epistulae, inde a prima, quam scripsit Thessalonicensibus. A Deo scilicet sibi commissum opus evangelicae praedicationis (2, 4) ut eius apostolus explevit cura et sollicitudine vere paterna (2, 7), sciens se non „verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei“ loqui, quod operatur in iis qui ad fidem perveniunt (2, 13). Ad istam institutionem, quam erumpente persecutione (Act. 17, 5 sqq.) non potuit perficere et absolvere, complendam, Paulus hanc suam mittit epistulam (1 Thess. 3, 10).

Eadem ratione aliis scribit ecclesiis, modo *docens,* doctrinam videlicet suam vel confirmans (e. g. de eucharistia: 1 Cor. 11, 17 sqq.) vel ulterius illustrans (e. g. de virginitate: 7, 25 sqq.) vel etiam defendens (e. g. libertatem christianam in epistula ad Galatas; resurrectionem mortuorum: 1 Cor. 15, 1—58) auctoritate apostolica et universali (Rom. 1, 5; 15, 15 sqq.) et absoluta (Gal. 1, 6 sqq. 2 Cor. 10, 3 sqq. Phil. 4, 9) — modo *praecipiens,* ordinans, regens ut pater suarum ecclesiarum: „Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui“ (1 Cor. 4, 15; cf. 1 Thess. 2, 7 11). Hinc addit: „Quid vultis? in virga veniam ad vos an in caritate et in spiritu mansuetudinis?“ (1 Cor. 4, 21.) Tota quidem apostoli

auctoritas est donum Dei (3, 5 10) totaque eius dignitas provenit ex eo quod sit minister Christi (3, 5; 4, 1), Dei adiutor atque eius „sapiens architectus“ (3, 9 sq.), „dispensator (οἰκονόμος) mysteriorum Dei“ (4, 1), qui ut talis nulli hominum sed soli Deo rationem reddere debet: „qui autem iudicat me, Dominus est“ (4, 4). Ita Paulus, redarguens severe factiones, quae erant inter christianos Corinthi, describit suam potestatem, quae, in quantum est gratia ab uno eodemque Deo data et ministerium uni eidemque Domino exhibitum, excludit omnem factionem et omne discidium christianorum; in quantum vero est potestas et auctoritas a Deo ministris suis tradita, requirit plenam fidelium subiectionem. — Ex hac generali quodammodo muneris ecclesiastici consideratione adscribit Paulus similem — proportione servata — dignitatem, hierarchicam nempe, Apollo (3, 5 sqq.), qui post Pauli discessum Corinthum venerat atque segetem Pauli rigaverat (3, 6; cf. Act. 18, 24 sqq.; 19, 1). Numquid probabile est Paulum ulli ex suis adiutoribus aliam, puta democraticam, potestatem attribuisse?

417. Hac sua auctoritate apostolica Paulus, teste eadem epistula, liberrime ac largissime usus est. Opprimit factiones (1, 10 sqq.), vetat mulieres in ecclesia orare nisi velato capite (11, 2 sqq.). „Quodsi cuipiam libeat obloqui, sciat nos talem (contrariam) consuetudinem non habere neque ecclesias Dei“ (11, 16; paulo aliter *Vg*). Ad eandem consuetudinem provocat in alia quaestione, quae item ad mulieres spectat: „Mulieres in ecclesiis (conventibus) taceant!“ (14, 34.) „Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia. An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?“ (14, 35 b 36), ut scilicet ipsi vobis possitis leges dare. In Ecclesia etenim non valet nisi auctoritas universalis, consensus et conformitas. Disponit porro ordinem servandum in conventibus tum quoad eucharistiam (11, 17 sqq.) tum quoad charismata (12, 1 sqq.), illa praesertim, quae spectant doctrinam et instructionem (14, 1 sqq.); atque ut „omnia ad aedificationem fiant“ (14, 26), ipse Paulus quaedam statuit observanda. Similiter ordinat (διατάσσειν) collectas, quae sicut in ecclesiis Galatiae ita etiam Corinthi fiant pro pauperibus hierosolymitanis (16, 1 sqq.), quo modo scilicet salva christianorum libertate eleemosynae et colligantur et in Urbem sanctam deferantur.

418. Christianos vero Pauli apostolicam auctoritatem agnovisse ex eadem hac priore ad Corinthios epistula elucet; quippe quae est responsum apostoli ad Corinthiorum interrogationes (7, 1; cf. 1, 11). — *At,* inquiunt. Paulus et in ista et in aliis epistulis debuit suam auctoritatem *defendere* contra adversarios suos iudaizantes (cf. 2 Cor. 10, 1 sqq.; Gal. 1. 6 sqq.):

immo non pauca esse vestigia organisationis *democraticae,* quae Pauli auctoritatem minime agnoverit. „Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer aut ab humano die" (1 Cor. 4, 3): nonne haec verba supponunt Corinthios more autonomo de apostolo suo iudicasse, i. e. supremam sibi (ecclesiae) vindicasse potestatem? — Iudicarunt sane, more graeco et corinthiaco, lingua mordaci atque immodice libera; attamen de tribunali non est sermo; ipse Paulus hoc indicat: „qui autem iudicat me, Dominus est" (4, 4), tamquam „ministrum Christi et dispensatorem mysteriorum Dei" (4, 1). Tantum igitur abest ut Paulus talem communitatis super se iurisdictionem agnoscat, ut eandem diserte excludat et reiciat[9]. Ex hoc textu apparet quot et quantas cautiones habeat explicatio locorum similium, in quibus nimirum communitas ius aliquod erga apostolum exercuisse videatur. Si, secundum Actus, ii „qui erant ex circumcisione" (11, 2) disceptarunt *adversus Petrum,* quod introierit domum Cornelii ethnici, utuntur eadem loquendi libertate ac christiani corinthii. Petrus vicissim ductus caritate et prudentia pastorali erga zelatores et homines impetuosos (cf. 15, 1 5), morem illis gerens (11, 4 sqq.), nullo modo cedit iuribus suis apostolicis (15, 6 sqq.). — Minoris omnino ponderis sunt, quod Petrus et Ioannes dicuntur *missi ab „apostolis"* ad christianos quos Philippus Samariae converterat (8, 14), vel si *„ecclesia" mittit* Barnabam Antiochiam (11, 22); nam nullo modo excluditur hierarchica constitutio vel collegii apostolorum (cf. *Ass. 9,* n. 269 sqq.) vel ecclesiae[10]; sensus igitur talium expressionum eruendus erit ex consideratione et intentione auctoris universali et praevalente, quam Lucas haud obscure manifestat (cf. *Ass. 16,* n. 402 sq.).

Paulus quidem, ut diximus, apertius etiam Corinthiis declarat quid sentiat de eorum modo loquendi liberiore; ex altera vero parte pro sua se prudentia accommodat ad animum graecum in certam quandam speciem libertatis vel autonomiae propensum, quantum scilicet constitutio organica et hierarchica Ecclesiae patitur. Inde explicatur quod ipse iubet Corinthios tribunal constituere, quo puniant *incestuosum* (1 Cor. 5, 1 sqq.), ea tamen ratione ut simul indicet potestatem istam iudicialem ipsis conferri ab apostolo, per quem et cum quo tandem possint iudicium ferre; proprie igitur Pauli sententiae accedunt eamque exsecutioni mandant. Ipse enim iam quasi praesens iudicavit (5, 3): „congregatis vobis et meo spiritu" (5, 4), tradatur fornicarius satanae in interitum carnis (5, 5). — Aequalis plane est condicio iuridica Pauli in simili causa 2 Cor. 2, 6 sqq.; 7, 12[11].

Praeterea alia quaedam in argumentum adduci solent ab iis, qui defendunt constitutionem democraticam ecclesiae corinthiacae; sunt fere haec: In priore epistula ad Corinthios reprehendit christianos, quod fratres *in ius vocent* coram iudice ethnico (6, 1 sqq.), et quidem de rebus „saecularibus" (6, 3), i. e. quae pertinent ad victum et cultum. „Frater cum fratre iudicio contendit, et hoc apud infideles" (6, 6). Si quae sit causa eaque videatur coram alio dirimenda, quemcumque ex fratribus, et minimum quemque, eligant ad iudicandum! Sed hoc ipsum iam deficit a perfectione vitae christianae, quod sint omnino lites inter fratres. „Quare

non magis iniuriam accipitis? . . . Sed vos iniuriam facitis . . . et hoc fratribus!" (6, 7 sq.) — Paulus igitur Corinthiis inculcat principia caritatis christianae; de munere autem iudiciali instituendo non est sermo, multo minus de iure aliquo communitatis.

Idem dicendum est de ratione, qua procedat in *collectis* perferendis Hierosolyma. Ut nimirum in re adeo difficili servetur et libertas christianorum et integritatis fama Pauli, voluit, ut ecclesiae per „apostolos" (2 Cor. 8, 23), i. e. legatos, quos ipsae elegissent atque probassent per epistulas (1 Cor. 16, 3) commendaticias — quas Paulus sibi quidem minime necessarias esse asserit (2 Cor. 3, 1 sqq.) —, eleemosynas deferrent, „devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine (abundantia largitionis), quae ministratur a nobis" (2 Cor. 8, 20; cf. 12, 16 sqq.). Haec igitur legatorum electio, si quid probat, ostendit apostoli prudentiam, qua more vere paterno et mitigat et tuetur simul auctoritatem suam apostolicam. —

Quae omnia si complectamur, fateamur oportet Paulum plena sua auctoritate plene usum esse. Nil etenim, quod spectat ad vitam ecclesiasticam, eius fugit observationem, curationem, potestatis exercitium. Sive praesens sive absens (1 Cor. 5, 3 sqq. 2 Cor. 10, 1 sqq.; 13, 2 10. Phil. 1, 27), gerit curam, immo sollicitudinem omnium ecclesiarum (2 Cor. 11, 28). Testes sunt eius epistulae, testes etiam legati, quos suo tempore ecclesiis suis mittit, qui suo nomine et mandato certa quaedam, quae vel ad doctrinam vel ad mores vel ad ipsius Pauli condicionem spectant, in ordinem redigant. De his iam atque de eorum auctoritate agendum est.

419. b) Ex *legatis,* quos Paulus adhibet, a fontibus imprimis commemorantur Timotheus et Titus. Et *Timotheus* quidem, Pauli comes apostolicus inde a secundo itinere (Act. 16, 1 sqq.), prima sua legatione functus est in eodem hoc itinere, missus scilicet a Paulo Athenis ad Thessalonicenses „confirmandos . . . et exhortandos" (1 Thess. 3, 2). Redux simul cum Paulo ministerium Dei in evangelio subiit primo Corinthi (3, 6; 1, 1. Act. 18, 5), postea Ephesi (Act. 19, 22), unde mittitur ad ecclesiam sibi apprime notam corinthiacam, ut mentes Paulo conciliaret atque ipsius apostoli adventum praepararet. Paulus vicissim vias pandit suo discipulo epistula prima quam scripsit Corinthum. Postquam Corinthiis paterna sua in eos iura in memoriam revocavit (4, 15), ita pergit: „Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quae sunt in Christo Iesu, sicut ubique in omni ecclesia doceo . . . veniam autem (et ipse) ad vos cito, si Dominus voluerit" (4, 17 19a). In fine vero epistulae adiungit: „Si autem venerit Timotheus,

videte ut sine timore sit apud vos; opus enim Domini operatur sicut et ego. Nequis ergo illum spernat . . .“ (16, 10 11 a). Auctoritate igitur apostoli Timotheus instructus venit Corinthum; finem tamen suae legationis non videtur obtinuisse. Hoc autem inertiae vel segnitiae Timothei culpae vertendum non esse recte infertur ex aliis quas postmodum obiit missionibus, e. g. ad Philippenses (Phil. 2, 19) vel ad ecclesias Asiae regendas, instituendas, excolendas (1 Tim.).

Interim vero mittitur *Titus* Corinthum. De hac missione deque vera sollicitudine et anxietate, qua Paulus exitum eius et fructus exspectarit, ipse refert Corinthiis in altera nobis servata epistula. Obviam scilicet profectus Tito Troade non habuit requiem (2 Cor. 2, 13), quia Titum non invenit, neque commoratus est hoc loco, licet ostium ei apertum sit in Domino. Sed ne in Macedonia quidem tranquillitatem animi recuperavit ante Titi adventum: „foris pugnae, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi“ (7, 5 sq.). Nunc tandem angores se verterunt in consolationem. Titus enim Paulo nuntiavit non solum Corinthiorum fletum, fervidum amorem ac desiderium videndi apud se Paulum (7, 7) sed etiam eorum oboedientiam, quam praestiterunt Tito, quo modo cum timore et tremore eum receperint (7, 15). Tito propterea committit Paulus eleemosynas pro pauperibus Hierosolymitanis colligendas, „ut quemadmodum coepit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam“ (8, 6; cf. 8, 16 sqq.; 12, 17 sq.).

Quibus expositis condicio *iuridica* atque potestas *hierarchica* Timothei et Titi clare apparet. Paulus quidem est et manet pater et episcopus (cf. Act. 15, 36) suarum ecclesiarum omnium, etiam absens. Hanc autem suam potestatem communicat cum legatis suis, ita ut tamquam Pauli vicarii muniti sint auctoritate sua atque ut tales agniti ab ecclesiis. Itaque etiam horum legatorum potestas tota profluit ex Christo, capite corporis sui, Ecclesiae. — Numquid Paulus condicionem eorum, qui stabiliter praesunt singulis ecclesiis sub sui ipsius auctoritate, aliam esse censet?

420. c) De *praepositis* ecclesiarum *localibus* ex iis, quae dicta sunt de potestate Pauli et eorum, quos sui vicarios ad certa negotia tractanda ad ecclesias aliquando mittit, sponte haec inferuntur: (1) certe regunt singulas ecclesias non modo independenti et autonomo, sed sub Pauli auctoritate; (2) immo ex analogia cum Pauli legatis sequitur etiam ipsos praepositos stabiles ecclesiarum a Paulo esse constitutos atque auctoritate vere hierarchica in-

structos. Et haec quidem ex epistulis prioribus, si diligenter textus sparsos colligamus atque impigri omnia vestigia sequamur, omnino confirmari asserimus, licet concedamus argumenta clariora in epistulis demum pastoralibus inveniri.

Initium sumamus ex ecclesia *corinthiaca*, cui ut, vidimus, Paulus suos legatos Timotheum et Titum misit. In fine primae epistulae Paulus admonet fideles, ut se subiciant praepositis suis (16, 16), inter quos erant quidam ex domo Stephanae, „primitiae Achaiae" (16, 15), qui se ipsi ad hoc ministerium obtulerunt et applicuerunt. Et haec quidem Paulus; nec quidquam diserte de horum praepositorum constitutione addit, nisi quod in enumeratione gratiarum et ministeriorum etiam affert „gubernationes" (κυβερνήσεις, 12, 28), quibus in locis parallelis correspondent „qui praeest (munus suum impleat) in sollicitudine" (ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ, Rom. 12, 8) et „pastores" (ποιμένες, Eph. 4, 11). Quod gubernandi munus, cum ab apostolatu, cui tota Ecclesia regenda tradita sit, distinguatur, referendum erit ad praelaturam ecclesiae localis. Illud munus Corinthi pluribus commissum erat, ita quidem ut ex iis, quos Paulus primos Christo lucrifecerat, aliqui idonei atque ad onus hoc subeundum proni ab apostolo constituti sint.

De ecclesiae *romanae* constitutione — praeter locum modo citatum — ex Pauli epistula nil discimus; plura autem de ecclesia *Philippensium*, Paulo admodum cara et familiari. In epistulae inscriptione salutat „sanctos . . . qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus" (Phil. 1, 1). Verba sane gravissima, quoniam ostendunt neque veram organisationem neque terminos postea sollemnes defuisse ecclesiis localibus tempore Pauli. Immo ex hac una epistula episcoporum condicio sat clare apparet, cum Paulus et suam auctoritatem re et veritate exerceat ista epistula et Timotheum se missurum promittat (2, 19) et Epaphroditum aliosque inter Philippenses laborantes, quos inter episcopos fuisse conicere licebit, „cooperatores" suos nominet non secus ac Timotheum et Titum (2, 25; cf. 4, 1 sqq.). Ergo iure etiam inferimus eorum indolem hierarchicam.

Ecclesia *colossensis* fundata erat non a Paulo sed ab eius discipulo Epaphra, qui strenue laboravit in evangelio annuntiando non solum Colossis sed etiam incolis Hierapolis et Laodiceae (Col. 1, 7; 4, 12 sq.). Non videtur absonum esse si admittimus Epaphram habuisse curam et gubernationem ecclesiae colossensis, forte simul cum Archippo, qui „ministerium accepit in Domino" (4, 17; cf. Philem. 2), et aliis.

Nunc demum pervenimus ad ecclesiam *Thessalonicensium*, cui Paulus primas, quantum scimus, epistulas scripsit. Potuit etenim

in ista civitate per aliquot tantum hebdomadas commorari, fugatus praepropere insidiis Iudaeorum (Act. 17, 10); hinc misit ei Timotheum tamquam legatum (1 Thess. 3, 2 6), hinc scripsit eidem duas istas epistulas. In hac tali ecclesia recenter fundata, nondum plene instructa et instituta, teste epistula priore, erant praepositi locales, qui „praesunt in Domino“ (προϊστάμενοι ἐν κυρίῳ, 5, 12; cf. Rom. 12, 8), quos Thessalonicenses propterea prosequantur subiectione sua, abundantia autem caritatis propter opus et onus quod gerunt (5, 13). Dein vero Paulus alloquitur ipsos praepositos (5, 14 sqq.) eosque admonet, ut corripiant, consolentur, infirmos suscipiant, patientia utantur erga omnes. Sunt igitur praepositi numero plures, munus gerunt vere episcopale et pastorale, subiecti sunt apostolo. Donis charismaticis non videntur fuisse insigniti, cum addatur: „Spiritum nolite extinguere! Prophetias nolite spernere! Omnia autem probate; quod bonum est, tenete!“ (5, 19—21.) Quae si componantur inter se atque cum modo loquendi Pauli eiusque universali muneris ecclesiastici consideratione, dubitare non licet praepositos istos fuisse hierarchice, per Paulum nimirum, constitutos.

Eadem nascitur persuasio ex epistula ad *Hebraeos*. „Mementote praepositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei“ (ἡγουμένων ὑμῶν, 13, 7), qui iam dormiunt in Domino; „Obedite praepositis vestris et subiacete eis“ (13, 17); nam ipsi rationem reddere debent — non communitati sed — Deo pro animabus, sicut Paulus de suo apostolatu (1 Cor. 4, 4); similis igitur erit etiam ratio muneris quod gerunt praepositi locales; sicut Paulus habet sollicitudinem omnium ecclesiarum (2 Cor. 11, 28), ita praepositi locales unius ecclesiae. Utrumque autem munus est gratia et donum Dei, qui operatur omnia in omnibus (1 Cor. 12, 6).

421. 2. Testimonium epistularum Pauli *pastoralium*[12], cum sit adeo clarum, verbis fere ipsius Pauli exhiberi potest.

a) Et relatio quidem ipsius *apostoli* ad ecclesias suas eadem plane esse describitur in hisce epistulis ac in prioribus: Paulus scilicet omnimodam gerit et curam earum et potestatem. Inde est quod in inscriptionibus provocat ad sui apostolatus titulum (Tit. 1, 1), quem acceperit ex voluntate Dei (2 Tim. 1, 1), immo ex imperio (κατ' ἐπιταγήν: 1 Tim. 1, 1). Qua apostolus hisce epistulis summa sua auctoritate utitur, tum erga suos legatos, quos praeficit pluribus ecclesiis, constituens nimirum Timotheum super ecclesias Asiae, Titum vero super ecclesias Cretae vel fundandas vel instituendas; tum erga omnes istas ecclesias earumque membra universa (cf. e. g. 1 Tim. 1, 18; 2, 8 sqq.; 3, 14 sqq. etc.).

b) Quibus iam auctoritatem etiam *legatorum,* Timothei et Titi, adumbravimus: locum enim tenent et vices gerunt apostoli, donec ipse veniat, in „domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi" (1 Tim. 3, 15), omni auctoritate praediti. „Praecipe hoc et doce! Nemo adolescentiam tuam contemnat!" (4, 11 sq.; cf. Tit. 2, 15), ita Paulus Timotheo. Sed et ipsi praepositi ecclesiarum, presbyteri-episcopi nempe, subiecti sint legatis Pauli. Timotheus presbyteros, qui bene praesunt (οἱ καλῶς προεστῶτες), duplici honore dignos habeat (5, 17), contra eos accusationem ne admittat nisi vere probatam (5, 19), peccantes autem arguat coram omnibus presbyteris, „ut et ceteri timorem habeant" (5, 20). Haec iam, quae potestatem Timothei atque simul condicionem presbyterorum hierarchicam esse clare ostendunt, confirmantur verbis sequentibus: „Manus cito nemini imposueris!" [13] (5, 22), qua scilicet manuum impositione munus defertur (cf. 4, 14; 2 Tim. 1, 6). — *Titus* similiter a Paulo praeficitur universis ecclesiis cretensibus. „Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros (cf. Act. 14, 23), sicut et ego disposui tibi" (1, 5). Titus doceat „sanam doctrinam" (2, 1 sqq.), omnes instruat, aversantes a fide dure increpet (1, 13), obstinatum vero hominem atque haereticum devitare atque a communitate expellere debet (3, 10 sq.), i. e. idem agere ac Paulus pro sua in ecclesias potestate ampliore et apostolica.

c) Reliquum est, ut videamus condicionem *praepositorum localium,* secundum Pauli descriptionem. Et in prima quidem epistula ad Timotheum vocat *episcopatum* opus et munus (3, 1; ἔργον, i. e. labor in munere aliquo praestandus: *Zorell,* LG s. v. ἔργον 3). Post plures dein enumeratas virtutes, quae ornare debent episcopum, addit eum debere esse „suae domui (familiae) bene praepositum" (3, 4; προϊστάμενον). „Si quis autem domui suae praeesse (προστῆναι) nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?" (3, 5.) Quae si comparentur cum iis, quae de *presbyteris* (5, 17 sqq.) dicuntur, atque imprimis de eorum potestate regendi (οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι), certo constat eosdem praepositos ecclesiae modo vocari episcopos, si nimirum magis munus et auctoritas ei adnexa consideratur, modo autem presbyteros, siquidem honor auctoritatem sequens spectatur. Itaque Paulus etiam in epistula ad Titum, postquam Tito mandavit, ut in singulis civitatibus *presbyteros* constituat, ita pergit: „Oportet enim *episcopum* sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem (οἰκονόμον)" (Tit. 1, 7). Ex quo solo titulo, maxime in ore Pauli, indoles huius muneris *hierarchica* sat clare elucet. Sicut Petrus est oeconomus totius Ecclesiae vi potestatis clavium (Matth. 16, 19), sicut Paulus se ipsum ac suos cooperatores

considerat ut ministros Christi et dispensatores (οἰκονόμους) mysteriorum Dei (1 Cor. 4, 1), ita episcopi sunt oeconomi in domo Dei, instituti a Deo per potestatem hierarchicam Pauli et eius legati Timothei vel Titi.

Haec dein hierarchia in ipsa ecclesia locali varios habet gradus; *diaconi* enim, quorum munus iam occurrit Phil. 1, 1, ulterius describuntur in prima epistula ad Timotheum: sunt vere ministri et adiutores episcoporum tum in munere doctrinali tum in regenda communitate (3, 8 sqq.); sunt autem simul hierarchice instituti, quoniam post probationem tandem in ministerium istud admitti possunt (3, 10).

422. Et his quidem omnia, quae in scriptis paulinis habentur de ecclesiarum localium constitutione, ex ordine prolata esse videntur; unum forte desiderari possit, ut nimirum *aliorum fontium,* si exstent, testimonia afferantur, quibus haec Pauli assertiones confirmentur. Et re quidem vera tota Pauli consideratio atque eadem invenitur in epistula *Petri* priore. Christus nimirum ipse est „pastor et episcopus animarum" (2, 25), ita quidem ut constituerit presbyteros tamquam pastores sui gregis, qui pascant gregem Dei similiter ac Petrus et simul cum ipso ut conpresbytero (5, 1 sqq.); qui omnes pariter a summo pastore, a quo vocati sunt, exspectant praemium, gloriae scilicet coronam (5, 4). Et Petri quidem verba partim (5, 2) proxime accedunt ad textum in epistula Pauli ad Hebraeos (13, 17); consideratio autem eius fundamentalis de munerum ecclesiasticorum natura est eadem plane ac Pauli. Ita enim Petrus: „Unusquisque (exerceat caritatem aliaque dona Dei), sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores (οἰκονόμοι) multiformis gratiae Dei. Si quis loquitur (docet), quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen" (4, 10 sq.).

Regreditur igitur inquisitio nostra eo unde exorsa est, ad considerationem scilicet illam generaliorem Ecclesiae, quae viguit teste Paulo et Petro inde ab initio ipsius religionis christianae: Ecclesia est *unum corpus,* sicut unus est Deus, qui eam hominibus dedit ut plenitudinem et abundantiam omnium gratiarum (1 Cor. 12, 4 sqq. Rom. 12, 3. Eph. 4, 4 sqq. 1 Tim. 2, 5. 1 Petri 2, 4 sq.), atque unus Christus, qui ut caput hoc corpus gubernat, vivificat, aedificat (Col. 2, 19. Eph. 4, 16). Omnia proinde, quaecumque spectant ad Ecclesiam Dei et Christi, proveniunt a Deo eiusque Spiritu, et qua talia sunt dona et gratiae (Eph. 4, 11) et vocantur

charismata (1 Cor. 12, 4 sqq. 28 sqq. Rom. 12, 3 sqq. 1 Petri 4, 10); eadem vero dona omnia destinata sunt in bonum commune Ecclesiae et qua talia habent rationem ministerii seu *diaconiae* (1 Cor. 12, 4. Rom. 12, 5. Eph. 4, 16. 1 Tim. 3, 1 sqq.; 3, 8 sqq. 1 Petri 4, 8 sqq.). In quorum enumeratione (1 Cor. 12, 28. Rom. 12, 6 sqq. Eph. 4, 11. 1 Petr. 4, 10 sq.) leguntur et gratiae gratis datae (dona praeternaturalia, e. g. prophetia) et munera stricte dicta, quae pertinent vel ad Ecclesiam universalem, ut apostolatus (1 Cor. 12, 28. Eph. 4, 11), vel ad ecclesiam particularem, ut „gubernatio" (1 Cor. 12, 28: κυβερνήσεις) seu munus regendi (Rom. 12, 8: προϊστάμενος) seu pastorale (Eph. 4, 11. 1 Petri 5, 1 ssq.) seu episcopale (1 Tim. 3, 1 sqq. Tit. 1, 5 sqq.).

Scholion. De usu vocum presbyteri, episcopi, diaconi.

Cf. *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche 348 sqq.; *F. Prat,* La théologie de S. Paul II [7] (1923) 362 sqq.; *H. Lietzmann,* Zur altchristl. Verfassungsgeschichte (Zeitschr. für wissensch. Theologie LV [1913] 97—153).

423. Presbyteri. — Presbyteri *vi vocis* sunt „seniores", i. e. aetate maiores (frater natu maior: Luc. 15, 25), quibus opponuntur iuniores (e. g. Act. 2, 17. 1 Tim. 5, 1).

Nomen dein translatum est ad *munera* quaedam designanda et quidem vel *profana,* in collegiis quibusdam graecorum privatis (*Lietzmann* 116), quibus accenseri possunt collegia publica ut „senatus" romanus, „gerusia" Spartiatarum et aliarum civitatum; — vel *sacra,* e. g. collegia sacerdotum dei aegyptiaci Soknopaios, in quo presbyteri praeerant rebus pecuniariis (*Lietzmann* 117 sq.).

In V[e] T[o] occurrunt presbyteri et gerusia, ita quidem ut praesint vel toti populo Dei (Ex. 3, 16 18. 1 Esdr. 6, 7 14. Iudith 15, 9) vel singulis civitatibus (e. g. 1 Esdr. 10, 14 Iudith 6, 12). Tempore Christi *synedrium* erat „presbyterium" (Luc. 22, 66. Act. 22, 5) et „gerusia" (Act. 5, 21) totius populi, quod componebatur ex sacerdotibus, scribis, senioribus populi (cf. n. 323). Similiter autem etiam praepositi communitatum particularium palaestinensium vocabantur presbyteri; non tam certe idem constat de coetibus Iudaeorum dispersis inter gentes (*Lietzmann* 126 sqq.).

De usu *christiano.* — Tempore *apostolico* hoc nomine vocabantur *praepositi locales,* fortasse ex similitudine quadam inter munera Iudaeorum et christianorum eatenus, quatenus utrumque dicit potestatem regendi: Act. 11, 30; 14, 23; 15, 2 sqq.; 20, 17; 21, 18. 1 Tim. 5, 17 sqq. Tit. 1, 5. Iac. 5, 14. 1 Petr. 5, 1 (2 Io. 1; 3 Io. 1). Et hoc quidem tempore munus presbyteratus est hierarchicum, apostolatui subordinatum, locale, potestas scilicet regendi ecclesiam aliquam particularem.

Tempore vero *postapostolico* duplex aliqua evolutio nominis eiusque sensus observari licet. (1) Cum post mortem apostolorum eorum successores nomine proprio carerent, tituli presbyteri — episcopi usque tunc synonymi ita distinguebantur, ut *praesules ecclesiarum monarchici* voca-

rentur „episcopi“, eorum autem adiutores „presbyteri“. Ita testatur Ignatius (passim, e. g. Eph. 2, 2; 4, 1; 20, 2). Aliter, ut videtur, Clemens in epistula ad Romanos, qui mentionem facit plurium praepositorum ecclesiae corinthiacae, quos appellat vel presbyteros (1, 3; 21, 6; 47, 6; 54, 2; 57, 1) vel rarius episcopos (42, 2; 44, 1 sqq.). Polycarpus in sua ad Philippenses epistula commemorat solos presbyteros (et diaconos: 5, 3; 6, 1; 11, 1); eodem modo quae vocatur Clementis ad Corinthios altera epistula (17, 3 5). Pastor Hermae nominat presbyteros (Vis. 2, 4, 2 sq.; 3, 1, 8); incertum est quo sensu intellegat episcopos (Vis. 3, 5, 1. Sim. 9, 27, 2). — (2) Exceptio quaedam statuenda videtur esse relate ad quosdam viros ecclesiasticos egregios, qui *honoris causa* titulum presbyteri receperunt. Ita imprimis Ioannes apostolus se ipse vocat (2 Io. 1; 3 Io. 1), similiter etiam Petrus (1 Petr. 5, 1). Papias (apud *Eus.*, Hist. eccl. 3, 39, 1 sqq.; *K* 46) vocat apostolos omnes et peculiari modo Ioannem presbyteros. Irenaeus eundem modum tenet, appellans testes doctrinae presbyteros (Adv. haer. 2, 22, 5; 4, 27, 1; 4, 32, 1; 5, 5, 1; 5, 33, 3; 5, 36, 2; textus collegit *F. X. Funk,* Patres apostolici [I² Tubingae 1901] 378 sqq.; v. *Th. Zahn,* Apostel und Apostelschüler in der Provinz Asien [Forsch. zur Gesch. des neutestam. Kanons VI 1, Leipzig 1900] 53 sqq.; *G. Ficker* in *E. Hennecke,* Neutestam. Apokryphen [²1924] 540 sqq.). Idem in Demonstratione apostolicae praedicationis (ed. *Weber*) 3, 61, in epistula ad Florinum (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 20, 4 sq.) et ad Victorem (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 24, 14; *K* 97 sqq.), in qua ita honorantur episcopi romani. Omnes scilicet hac appellatione insigniti sunt testes traditionis apostolicae (cf. Adv. haer. 4, 26, 2 sqq.; *K* 136). — Clemens Alexandrinus eosdem adhibet testes (*Eus.,* Hist. eccl. 6, 13, 9; 6, 14, 5), imprimis magistrum suum Pantaenum, praecessorem in dirigenda schola alexandrina (Adumbratio in 1 Io. 1, 1; *MSG* IX 733). De hisce Clementis magistris vide Strom I, 1. 11 sqq. (*MSG* VIII 697 sqq.). — Ex quibus iam patet titulum his textibus exhibitum non esse nomen muneris sed excellentiae cuiusdam, scilicet in genere doctrinae christianae et apostolicae.

424. Episcopi. — Huius nominis alius est usus ante religionem christianam ortam, alius apud christianos.

(1) Episcopi inveniuntur tum in communitatibus *profanis,* e. g. inter magistratus civitatum, ut praefecti certorum munerum, e. g. „ad exstruenda vel reficienda aedificia publica“ vel ut tales, „qui praesunt pani et ceteris venalibus rebus“ (*Lietzmann* 105), tum in collegiis *sacris.* Simul autem cum tali usu technico mansit vocis sensus primigenius („inspectores“), qui adhibetur e. g. philosophis (ἐπίσκοπος vel κατάσκοπος). — In versione septuaginta interpretum V^{is} T^{i} occurrunt episcopi et episcopatus, neque vero tamquam nomina certi alicuius muneris.

(2) In religione *christiana* usus est sat frequens. Et tempore quidem *apostolico* usuvenit de Christo (1 Petri 2, 25), de apostolis (Act. 1, 20; 15, 36; ἐπισκέπτεσθαι), de praepositis localibus (Act. 20, 28. Phil. 1, 1. 1 Tim. 3, 1 sqq. Tit. 1, 7. 1 Petri 5, 2; cf. Iac. 1, 27). De huius vocis relatione ad nomen presbyteri valent quae dicit *Michiels:* „Les textes

du premier siècle indiquent clairement l'identité des ἐπίσκοποι et des πρεσβύτεροι" [14]. — Tempore *posteriore* eodem sensu latiore titulum adhibent Didache (15, 1; *K* 6), Clemens Romanus ad Cor. 42, 2 (*K* 12) et 44, 1 sqq. (*K* 13); Pastor Hermae Vis. 3, 5, 1; Sim. 9, 27, 2 (?). Scripta vero Ignatii clare efferunt distinctionem inter episcopum monarchicum et collegium presbyterorum ipsi subiectum (cf. *Ass. 19*, n. 467 sq. 472), quam recepit et excepit tempus sequens unanimiter, e. g. Irenaeus (Adv. haer. 3, 3, 1; *K* 124); episcopi in causa montanismi ab Eusebio enumerati (Hist. eccl. 5, 16) vel in quaestione de celebrando paschate coacti (ibid. 5, 23) in synodis sunt monarchici.

425. Diaconi. — Extra religionem christianam vox diaconi non videtur inveniri sensu technico [15]. Usus vero christianus nominis est latissimus. Praeterquam quod diaconia designat quodcumque ministerium (e. g. Luc. 10, 40), usus christianus haec includit: ministerium *caritatis* (Act. 6, 1; 11, 29; 12, 25. 1 Cor. 16, 15. 2 Cor. 8, 4; 9, 1. Rom. 15, 31). Sensu quodam artiore est ministerium et servitium, quod *Deo* praestatur (e. g. praedicatione verbi: Act. 6, 4), peculiariter vero in propaganda et exercenda *religione christiana* et aedificanda *Ecclesia* Christi. Hoc sensu omnia munera sunt diaconiae (1 Cor. 12, 5), vel ipse apostolatus (Act. 1, 17. 2 Cor. 4, 1; 6, 3. Rom. 11, 13, 1 Tim. 1, 12) vel etiam alia munera (cf. 2 Tim. 4, 5 11). Omnes itaque, qui munus aliquod ecclesiasticum gerunt, recte vocantur diaconi: Paulus (1 Cor. 3. 5. 2 Cor. 3, 6: 6, 4; 11, 23. Eph. 3, 7) et alii, puta Apollo (1 Cor. 3, 5), domus Stephanae (1 Cor. 16, 15; cf. Rom. 16, 1: Phoebe), Tychicus (Eph. 6, 21: Col. 4, 7), Epaphras (Col. 1, 7). — Sensu demum *technico* diaconia est munus speciale, episcopatui subordinatum: Phil. 1, 1. 1 Tim. 3, 8. 12. — 1 Clem. 42 (*K* 12), Pol. ad Phil. 5, 2 sq.; Ignatius passim.

Quibus expositis nulla apparet ratio, cur asseramus munus christianum dependere a munere „ministri" (ὑπηρέτης חַזָּן) synagogae Iudaeorum (Luc. 4, 20) [16], — Marcus vero, qui aliquando eodem nomine ὑπηρέτης vocatur, videtur diaconiam gessisse sensu latiore (Act. 13, 5).

426. NOTAE. — **1** Fuit imprimis *St. r. Dunin-Borkowski,* qui identidem huius rationis virtutem extulit, e. g. Stimmen der Zeit CI (1921) 438; cf. ibid. 392 sqq. — Cf. quae scripsi in Verfassung der Urkirche: 4. Die Verfassung der Einzelkirchen 80 sqq. Porro ad ipsam hanc assertionem: *W. Moran,* The government of the Church in the first century, Dublin 1913; aliter *K. Holl*,* Der Kirchenbegriff des Paulus in seinem Verhältnis zu dem der Urgemeinde (Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften LIII [Berlin 1921] 920–947). — **2** De relatione inter Duodecim (et Ecclesiam) et auctoritatem Iudaeorum cf. Act. 3, 17 („principes vestri"), 4; 1 sqq. et 5, 17 sqq. (persecutio movetur a sacerdotibus et sadducaeis); 4, 19 („vos potius audire quam Deum"); 5, 29 („obedire oportet Deo magis quam hominibus"); 4, 24 sqq. (oratio Ecclesiae; „convenerunt . . . adversus . . . Iesum . . . Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel": 4, 27). Cui Iudaeorum auctoritati substituitur apostolica, tum doctrinalis (2, 42), quae provenit ex mandato Christi (1, 8; 10, 42; cf. 6, 4) et confirmatur miraculis (e. g. 2, 43; 3, 6 13; 4, 10; 5, 12 sqq.), tum disciplinaris (5, 1 sqq.; 6, 1 sqq.). Ita omnes asseclae

Christi ut „discipuli“ (passim) eandem secuti „viam“ (i. e. vitae rationem: 9, 2), eidem subiecti auctoritati, constituunt unum coetum, qui ut talis agnoscitur ab ipsis Iudaeis (5, 13). — **3** Quaenam relatio intercedat inter septemviros et diaconos (si diaconatus concipitur ut gradus ordinis sacri), ex Actibus solis cum certitudine deduci posse vix videtur; textus, ex quibus haec quaestio solvenda est, vide in Scholio. — **4** De presbyteris, qui inveniuntur inter gentes et apud Iudaeos, cf. Scholion. Ex nominis susceptione recte inferri posse putant quandam muneris christiani similitudinem cum presbyteratu imprimis Iudaeorum; minime vero sequitur utriusque muneris omnimoda aequalitas — quae neque exsistebat inter presbyteros ethnicos et iudaicos —; etenim novae in nova religione debent esse huius muneris potestates, atque praesertim eius indoles hierarchica. Cf. *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche 361, not. 1. — **5** Origo Lucae antiochena sat clare indicatur ab Irenaeo (Adv. haer. 3, 14, 1); diserte affirmatur in Prologis sic dictis monarchianis et apud testes temporis posterioris. Ita lectio quaedam varians Act. 11, 28 eam exhibet. — **6** Cf. ea, quae in Actibus leguntur de propheta Agabo (11, 27; 21, 10) et de „evangelista“ Philippo (6, 5; 8, 4 sqq. 40; 21, 8). — **7** Alii textus, in quibus occurrit verbum χειροτονεῖν, sunt hi: 2 Cor. 8, 19; Didache 15 (*K* 6); *Ignat.,* Ad Philad. 10, 1; Ad Smyrn. 11, 2; Ad Polyc. 7, 2. — A qua expressione probe distinguenda est vox ἐπιτιθέναι τὰς χεῖρας, quae occurrit vario sensu: Act. 6, 6 (apostoli manus imponunt septemviris); 8, 17 (Petrus et Ioannes Samaritanis, ut accipiant Spiritum Sanctum); 9, 17 (Ananias Saulo, ut videat et impleatur Spiritu Sancto); 13, 3 („ministrantes“ Barnabae et Paulo primum iter aggredientes apostolicum); 19, 6 (Paulus Ephesi discipulis baptizatis, ut accipiant Spiritum Sanctum); 28, 8 (Paulus patri Publii aegroto ad recuperandam sanitatem). — 1 Tim. 4, 14 (presbyterium Timotheo); 5, 22 (Timotheus presbyteris constituendis); 2 Tim. 1, 6 (Paulus Timotheo). In fontibus antiquissimis sex omnino enumerantur „electiones“, in quibus communitas partes habuisse dicitur: Act. 1, 21 sqq.; 6, 1; 11, 29 sq.; 15, 2 sq.; Didache 15; 1 Clem. 44, 3 („consentiente universa ecclesia“; *K* 13). Cf. *St. v. Dunin-Borkowski* in Stimmen der Zeit CI (1921) 442 sq. — **8** De voce et munere episcopatus extra Ecclesiam et in Ecclesia cf. Scholion. — **9** Obiectiones quae fieri solent recensuit *St. v. Dunin-Borkowski,* Die Kirche als Stiftung Jesu (⁵1923) 55 sqq.; *idem* in Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 62 sqq.; Stimmen der Zeit CI (1921) 438 sqq.; *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche 93 sq. 136 sq. — **10** Eodem modo Paulus scribit „ecclesiae“: 1 Thess. 1, 1; 2 Thess. 1, 1; Gal. 1, 2; 1 Cor. 1, 1; 2 Cor. 1, 1; cf. epistulas Ignatii ad Magn. 15; ad Trall. 12, 1; 13, alias. — **11** Simile quid legimus in epistulis Ignatii. Cum scilicet Troade audivisset „ecclesiam (suam) antiochenam in Syria pacem obtinuisse“ (Philad. 10, 1), admonuit et Philadelphios (l. c.) et Smyrnaeos (11, 2) et ipsum eorum episcopum Polycarpum (7, 2), ut concilio coacto eligerent aliquem, qui ceu „divinus cursor“ (Polyc. 7, 2) congratularetur Antiochenis atque „cum illis simul congregatis simul gauderet et glorificaret nomen (Christi)“ (Philad. 10, 1), eodem modo ac „et quaedam proximae ecclesiae miserunt episcopos, aliae presbyteros et diaconos“ (l. c. 10, 2). — Quam longe Ignatius absit ab agnoscenda ulla auctoritate communitatis, legenti patet et inter omnes constat. — **12** De genuinitate epist. pastoralium Pauli cf. praeter libros *Introductionis* in N. T. *F. Prat,* La théologie de S. Paul II⁷ (1923) 544 sqq. — **13** Non contendimus manus impositione hoc loco solam iurisdictionem conferri; quin etiam ordinis potestatem hoc ritu transferri omnino probatur. Textus vide not. 7. — **14** *A. Michiels* s. v. „Évêques“ in Dict. apolog. de la foi catholique I (Paris 1911) 1758. — **15** Non constat diaconos, qui in inscriptionibus inde a saeculo III

ante Christum nominantur, gessisse munus sacrum; e contra omnino admittendum videtur eos fuisse ministros iu convivio eorum, qui erant membra alicuius collegii sacri. Inscriptiones et papyros huc spectantes collegit *Lietzmann** in Zeitschr. für wissensch. Theol. LV (1913) 106 sq. — **16** De ministro (chazzan) synagogae cf. *I. Felten,* Neutestamentl. Zeitgesch. I (1910) 362 sq.; *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes II[4] 515; *J. Juster**, Les juifs dans l'empire Romain I (1914) 454.

CAPUT III.

DE ECCLESIA, QUALIS FUERIT TEMPORE POSTAPOSTOLICO.

427. De ratione huius capitis. — Duplici iam testimonio, directo nimirum Iesu Christi et indirecto discipulorum ac comitum Christi, constat Christum coetum aliquem visibilem asseclarum suorum instituisse, scilicet Ecclesiam suam, atque hanc suam Ecclesiam regendam commisisse apostolis sub primate Petro, i. e. eidem dedisse organisationem hierarchicam; apostolos vero, hanc voluntatem Christi exsecutos, non solum ut praecones evangelii religionem christianam propagasse, sed fideles, quos ad Christum converterant, vere rexisse, vel immediate, in quantum videlicet supremam gubernationem sibi reservarent, vel mediate, in quantum vi potestatis suae hierarchicae et apostolicae singulis coetibus (ecclesiis) localibus praeficerent presbyteros — episcopos, qui proinde et ipsi gauderent auctoritate hierarchica.

Quibus probatis certum quidem est Ecclesiam Christi esse divinam eiusque auctoritatem vere hierarchicam, ea nempe forma, ut ex voluntate diserta Christi hierarchia sit bipartita, quae dein gradus quosdam inferiores, puta presbyteros vel diaconos, sibi asciscat; plura vero alia manent solvenda ulteriore quadam inquisitione. Et primo quidem *quaeritur,* quinam et quales fuerint *apostolorum successores* in regenda Ecclesia, videlicet ad quosnam eorum auctoritas transierit et imprimis quonam ambitu: nam impossibile est totam rationem apostolatus competere etiam eorum successoribus. Etenim aliquae saltem potestates et qualitates sunt apostolis propriae plane ut talibus, e. g. vocatio personalis et directa a parte Christi, ut constituant fundamenta Ecclesiae Christi (Apoc. 21, 14), iurisdictio (extensive) universalis, charisma infallibilitatis singulis apostolis datum — numquid hae quoque ad eorum successores translatae sunt vi huius successionis?

Maioris etiam ponderis est inquisitio de *successoribus Petri* principis apostolorum. In qua non adeo insistendum est in facto primatus perpetui et continuati eruendo, quam in eiusdem forma qua historice apparet. Quinam sunt successores Petri in pri-

matu? Quonam signo ut tales cognosci poterunt? Nam si verum sit Ignatii Martyris effatum: „Ubi Iesus Christus, ibi catholica Ecclesia" (ad Smyr. 8, 3; *K* 21), verum sit oportet: Ubi Petrus, ibi Ecclesia. Illa enimvero est Christi Ecclesia, quae fundata est super Petrum, quem ipse Christus posuit ut petram superaedificandae Ecclesiae.

Et haec quidem de organisatione Ecclesiae universalis. Quaerimus dein ulterius, quaenam fuerit forma *ecclesiarum particularium*. A quibusnam et quanam auctoritate regebantur? Inter munera localia eadem sane occurrunt nomina ac tempore apostolico: episcopi — presbyteri — diaconi: numquid designant eadem quoque munera? numquid ista munera in fontibus istius aetatis clare circumscribuntur?

Cum hisce iam quaestionibus solvendis sponte etiam alia solvitur, videlicet, quaenam fuerit differentia inter organisationem ecclesiasticam tempore apostolico et postapostolico. Videbimus eam ad quasdam mutationes externas restringi. Mortuis nimirum apostolis simul exstinctae erant facultates istae extraordinariae, quibus e. g. Paulus omnes a se fundatas ecclesias ipse dirigebat. Iamque exsurgit ea rerum condicio, quae deinceps in Ecclesia stabilis manebit. Hunc autem praecipue ob finem, ut nimirum ante oculos ponatur organisationis ecclesiasticae forma duratura, inquisitionem placuit extendere ad tempus postapostolicum.

428. De tempore postapostolico. — Tempus postapostolicum vi vocis non habet nisi terminum a quo; terminus ad quem poni nequit neque universalis neque omnino fixus. Aliis enim temporibus cum alii apostoli mortui sint, ex quibus Ioannes obiit versus annum demum 100, aliis in Ecclesiae partibus aliae fuerunt condiciones. Certe autem circa medium saeculum II, elapsis duabus fere generationibus inde a morte ultimi apostoli, tempus istud postapostolicum absolutum esse iure admittitur, atque decenniis praecedentibus — ab anno 70 (100) usque ad annum 150 — organisationis formam clare apparere.

Licet hoc tempus apostolico in multis aequiparari non possit, summo tamen studio quod exploretur dignum est, quoniam ex periodis subsequentibus nulla invenietur, quae tanti momenti sit ad Ecclesiae organisationem cognoscendam. Adhuc enim fervebat spiritus Christi eiusque apostolorum. Discipuli vero apostolorum, Ignatius Antiochenus, Polycarpus Smyrnaeus, omnesque „presbyteri", quos ut testes traditionis et veritatis adhibent Papias (apud *Eus.*, Hist. eccl. 3, 39, 3 sqq.) et alii, summa gaudebant auctoritate. Ex altera autem parte imminebant pericula quaedam maiora: *errores* doctrinales,

relaxatio quaedam morum et refrigeratio fervoris primigenii, *persecutiones* et tribulationes omnis generis. Non quidem haec fuerunt omni ex parte nova et inaudita; nam ante Ioannem evangelistam, qui maxime in evangelio et in prima epistula errores impugnat, iam Paulus reiecerat falsas doctrinas, imprimis species quasdam gnoseos (cf. 1 Cor. 8, 1; Col. 2, 8; 1 Tim. 6, 20 et alia). Eiusdem porro epistulae (e. g. prior ad Corinthios) clare manifestant neque primos christianos omnes exuto vetere homine „Christum induisse" (Gal. 3, 27. Rom. 13, 14; cf. Col. 3, 10; Eph. 4, 24). Attamen post mortem apostolorum utrumque periculum auctum esse nemo miratur, qui perpendit ex altera parte crescente numero christianorum naturali quadam necessitate intepescere fervorem, ex altera vero parte iam non praesto esse auctoritatem incomparabilem apostolorum. Quo factum est, ut fragilitas humana irrepens in ipsas Ecclesiae saepes non solum in vitae rationem influxerit, sed etiam sua sensa substituerit doctrinae Christi verae, evacuando crucem Christi (1 Cor. 1, 17), fugiendo eius stultitiam (1, 18) et scandalum (1, 23; cf. Gal. 5, 11), statuendo falsam „gnosim" mentis christianae a Christo illuminatae. In periculo efferendo huius erroris vel potius systematis errorum non facile quis modum excedet; inter haereses, quae decursu saeculorum in religionem christianam irruerunt, principaliorem locum sane obtinet.

429. Antidotum tot malorum aliud esse non potuit nisi *unitas* quam artissima omnium membrorum Ecclesiae, in doctrina nimirum et institutione apostolica. Hinc factum est, ut isto tempore postapostolico fixus sit maximam partem *canon librorum sacrorum* N^i T^i, quibus ut documentis aetatis apostolicae, scriptis sub motione Spiritus Sancti et ab ipso Deo, doctrina Christi inviolata contineretur; ut porro principia *traditionis* et *successionis* apostolicae pro regula verae fidei inconcussa haberentur; ut denique *unitas* et *consensus* totius Ecclesiae, omnium videlicet ecclesiarum, i. e. earum episcoporum, tamquam criterium irrefragabile veritatis consideraretur. Ecclesia (universaliter) una atque origine sua apostolica — in hac veluti tessera saeculo II cognoscebatur Ecclesia Christi eiusque doctrina. Utrumque requiritur vinculum: et alterum quidem, universalis nimirum unitatis, quod uniat (loco) omnes fideles omnesque ecclesias inter se et in unum coetum universalem; alterum vero, apostolicitatis, quod uniat (tempore) hunc coetum fidelium cum Ecclesia primitiva et aetate apostolica. Unitas illa universalis constat ex coniunctione cum ecclesia romana, ad quam „propter potentiorem principalitatem necesse

est omnem convenire ecclesiam" ut ait Irenaeus (Adv. haer. 3, 3, 2; *K* 125); origo autem apostolica et singularum ecclesiarum et totius Ecclesiae clare apparet ex successione episcoporum; „qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos" (l. c. 3, 3, 1; *K* 124).

Ex quibus verbis iam patet hanc unitatem atque consensum istum universalem non fuisse dumtaxat doctrinalem, sed respicere ipsam indolem Ecclesiae *socialem* ut talem, siquidem episcopi sunt rectores singularum ecclesiarum. Atque ipsa ecclesia romana, centrum huius unitatis universalis, intellegitur episcopus huius ecclesiae particularis, qui simul ut successor Petri primatum gerit totius Ecclesiae. Organisatio igitur quam intime cohaeret cum doctrinae et traditionis christianae veritate adeo usque, ut, quo validiores evaserint erroris impetus, eo efficacius huius se unionis organisatae vis manifestaverit suumque vigorem exercuerit. In qua manifestatione certe progressus quidam agnosci potest; omnia enim organa, quae vere talia sunt, agendo perficiuntur. Itaque etiam organa et munera Ecclesiae a Christo data decursu temporum modum suum agendi atque suos nervos viresque clarius manifestabunt.

430. Minoris, quod ad nostram inquisitionem attinet, momenti sunt *persecutiones* violentae Ecclesiae illatae non iam a solis Iudaeis sed etiam ab ethnicis. Ita iam „boni apostoli" Petrus et Paulus (1 Clem. 5; *K* 10; cf. 1 Petri 2, 12; 3, 14 sqq.; 2 Tim. 1, 15 sqq.; 3, 10 sqq.) persecutioni neronianae succubuerunt; ita martyres Christi numerantur sub Domitiano (cf. Apoc. 2, 12 sqq.); ita egregii martyres saeculi secundi: Ignatius Antiochenus (circa annum 110), Semson episcopus arbelensis (123), Polycarpus episcopus smyrnaeus (155 vel 156), Iustinus philosophus (Romae anno circiter 165), martyres lugdunenses (177/78) et scilitani (180; cf. *K* 71 sqq.); eodem fere tempore Romae Apollonius sanguine suo fidem Christi consecravit. Quibus unio et organisatio Ecclesiae praesidium quidem et libertatem afferre non potuit, attamen animum auxit eo quod sciverunt se esse „corpus de conscientia religionis et disciplinae divinitate et spei foedere", ut ait Tertullianus (Apol. 39, 1; ed. *Oehler* I 254). Atque idem auctor dilectionem describit, quo inter se christiani prosequuntur, „ut pro alterutro mori sint parati" (39, 9; l. c. 260). Multo magis igitur et libentius stipem congregant, „si qui in metallis, et si qui in insulis (exsules), vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt" (39, 8; l. c. 260). Itaque caritas mitigat martyrum tormenta; simul autem conatur

nubes illas accusationum et calumniarum, quae contra christianos proferebantur, dissipare atque qui et quales sint christiani ethnicis ostendere. Inde ortae sunt quae vocantur apologiae. Sed de his iam in sectione sequenti agendum est, cum nimirum fontes huius capitis recenseamus.

431. De fontibus temporis postapostolici. — Fontes, e quibus organisationem ecclesiasticam tempore postapostolico noscimus, non sunt multi; nam maior pars auctorum etiam christianorum silet fere de Ecclesiae constitutione[1]. Classis ordine prima horum fontium constituitur iis libris, qui organisationem istam vel ordinem internum Ecclesiae tractanda sibi proposuerunt, ut e. g. *Didache* (cf. supra n. 389); plurima autem scripta eiusdem vel similis generis — ut *Didascalia, Constitutiones apostolicae,* quae omnes fere ab apostolis scripta esse volunt (apocrypha), ex nostra inquisitione excluduntur, donec de eorum origine et tempore originis certius constet. Ex ceteris libris apocryphis N^i T^i, sive sunt evangelia sive acta sive epistulae, vix quidquam novi de forma organisationis discimus; iuvat tamen eorum testimonium accurate perstringere.

Aliud sane dicendum est de iis auctoribus, qui, cum sint vel apostolorum discipuli vel ex parte saltem iisdem aequales, appellari solent *„patres apostolici“:* Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Polycarpus Smyrnaeus; quos esse testes in ista re eximios iam supra (n. 423) monuimus. Alia vero documenta, quae in editionibus simul cum modo dictis scriptoribus exhiberi solent, epistulae videlicet quae dicuntur Barnabae et ad Diognetum, nil ad illustrandam quaestionem nostram contribuunt; secunda vero Clementis quae vocatur, quae videtur esse homilia orta Corinthi circa medium saeculum II, loquitur obiter de presbyteris ecclesiae.

Apologiae deinde, quibus et *Kerygma Petri* (apud Clementem Alex., Strom. 1, 29; 6, 5; 6; 15)[2] et epistula *ad Diognetum* accensendae sunt, — Quadrati scilicet, Aristidis, Iustini, Tatiani, Athenagorae, Theophili, Minucii Felicis —, ut efficaciter religionem christianam defenderent, alia quaedam explicare debuerunt ac ipsius Ecclesiae organisationem. *Tertullianus* tamen, qui (inde ab anno fere 197) non solum apologetam sed etiam defensorem polemicum egit doctrinae Ecclesiae contra errores et haereses. plura eaque clarissima habet de Ecclesiae organisatione. Qua talis inseritur numero eorum, qui tramitem secuti Ignatii aliorumque „presbyterorum“ pro viribus propugnarunt veritatem et integritatem evangelii, contra gnosticos imprimis, marcionitas, mon-

tanistas. Plurima quidem pro dolor interierunt opera, quorum vel inscriptiones vel etiam fragmenta conscripsit *Eusebius* Caesareensis in Historia ecclesiastica. Ita novimus *Papiam* episcopum hierapolitanum, qui vixit primis decenniis saeculi II (Hist. eccl. 3, 36, 2 sqq.; 3, 39), *Dionysium* episcopum Corinthiorum, qui scripsit circa 170 (l. c. 4, 23), *Hegesippum,* qui anno circiter 160 a patria sua (palaestinensi?) Romam pergens plurimas ecclesias earumque episcopos vidit atque 20 fere annis post sua „memorabilia" scripsit (l. c. 2, 23, 3; 4, 21). Quibus accedunt testes et testimonia ex tempore *montanismi* (l. c. 5, 14 sqq.), ut Claudius Apollinarius, episcopus hierapolitanus (l. c. 4, 27; 5, 16, 1), ex controversia de tempore *celebrandi paschatis* (l. c. 5, 23 sqq.), ut Polycrates, episcopus ephesinus (l. c. 5, 24, 1 sqq.); imprimis autem memoratu dignus est *Irenaeus,* quem laudant non solum Eusebius (5, 5, 8 etc.), sed ipsa eius opera, quae ad nos usque pervenerunt, scilicet opus eius principale, „Adversus haereses", scriptum inter annos 180 et 195, et opusculum quoddam anno 1904 denuo inventum: „Demonstratio apostolicae praedicationis". Ortus in Asia proconsulari, ubi Polycarpum viderat, sicut scripsit in epistula ad Florinum (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 20, 5 sq.; *K* 96), presbyter (l. c. 5, 4, 2; *K* 65) ac dein post mortem Pothini martyris (circa 177/78; l. c. 5, 5, 8) episcopus lugdunensis et metropolita fere ecclesiae gallicae (l. c. 5, 23, 3), vir ecclesiasticus apprime eruditus tum in fide orthodoxa tum in variis errorum formis, tempore Eleutheri, anno circiter 177, ecclesiam Romanam visitaverat atque postmodum commercium epistulare fovit non solum cum Blasto et Florino presbytero romano (l. c. 5, 20; cf. 5, 15), sed etiam cum eiusdem ecclesiae episcopo Victore (l. c. 5, 23, 3; 5, 24, 11 sqq.; *K* 97 sqq.); certe testis optimus non tantummodo Ecclesiae fere universalis sui temporis, sed simul, per Polycarpum videlicet et traditionem asianam, doctrinae et temporis apostolorum.

Et hi sunt fontes quidem principales; accersemus alias quoque hinc inde sparsas notitias, quae inveniuntur vel in epitaphio Abercii scripto sub finem saeculi II (*K* 155) vel in fontibus syriacis, ut in chronica quae vocatur Arbelae[3], vel in aliis aliorum auctorum operibus. In quaestione autem de primatu Romani Pontificis scriptores etiam temporis posterioris usque ad annum circiter 250 interrogabuntur, quo nimirum clarius huius institutionis veritas et exercitium eluceat. Sed de hisce fontibus plura in ipsis assertionibus dicemus.

Sicut in capite praecedenti, ita etiam in hoc duae principales quaestiones nobis solvendae sunt: de forma scilicet organisationis Ecclesiae universalis et ecclesiarum particularium. Sequimur

autem eum ordinem, ut prius quae spectant ad ecclesias particulares absolvamus et dein transeamus ad describendum primatum tamquam formam supremam constitutionis Ecclesiae universalis.

432. NOTAE. — **1** Optime de his fontibus agit recipiens etiam magna ex parte quaestiones quae nos movent *O. Bardenhewer,* Gesch. der altkirchl. Literatur. Tomus I (2. ed. (1913) agit de scriptoribus primi et secundi saeculi, tomus II (2. ed. 1914) de tertio saeculo. — Manualia sunt plura, e. g. *Manucci,* Istituzione di Patrologia (1914); *Tixeront,* Précis de Patrologie ([3]1919); *Marx,* Abriß der Patrologie ([2]1919); *Rauschen-Wittig,* Grundriß der Patrol. ([6/7]1921). — **2** De hoc opusculo egit *E. v. Dobschütz*,* Das Kerygma Petri kritisch untersucht (Texte u. Unters. XI, 1. Heft [1893]; fragmenta composuit *E. Klostermann*,* Apocrypha I (Kleine Texte, herausgeg. von *H. Lietzmann*,* 3. Heft, Bonn [2]1908). *H. I. Cladder* totum opusculum substantialiter integrum servatum esse censet; ordinem autem textuum exhibet sequentem: Strom. 1, 29, 182 (cf. 2, 15, 68); 6, 6, 48; 6, 5, 43; 6, 5, 39; 6, 6, 48; 6, 5, 41; 6, 15, 128; 6, 5, 42 (deest apud Klostermann); 6, 5, 41. — **3** Chronicam istam servatam in codice syriace scripto invenit *A. Mingana* O. Pr. atque in lucem edidit simul cum versione gallica anno 1907; anno dein 1915 *Ed. Sachau** versionem germanicam cum commentario historico divulgavit: Die Chronik von Arbela. Ein Beitrag zur Kenntnis des ältesten Christentums im Orient (aus den Abhandl. der kgl. preuß. Akademie der Wissensch. 1915, n. 6). – Arbela oppidum principale regionis Adiabene (olim Assyriae) trans Tigrim, inde ab anno fere 100 habuit coetum christianum. De huius ecclesiae localis episcopis et martyribus agit chronica ista usque ad annum circiter 550.

Quaestio 1. De organisatione ecclesiarum particularium seu de episcopatu.

433. Propter eminentem auctoritatem apostolorum, qui gubernationem supremam ecclesiarum quas condiderunt sibi reservasse videntur, eorum tempore praepositi locales singularum ecclesiarum non erant tanti momenti quanti aetate subsequente, postapostolica scilicet. Hinc est quod fontes sacri, ut vidimus, initio saltem rarius eos commemorant, et quod ne ex epistulis quidem pastoralibus Pauli tota ratio muneris localis clare apparet; disputant etenim et de auctoritate episcoporum — presbyterorum et de indole eorum monarchica. Tempore vero postapostolico forma organisationis localis iam clarius sese manifestat. Invenimus enim episcopos ut plurimum monarchicos, qui praesunt singulis ecclesiis localibus ea condicione, ut munere in iisdem fungantur et regendi et docendi et sanctificandi, i. e. eis fere muneribus, quae apostolis erant ordinaria et propria; suntne forte eorum successores?

Cui quaestioni ut respondeamus, duplici quasi gradu procedimus, ita nimirum ut (1) indagemus in organisationem, quae de

facto exsistebat circa medium saeculum II seu circa finem aetatis postapostolicae. Haec autem erat episcopalis monarchica. Dein (2) eruemus ex iisdem fontibus, qui episcopos exhibent, indolem eorum iuridicam: episcopi erant secundum consensum christianum istius temporis successores apostolorum in eorum munere (ordinario) sanctificandi, docendi, regendi (ecclesias locales).

A. De facto organisationis episcopalis monarchicae.

Quoniam uterque gradus argumenti sat multa habet quae ex fontibus afferri et explicari debeant, assertionibus totidem quaestionem absolvamus.

ASSERTIO 18. Tempore postapostolico singulis ecclesiis praeerant episcopi, ita quidem, ut circa medium saeculum secundum episcopatus in omnibus ecclesiis plene constitutis fuerit monarchicus.

434. *Episcopos* intellegimus hac in assertione, cum interim de sola quaestione facti agamus, praepositos locales ecclesiae alicuius particularis, a quibus *presbyteri* distinguuntur tamquam adiutores episcopi iique subordinati. Tempore enim postapostolico nomina diversa diversa iam munera designant. Et presbyteri quidem de se *plures* sunt vel esse possunt in singulis ecclesiis; episcopi autem erant *monarchici,* i. e. singuli praeerant singulis fidelium coetibus. Etsi non negemus aliquos auctores, imprimis Clementem Romanum et Polycarpum Smyrnaeum in suis epistulis ad Corinthios resp. Philippenses, ita posse intellegi, ut in hisce ecclesiis (paulinis) etiam tunc temporis, sicut probabiliter sub ipso Paulo, fuerint episcopi—presbyteri qui collegialiter ecclesiam gubernarint, — licet haec interpretatio non sit unica nec necessaria —, asserimus tamen episcopatum monarchicum non solum exstitisse in Ecclesia inde a tempore apostolico, sed etiam ita praevaluisse, ut circa medium saeculum II omnes ecclesiae particulares monarchice fuerint institutae. Loquimur autem de iis solis ecclesiis, quae *plene* fuerint *constitutae*, i. e. non de initiis quibusdam, quae organisationem evolutam nondum habebant, sed eo fere sensu, quo Ignatius Antiochenus Trallianis (3, 1) scribit: „Absque his (episcopo, presbyteris, diaconis) nullus coetus christianus nomen ecclesiae meretur (χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται)."

Haec iam assertio e fontibus probanda est. Qua in probatione sequimur prius ordinem chronologicum, redeuntes videlicet a fine saeculi II usque ad tempora apostolica; dein complectemur conspectu geographico ecclesias monarchice institutas nobis ex fontibus notas.

I. Conspectus chronologicus.

435. Initium sumamus ab enumerandis episcopis, quos *controversia de celebrando paschate* in synodos coegit. Exstabat nimirum dissensus quidam non solum de die, qua resurrectio Domini celebranda esset, sed etiam de forma ieiunii quod hanc diem praecedebat. Longe quidem maior pars ecclesiarum censuit solvendum esse ieiunium et paschale mysterium agendum esse die dominica quae sequitur diem 14 mensis Nisan; ecclesiae autem Asiae proconsularis celebrabant mortem Christi ipso die 14 Nisan atque duobus diebus post eiusdem resurrectionem quocumque hebdomadae die. Quae diversitas, licet nullatenus fuerit doctrinalis, procreavit tamen controversias quasdam, initio quidem „modicas" et „pacificas", qualis, ut scribit Irenaeus Victori episcopo romano (apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 12 sqq. *K* 98 sqq.), habita est inter Polycarpum et Anicetum episcopum romanum versus annum 150; postea vero, sub finem saeculi II, rebus nonnihil mutatis, auctore Victore episcopo romano in universa Ecclesia conventus episcoporum convocati sunt, qui istam quaestionem deciderent atque sententias suas Romam deferrent. Eusebius affirmat (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 23, 3) suo tempore adhuc exstitisse decreta synodorum sequentium: palaestinensis, cui praeerant Theophilus episcopus caesareensis et Narcissus episcopus hierosolymitanus; romanae sub Victore; ponticae sub Palma episcopo amastrensi; gallicae sub Irenaeo episcopo lugdunensi; regionis Osroene (edessenae, inter Euphratem et Tigrim) et eius episcoporum, quibus accesserunt Bacchyllus episcopus Corinthiorum et alii plurimi episcopi. Qui omnes unanimiter voluerunt pascha celebrari die dominica. Soli episcopi asiani dissentientes „diem paschae quarta decima luna iuxta evangelium observarunt", ut scribit Polycrates episcopus ephesinus et praesul synodi asianae (ibid. 5, 24, 6. *K* 93).

436. Sub finem igitur saeculi II Ecclesia una et universalis plurimis constabat ecclesiis particularibus, quibus omnibus et singulis praeerant episcopi monarchici; hi autem secundum regiones et provincias coniuncti erant atque constituerunt quasdam unitates ordinis altioris ad instar organisationis metropolitanae [1], quae hodieque in Ecclesia viget, quae vicissim certo quodam modo — de quo infra — subiectae erant episcopo romano. Et *unitas* quidem *universalis* Ecclesiae elucet ex convocatione, qua episcopus romanus singularum „provinciarum ecclesiasticarum" episcopos ad synodos habendas adhortatur, atque ex modo quo convocati et congregati sententias suas episcopo romano transmittunt, ut inde aliis quoque ecclesiis communicentur. „Epistulae nostrae exem-

plaria per omnes ecclesias transmittantur, uti ne rei efficiamur animarum quae diversis erroribus immerguntur" (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 25; sec. versionem *Rufini; CB* Eusebius II, 1, ed. *Schwartz-Mommsen*), scribunt episcopi synodi palaestinensis, inter cuius membra praeter Theophilum et Narcissum ab Eusebio enumerantur Cassius episcopus tyrius et Clarus episcopus Ptolemaidis.

Nec minus clare describitur *organisatio metropolitana,* qua certae sedes episcopales maiore gaudent auctoritate et iurisdictionis specie quadam super ceteros eiusdem regionis episcopos. Numerum autem horum episcoporum unius eiusdemque provinciae fuisse sat magnum discimus ex epistula Polycratis, qui affirmat plurimos (πολλὰ πλήθη) episcopos secum in conventu hac de quaestione deliberasse (ibid. 5, 24, 8. *K* 95). Quos omnes fuisse *monarchicos* ex modo loquendi et rerum natura apparet. Iamvero si versus finem saeculi II non solum ubique singulis ecclesiis praeerant singuli episcopi, sed etiam initia saltem organisationis metropolitanae aderant, certe episcopatus monarchicus nequibat esse institutionis novae, sed per aliquot iam decennia exstitisset oportebat. Id quod confirmatur ex testimonio diserto tum auctorum quos adhibuimus tum aliorum, aetatis videlicet prioris.

437. Et *Polycrates* quidem, episcopus ephesinus, vir „quinque et sexaginta annos natus in Domino" quando epistulam suam Victori scripsit (circa annum 190), modum loquendi tenet talem, ut necesse sit inferre eum non novisse nisi ecclesias monarchice institutas. Asserit porro se in dignitate episcopatus secutum esse plures ex suis cognatis, inter quos omnino septem fuerint episcopi (Hist. eccl. 5, 24, 6; *K* 93). Adducit denique in testimonium suae sententiae aliquos Asiae episcopos ob martyrium quod subierant maioris famae, ut Polycarpum episcopum smyrnaeum, Thraseam episcopum Eumeniae, Sagarim episcopum Laodiceae, Melitonem episcopum sardensem. Iamvero isti viri florebant ex parte saltem *ante saeculum medium secundum,* ita ut iam ex hoc solo testimonio certum sit in Asia inde ab initiis saeculi II viguisse episcopatum monarchicum.

Irenaeus vero testimonium perhibet etiam amplius. In epistula enim, qua Victorem episcopum romanum adhortatur, ne severius agat cum Polycrate aliisque episcopis Asiae quartodecimanis, enumerat „presbyteros" romanae ecclesiae inde a Xysto (circiter 115—125), Telesphorum scilicet, Hyginum, Pium, Anicetum, usque ad Soterem (circa 166—175), qui omnes „presbyteris" modum asianum observantibus eucharistiam (in signum unionis) transmittebant. Aniceti deinde controversiam cum Polycarpo, qui inter

annum 150 et 160 Romam venerat, enucleatius describit (Hist. eccl. 5, 24, 14. *K* 99 sq.). Similes autem ac in ecclesia romana in omnibus ecclesiis successiones exstare Irenaeus diserte affirmat in opere suo principali „Adversus haereses". Ab apostolis, ita Irenaeus (3, 3, 1. *K* 124), institutos esse episcopos, „quos et successores relinquebant", in singulis ecclesiis, ex quorum successione traditio apostolica certo constet. „Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones", exhibebit unius dumtaxat ecclesiae seriem episcoporum, romanae scilicet, „maximae et antiquissimae (3, 3, 2. *K* 125). Antea iam (1, 10, 2. *K* 105 sq.) plurimas ecclesias monarchice constitutas esse in tota Ecclesia asseruerat, in Germania, in Iberia (Hispania), in Gallia, in Oriente, in Aegypto, in Libya, in partibus mundi mediis constitutae (ἱδρυμέναι); omnes eandem profiteri fidem, eandem tenere traditionem, apostolicam nimirum. De ecclesiis quidem Syriae, Asiae atque de romana hoc in contextu non loquitur, cum in animo sit extremas fere regiones imperii romani perstringere; argumentum igitur e silentio inde deduci minime potest. Quod idem clarissime patet tum ex catalogo episcoporum romanorum, tum ex iis quae narrat de Polycarpo, qui „ab apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis ecclesia, constitutus est episcopus"; hinc testis traditionis est eximius sicut „quae sunt in Asia ecclesiae omnes et qui usque adhuc successerunt Polycarpo" (3, 3, 4). Irenaeus igitur testatur non solum factum, suo scilicet tempore (inter annos circiter 160 ad 200) ecclesias universas fuisse monarchice institutas, sed etiam persuasionem et traditionem christianam, hanc esse formam organisationis legitimam quia apostolicam.

Uterque autem testis, et Irenaeus et Polycrates, bene noverunt Ecclesiam sui temporis; et prior quidem per itinera sua suscepta et commercium epistulare habitum cum pluribus aliis episcopis (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 18); Polycrates vero testatur se cum fratribus ex toto mundo venientibus sermones contulisse (5, 24, 7. *K* 94), id quod inspecta portus Ephesi condicione atque itinerum frequentia in dubium vocari nequit.

438. In refutatione porro *montanismi* (de quo cf. n. 379), inde ab anno fere 160, episcopi imprimis defendunt fidei integritatem atque Ecclesiae unitatem, tum singuli tum in synodis congregati tum etiam epistulis circularibus. Eminet inter impugnatores huius haeresis Claudius Apollinarius episcopus hierapolitanus (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 16, 1; cf. 4, 27), qui scripsit circa annum 170. Alius quidam, cuius nomen Eusebius non refert, presbyter vel episcopus

(5, 16, 5), dedicavit librum suum antimontanisticum (circa 192/3) Avircio Marcello (5, 16, 3), quem volunt esse eundem ac Abercium istum, cuius epitaphium ex parte saltem servatum est (*K* 155), episcopo hieropolitano. Ipse autem auctor anonymus, praesente Zotico „conpresbytero" (episcopo) ortreno, per complures dies in ecclesia ancyrana, Galatiae, contra Montani errores locutus est (5, 16, 4). Alios „sacros episcopos", ex quibus nominantur Zoticus episcopus Comanae et Iulianus episcopus Apameae Phrygiae, conatos esse confundere pseudoprophetissam Maximillam (5, 16, 16). Plurimis dein locis coactos esse conventus fidelium (episcoporum), qui Montani doctrinam damnarunt eiusque asseclas ex communione Ecclesiae eiecerunt (5, 16, 10). Eodem fere tempore Serapion, episcopus Antiochiae Syriae (190—211), Pontio et Carico, „viris ecclesiasticis" (6, 12, 1), litteras antimontanisticas dedit, quibus adiecit opus Claudii Apollinarii cum subscriptionibus plurium aliorum episcoporum Apollinario consentientium, inter quos fuit Aelius Publius Iulius, episcopus Debelti (seu Deulti) Thraciae; hic nomini suo haec adiungit verba: „Vivit Deus in caelis, quia beatus Sotas, qui est in Anchialo (prope Debeltum), voluit daemonem Priscillae eicere, sed adulatores eius non permiserunt" (5, 19).

Documenta igitur ex tempore montanismi ostendunt rectores ecclesiarum fuisse episcopos monarchicos ac doctrinam veram defendisse et in Galatia et in Phrygia et in regionibus adiacentibus usque ad Syriam et Thraciam. Compleamus iam eorum testimonium iis quae Dionysius Corinthius et Hegesippus Palaestinensis de ecclesiarum forma referunt.

439. *Dionysius* episcopus Corinthiorum, aequalis Soteri romano, floruit circa annum 170, itaque testis est nobis pro tempore etiam praecedente inde a medio saeculo II. Vir zeli ardentis, fidei sincerae atque magnae auctoritatis (*Eus.,* Hist. eccl. 4, 23, 1) scripsit epistulas, quas Eusebius vocat catholicas, quoniam ad alias ecclesias etiam dissitas missae sunt. Et duas quidem scripsit ecclesiis Achaiae, Lacedaemonis scilicet et Athenarum; Atheniensium primum episcopum fuisse Dionysium Areopagitam, cuius meminit Lucas (Act. 17, 34); tunc vero temporis, post martyrium Publii „praepositi (προεστώς)", episcopum Quadratum praefuisse eorum ecclesiae. Alias epistulas misit ecclesiis pluribus insulae Cretae, ex quibus Eusebius effert ecclesiam Gortynae sub Philippo et Cnossi sub Pinyto. Alias porro duas epistulas scripsit ad ecclesiam Nicomediae (Bithyniae) et ad Palmam episcopum Amastris (Ponti), septimam demum ad Soterem episcopum romanum, in qua testatur et commorationem Petri et Pauli romanam (2, 25, 8. *K* 60) et

caritatem ecclesiae romanae universalem, quae scilicet „ecclesiis quam plurimis, quae in singulis urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia“ transmittit (4, 23, 10. *K* 61). — Secundum Dionysium igitur episcopatus monarchicus vigebat in ecclesiis Achaiae, Cretae, Asiae, in ecclesia romana.

Simul cum Dionysio *Hegesippus* quidam ab Eusebio (4, 21) commemoratur, qui eodem fere tempore vixerit et scripserit. Cuius testimonium, licet breve, tamen est praeclarum, absolvens videlicet et perficiens quodammodo verba Dionysii. Nam non solum exhibet successionem episcopalem ecclesiae hierosolymitanae inde a tempore apostolorum (4, 22, 4), sed etiam in itinere suo, quod susceperat, ut cognosceret ex successione et consensu ecclesiarum atque imprimis romanae doctrinam apostolorum et Christi, plurimas ecclesias peragravit, inde a partibus orientalibus ad Romam usque, plurimosque episcopos adiit; nominatim autem — haec Eusebius ex „Memorabilibus“ Hegesippi excerpsit — collocutus est cum Primo, episcopo Corinthiorum; episcopos autem romanos enumeravit Anicetum, quem ipse Romae invisit, Soterem, Eleutherum (4, 22, 1 sqq.; *K* 69).

Cuius testimonium si componatur cum iis quae exstant ex causa montanismi et in epistulis Dionysii, certe dicendum est comprehendere totam Ecclesiam, ita ut vi horum testium necesse sit admittere circa annum 160 et antea episcopatum monarchicum non solum valuisse in universa Ecclesia, sed etiam consideratum esse tamquam formam organisationis ecclesiasticae legitimam atque adeo unicam. Hisce igitur testibus assertio nostra plene probatur, scilicet de facto circa medium saeculum II ecclesias particulares ubique monarchice fuisse institutas. Exstant autem testimonia alia priora, non minus ut videtur universalia, ex primis scilicet decenniis saeculi II, ad quae exponenda iam accedamus.

440. Ex epistulis, quas *Ignatius* Romam proficiscens scripsit, partim Smyrnae —, ad Ephesios nimirum, ad Magnesios, ad Trallianos, ad Romanos —, partim Troade — ad Philadelphios, ad Smyrnaeos, ad eorum episcopum Polycarpum —, quod ad extensionem episcopatus monarchici attinet haec fere discimus: (1) In genere loquendo nullam esse veri nominis ecclesiam asserit, quae non habeat episcopum (ad Trall. 3, 1; cf. supra), ita ut verum sit: „Ubi comparuerit episcopus, ibi sit multitudo (fidelium, ecclesia), quemadmodum, ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia“ (ad Smyrn. 8, 3. *K* 21). Hunc episcopum esse monarchicum indicat non solo modo loquendi sed etiam diserta assertione: „... una enim est caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix ...

sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis ...“ (ad Philad. 4. *K* 19). Tales porro episcopos constitutos esse usque ad terminos terrae (οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες; ad Eph. 3, 2). Ergo secundum Ignatium episcopatus monarchicus vigebat in tota Ecclesia. — Dein (2) idem enumerat aliquas ecclesias particulares ita constitutas. Ipse quidem apparet fere ut metropolita Syriae (et Ciliciae) eiusque ecclesiarum (ad Rom. 2, 2; 9, 1; ad Philad. 11, 1), ad quas praeter antiochenam, cui Ignatius praeerat, aliae pertinent propinquae (ad Philad. 10, 2). In itinere dein magna ex parte terrestri plurimas vidit ecclesias, quas omnes monarchice institutas fuisse ex eius verbis desumere necesse est. Diserte quidem hoc ipsum testatur de ecclesiis, quibus litteras suas scripsit. Episcopus ephesinus erat Onesimus (ad Eph. 1, 3), magnesius Damas (ad Magn. 2), trallianus Polybius (ad Trall. 1, 1), smyrnaeus Polycarpus (ad Polyc. inscr.); episcopum quidem Philadelphiae non nominat, indicat tamen monarchicam etiam istius ecclesiae constitutionem (ad Philad. inscr.), ex unitate episcopi deducens unitatem eucharistiae (4. *K* 19). De romanae autem ecclesiae episcopo tacet; numquid inspecta Ignatii sententia de episcopatus monarchici institutione universali ex hoc silentio legitime inferri poterit huic ecclesiae episcopum non praefuisse? Ne illud quidem sequitur: Ignatio ignotam fuisse vel organisationem ecclesiae romanae, quippe quae tunc iam temporis erat inter maxime florentes, vel nomen episcopi, qui hanc ecclesiam regebat. Nam ipse Ignatius non solum praedicat ecclesiam romanam, quod praesideat universo caritatis coetui (ad Rom. inscr.) et quod speciales relationes habeat ad apostolos Petrum et Paulum (4, 3. *K* 26), sed etiam diserte dicit ecclesiam Syriae, episcopo (Ignatio) orbato, pro episcopo habere Iesum Christum et „caritatem“ (ἀγάπην i. e. ecclesiam) Romanorum. Quo autem modo Ignatius ecclesiam intellegat ex aliis iam allatis eius verbis patet, organisatam scilicet, cui praeest episcopus monarchicus: episcopus autem romanus curam etiam ecclesiae dissitae antiochenae episcopalem suscipere potest[2].

441. Et haec quidem de ecclesiis, quae erant in imperio romano; quid vero de aliis ecclesiis, illis nimirum, quae erant in *regno Parthorum?* Neque de istis desunt notitiae, licet sparsae. Chronica scilicet Arbelensis capite secundo refert „septem annis postquam Chusrau rex Arsacida (Chosroes 106/7 [108/9] — 130) ab imperatore Traiano (anno 116) devictus est“ (anno igitur 123), ab ethnicis magnatibus et magis necatum esse post multa tormenta Semson, *episcopum Arbelae* secundum, primum autem martyrem

illius regionis Adiabenes. Semson vero duobus annis ante, ut videtur, episcopus consecratus erat impositione manuum episcopi ecclesiae propinquae, *Bêth-Zabdhai,* cui nomen Mâzrâ (anno igitur 121), postquam ecclesia arbelensis per 6 annos (ab anno igitur 115) sine episcopo fuerat, inde etenim a morte Pekidhâ, primi episcopi istius regionis. Pekidhâ autem per 5 iam annos comitatus „apostolum" Addai et ab eodem ordine episcopatus initiatus 10 annos ecclesiam Adiabenes rexit (105—115). Anno igitur circiter 100 Addai semen evangelicum in istis regionibus trans Tigrim sparsit. Et haec quidem Chronica Arbelae. Quae si comparantur cum aliorum fontium priorum, aequalium, subsequentium testimonio, videntur ut fide digna admitti posse et deberi, i. e. versus initium saeculi II ecclesiae Adiabenes, Syriae finitimae, similiter ac ecclesiae Syriae ipsius monarchice institutae erant.

442. Reliquum est ut perscrutemur testimonium aliquod, quod eodem fere tempore scriptum peculiarem aliquam auctoritatem nanciscitur, epistulas nempe, quas a Domino dictatas *Ioannes Apocalypsi* inseruit (Apoc. 1, 4 sqq.). Septem ecclesiis Asiae, Ephesi scilicet, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardium, Philadelphiae, Laodiceae singulae epistulae mittuntur (1, 11), ita quidem ut exhortationes, admonitiones, laudationes, reprehensiones dirigantur immediate septem „angelis" istarum ecclesiarum (1, 20). Quinam sunt hi angeli? Cum nequeant esse neque angeli sensu christiano, spiritus scilicet boni ac Dei nuntii — quisnam scribet litteras angelis? et quis reprehendit iuste angelos? —, neque genii seu personificationes ecclesiarum — Ecclesia enim dirigitur solo Spiritu divino —, neque nuntii vel missi ecclesiarum et apostoli tabellarii — numquid Dominus alloquetur in litteris quas scribit ecclesiis earum nuntios? — nil remanet nisi ut eos agnoscamus tamquam praepositos ecclesiarum, quibus earum cura divinitus commissa sit. Positive idem sequitur ex ipsius Apocalypsis verbis. Septem enim angeli comparantur septem stellis seu luminibus, a quibus septem ecclesiae distinguuntur ut earum candelabra (1, 20); angeli igitur nequeunt identificari cum suis ecclesiis. Septem dein stellae sunt in manu Christi (1, 16; 2, 1; 3, 1), qui suum cuique locum assignat (2, 5), qui eosdem vel laudat vel reprehendit (2, 4; 2, 14 19 sq.) iisque praemia promittit (2, 7 10 26; 3, 5 20 sq.) vel poenas minatur (2, 5; 3, 3), prout munere suo vigilandi (3, 3), custodiendae verae doctrinae (2, 2 14), confirmandi infirmos (3, 2) bene vel male functi fuerint. Omnino igitur hi angeli apparent ut episcopi suarum ecclesiarum, qui a Deo (hierarchice) positi Deo rationem reddere debent, eodem plane modo ac episcopi, quos Ignatius

decennio post singulis ecclesiis praeesse asserit. Nullum candelabrum sine stella, seu nulla ecclesia sine angelo; ita Apocalypsis. Ignatius vero: absque episcopo nulla ecclesia veri nominis (Trall. 3, 1). Iure igitur septem angeli considerari consueverunt ut episcopi monarchici; nomen vero angeli, in V^{e} T^{o} de prophetis et sacerdotibus adhibitum (Mal. 2, 7. Agg. 1, 13 ἄγγελοι, *Vg* nuntii), indoli libri apocalyptici consonum, apte exprimit munus quod episcopus gerit in Christi Ecclesia, nomine et auctoritate et vice ipsius Christi[3].

Et his quidem non modo fontes aetatis postapostolicae absolvimus, sed etiam ad scripta apostolica pervenimus, in quibus primam ecclesiam episcopalem invenimus, hierosolymitanam dico, quae a Luca haud obscure ut monarchica describitur (21, 18; cf. 12, 17; 15, 13 sqq.), sub Iacobo scilicet, cui assistunt presbyteri. Haec igitur ecclesia, sicut mater fuit omnium ecclesiarum, ita etiam earum prototypus et exemplar, quod secutae ecclesiae paulatim omnes formam episcopalem monarchicam acceperunt, inde a partibus Mesopotamiae usque ad Galliae et Germaniae et medias partes terrae, ut ait Irenaeus. Quarum discriptionem in variis terrae regionibus et provinciis iam uno, si placet, conspectu exhibeamus.

II. Conspectus geographicus.

443. Incipiendo, ut par est, ab ecclesia hierosolymitana sequimur ordinem geographicum; peragrantes nimirum Syriam et Ciliciam, Mesopotamiam, Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Phrygiam, Asiam, Cretam insulam, Achaiam, Macedoniam, Thraciam, Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Africam, Aegyptum, enumeremus ecclesias episcopales, quae secundum fontes supra allatos paucosque alios exstiterint versus medium vel finem saeculi II.

Ecclesiae *Palaestinae* et *Phoeniciae*.

Ecclesiae *hierosolymitanae* primos episcopos enumerat Hegesippus, scilicet Iacobum Iustum, martyrem (apud *Eus.*, Hist. eccl. 2, 23), et Simeonem (4, 22, 4), item cognatum Domini, qui inde fere ab anno 62 rexit istam ecclesiam (3, 11). Tempore demum Traiani martyrem eum occubuisse (3, 32). Eusebius dein tradit (4, 5) catalogum episcoporum „ex circumcisione" integrum, qui continet 15 nomina (Iacobus, Simeon, Iustus, Zachaeus ...; cf. n. 453), quorum plurimi, si fuerint episcopi monarchici istius ecclesiae, per breve admodum tempus ipsi praefuerunt. Post alteram destructionem Hierosolymorum in bello Barcocheba factam, eius loco ab Hadriano fundata est colonia Aelia Capitolina, a qua omnes Iudaei arce-



Friburgi Brisgoviae, Herder & Co.

Dieckmann, De Ecclesia I

bantur. Hinc nova ecclesia constabat ex ethnico-christianis conversis, quorum primus episcopus fuit Marcus (4, 6, 3 sq. *K* 430), inde ab anno fere 135. Inter eius successores — decimus quintus a Marco, tricesimus a Iacobo — eminet Narcissus (5, 12), qui circa a. 190 praefuit synodo palaestinensi, quae habita est de determinando die paschatis celebrandi, simul cum Theophilo, Cassio, Claro (5, 23, 3; 5, 25).

Et Theophilus quidem fuit episcopus *caesareensis* et metropolita totius provinciae ut videtur; cum Narcisso vel prae illo praesidebat conventui; assistebant autem Cassius episcopus *Tyri* et Clarus episcopus *Ptolemaidis*.

444. Ecclesiae *Syriae* et *Ciliciae*.

Antiochiae episcopos Eusebius enumerat hos: post Petrum Euodium rexisse ecclesiam (3, 22), quem secuti sint Ignatius martyr „secundus in successione Petri antiochena" (3, 36, 2), Heron, Cornelius, Eros, Theophilus (4, 20), qui secundum Eusebium (4, 24) circa a. 180 apologiam religionis christianae scripsit ad Autolicum quendam, quae hodieque exstat. Successor Theophili fuit Maximinus (ab anno circiter 185—190/1), quem excepit Serapion antimontanista. Praeter ecclesiam antiochenam, metropolitanam, iam tempore Ignatii aliae erant ecclesiae episcopales, sicut ipse in sua ad Philadelphios epistula testatur (10, 2); ibidem (11, 1) meminit diaconi sui Philonis, oriundi ex Cilicia, patria Pauli apostoli, qui eum comitatus est inde a Syria.

De aliis ecclesiis Ciliciae saeculo II nil audimus. *Tarsus* circa medium demum saeculum III refertur sedes metropolitana fuisse; Helenus episcopus cum aliis metropolitis atque cum pluribus Ciliciae episcopis commemoratur in epistula Dionysii Alexandrini (248—268. *Eus.*, Hist. eccl. 7, 5); idem intererat synodo antiochenae (6, 46). Iam tempore Pauli in Cilicia fuisse ecclesias ipse indicat (Gal. 1, 21; cf. Act. 15, 23 41).

In partibus Syriae orientalis, *Osroenes* scilicet cum urbe *Edessa*, evangelium videtur quidem sparsum esse iam saeculo I; testimonia autem historice certa de eius regionis episcopis non exstant nisi ex fine saeculi II, quo tempore ecclesia edessena inter maxime florentes omnium fuit. Commercium enim epistulare inter Christum et Abgarum V. Ukkama, regem Osroenes, cuius documenta Eusebius asserit syriace servata esse in archivis edessenis (l. c. 1, 13, 5), non est genuinum; at omnino probabile est iam aetate apostolorum evangelium praedicatum esse in his regionibus, quae propinquae sunt ecclesiis antiquissimis Palaestinae et Syriae occidentalis atque ad diasporam iudaicam pertinebant.

Secundum legendam, quam secutus est Eusebius, Addaeus vel Thaddaeus, unus ex 70 Christi discipulis, convertit Abgarum atque totam civitatem edessenam; idem scilicet Addaeus, qui recurrit in Chronica Arbelensi tamquam apostolus Adiabenes. Si vero in hac eadem narratione additur Addaei diaconum fuisse Palut, qui post mortem Addaei ordinatus sit episcopus edessenus a Serapione episcopo antiocheno, legendariis historica admixta sunt; scilicet tempore Serapionis (190—211) Palut fuisse episcopum edessenum, Serapionem autem successionem accepisse ab episcopo romano Zephyrino, successore S. Petri in episcopatu romano, quem Petrus per 25 annos obtinuerit[4].

Eodem fere tempore, quo Palut episcopatum gessit, synodus Osroenes in controversia paschali habita est (5, 23, 4), cui plures episcopi intererant. Paulo post rex Osroenes, Abgarus IX bar Manu (170—214 [216]), religionem christianam amplexus est, sub influxu fortasse Bardesanis vel etiam Iulii Africani, cuius utebatur familiari amicitia. Exercitium religionis tunc temporis publicum fuisse testari videtur notitia aliqua Chronicae Edessenae, anno scilicet 201 inundatione quadam destructam esse ecclesiam aliquam christianam.

Quibus perpensis fieri non potest quin admittatur iam medio saeculo II fuisse ecclesias episcopales in regionibus trans Euphratem, ubi versus finem eiusdem florebat litteratura christiana syriaca; etenim et diatessaron Tatiani et versiones syrae veteres orta putantur in Syria hac orientali.

445. Ecclesiae in regno *Parthorum.*

Traditio aliqua temporis posterioris narravit in Mesopotamia et Perside saeculo iam II fuisse centenas sedium episcopalium. Historice quidem haec non probantur. Est tamen possibile primis decenniis post mortem Christi asseclas novae religionis hisce in regionibus fuisse (Act. 2, 9); certum autem est initio saeculi II exstitisse sedes episcopales in Adiabene, *Bêth-Zabdhai* nimirum et *Arbela*, atque saeculo III — secundum eandem Chronicam Arbelenam c. 8 (ed. *Sachau* p. 61/2) — circa annum 224, quo Sassanidae successerunt Arsacidis in regimine persico, plus quam 20 episcopos christianis parthicis praefuisse. Quibuscum optime concordant verba, quae versus finem saeculi II insculpta legimus in epitaphio Abercii hieropolitani (*K* 155), qui viderat non solam Romam eiusque ecclesiam, sed etiam „Syriae campum . . . et cunctas urbes, Nisibin Euphraten transgressus; ubique autem nactus . . . sodales“. Cum *Nisibis* sita sit inter Euphraten et Tigrim, in via regali, quae coniungit Osroenen cum Adiabene,

cumque utraque regio secundum traditionem antiquam religionem christianam acceperit praedicatione Addaei, admittere licebit hac via: Hierosolymis — Damasco — Edessa — Nisibi — Bêth-Zabdhai — Arbela evangelium propagatum esse Orientem versus, primo quidem per advenas istos, quos commemorat Lucas inter auditores Petri in die Pentecostes (Act. 2, 9: Parthi, Medae, Elamitae et incolae Mesopotamiae); postea vero per evangelistas vel apostolos, qui sicut Paulus in Occidente, in synagogis Iudaeorum verbum Dei annuntiarunt prius; reiecti et expulsi sese converterunt ad gentes. Fructus autem huius praedicationis in Oriente videtur fuisse exiguus, si comparetur cum ecclesiis, quae in imperio romano condi potuerunt [5].

446. Ecclesiae *Cappadociae, Ponti, Bithyniae, Galatiae, Phrygiae.*

Secundum Eusebium (Hist. eccl. 6, 11, 1 sqq.) Alexander episcopus *Cappadociae* (cf. Act. 2, 9; 1 Petri 1, 1), *caesareensis* secundum fontes posteriores, qui venerat Hierosolyma loca sancta veneraturus, a christianis istius ecclesiae, ut episcopatum hierosolymitanum gereret, rogatus est; nam Narcissus, senex cum esset 116 annorum, iam non potuit fideles suos gubernare nisi suis orationibus (6, 11, 3). Quorum precibus sese unientes episcopi ecclesiarum vicinarum coegerunt Alexandrum, ut maneret in Urbe sancta. Alexander, discipulus et amicus Clementis Alexandrini, circa annum 200 videtur sedem caesareensem obtinuisse: cui successit anno circiter 230 Firmilianus, amicus et assecla non solum Origenis, qui apud eum versatus est (6, 27), sed etiam Cypriani, quem adiuvit asserentem necessitatem rebaptizandi haereticos contra Stephanum episcopum romanum (cf. epist. Cypr. 75).

Sinope in *Ponto* (cf. Act. 2, 9; 18, 2: Aquila; 1 Petri 1, 1) medio saeculo II et antea iam fuit sedes episcopalis; Marcion enim dicitur fuisse filius episcopi istius civitatis (*Epiph.*, Haer. 42, 1; *CB* ed. *Holl* II 94; cf. *Hippolyti* Comm. in Dan. 4, 19; *CB* ed. *Bonwetsch* 232 sq.). — *Amastris* tempore Dionysii Corinthiaci (circa 170), qui isti ceterisque Ponti ecclesiis epistulam misit (*Eus.*, Hist. eccl. 4, 23, 6), iam fuisse dicenda est ecclesia metropolitana, sub Palma scilicet episcopo, sub quo postmodum in controversia de celebrando paschate synodus habita est (5, 23, 3).

Nicomediae in *Bithynia,* ubi inde a tempore apostolorum (1 Petri 1, 1) erant christiani, plurimi vero iam ineunte saeculo II (cf. C. Plinii Secundi Min. epistulam ad Traianum anno circiter 110 scriptam; epist. 10, 96; *K* 28 sqq.), erat ecclesia (metropolitana), cui scripsit idem Dionysius impugnans haeresim Marcionis secundum normam veritatis christianae (*Eus.*, Hist. eccl. 4, 23, 4). Pontus

et Bithynia unam constituebant provinciam proconsularem, quae tamen duos habebat conventus provinciales (communia, κοινά), Nicomediae alterum pro Bithynia, alterum pro Ponto Neocaesareae, non vero Amastri.

Ancyrae (l. c. 5, 16, 4) et in aliis civitatibus *Galatiae* (cf. epist. Pauli ad Gal., 1 Cor. 16, 1; Act. 16, 6; 18, 23; 1 Petri 1, 1) fuisse episcopos sequitur ex synodis in causa montanismi habitis (5, 16, 10; 5, 19).

Laodicea (cf. Col. 4, 13 sqq.; Apoc. 3, 14) *Phrygiae* (Act. 2, 10) episcopum habuit Sagarim martyrem secundum Melitonem, qui scripsit post medium saeculum II (*Eus.,* Hist. eccl. 4, 26, 3) et Polycratem (5, 24, 5; *K* 92). — *Hierapoli* prope Colossas (Col. 4, 13) commoratus est Philippus, secundum Polycratem (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 24, 2, unus ex duodecim apostolis; Papias vero, „Ioannis (apostoli) auditor et sodalis Polycarpi" (*Eus.* l. c. 3, 39, 1), fuit episcopus istius civitatis (3, 36, 2), sicut postea Claudius Apollinarius, aequalis Melitonis, egregius impugnator montanismi (4, 26, 1), qui teste Eusebio plurimos conscripsit libros (4, 27), inter quos praeter apologiam, quam porrexit M. Aurelio imperatori (circa 172), eminet ille quo impugnat montanismum (5, 16, 1; 5, 19, 1 sqq.). — *Hieropoli,* in partibus Phrygiae orientalibus, vixit Abercius (episcopus?), cuius epitaphium hodieque exstat (*K* 155)[6]. — *Eumeneae* episcopus Thraseas nominatur a Polycrate (l. c. 5, 24, 4; cf. 5, 16, 22). Inter defensores fidei contra Montanum referuntur ab Eusebio insuper Zoticus, presbyter (episcopus?) *otrenus,* amicus et comes scriptoris anonymi cuiusdam (5, 16, 5), alter quidam Zoticus episcopus *Comanae* cum episcopo Iuliano *Apameae* (Ciboti) (5, 16, 17). Acta Polycarpi martyris mittuntur ecclesiae *Philomelii* (Mart. Pol. insc. cf. 20, 1).

447. Ecclesiae *Asiae* proconsularis.

Ephesi, (cf. Act. 19, 1 sqq.; 1 Tim. 1, 3) in civitate „prima" *Asiae* proconsularis (cf. Act. 2, 9; 19, 10, 26; 1 Cor. 16, 19; 1 Petri 1, 1; Apoc. 1, 4), erant episcopi inde a fine saeculi I (Apoc. 2, 1 sqq.); Ignatius novit episcopum Onesimum (ad Eph. 1, 3). Polycrates, qui ipse fuit istius civitatis episcopus (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 24, 1 sqq.), affirmat septem iam ex suis cognatis ante ipsum fuisse episcopos (non in eadem ecclesia praecessores); secum Ephesi congregatos esse „magnam multitudinem" episcoporum, in synodo nimirum ad decernendam quaestionem de celebrando paschate (l. c.). — *Smyrnae* (Apoc. 2, 8 sqq.) episcopus erat Polycarpus (*Ignatius* ad Smyrn. 8; ad Polyc., inscr.), „apostolicus et propheticus doctor . . . catholicae ecclesiae smyrnensis

episcopus“ (Mart. Polyc. 16, 2), discipulus Ioannis (Irenaeus ad Florinum, apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 20, 5 sq.; *K* 96; cf. Adv. haer. 3, 3, 4; *Tertulliani* De praescr. haer. 32; *K* 192). Polycrates eum vocat episcopum et martyrem smyrnaeum (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 4; *K* 92). Catalogus episcoporum, qui exhibetur in Vita Polycarpi (Strataeas, Pauli discipulus, Bucolus, Polycarpus...), originem ducit ex saeculo III vel IV. — *Sardibus* (cf. Apoc. 3, 1 sqq.) episcopus fuit Melito, celeber scriptor ecclesiasticus circa medium saeculum II, a Polycrate (l. c.) et Eusebio (l. c. 4, 26, 1) commemoratus. — Ecclesias *trallensem*, *Magnesiae*, *Philadelphiae* habuisse episcopos monarchicos concludimus ex epistulis Ignatii, qui novit Polybium, episcopum trallensem (ad Trall. 1, 1), et Damam, episcopum Magnesiae (ad Magn. 2). Ecclesia Philadelphiae simul cum *pergamena* et *thyatirena* occurrit in Apoc. (3, 7 sqq. resp. 2, 12 sqq.; 18 sqq.).

448. Ecclesiae *Cretae, Achaiae, Macedoniae, Thraciae.*

Creta insula (cf. Act. 2, 11; Tit. 1, 12) iam circa annum 170 habuit organisationem metropolitanam. Dionysius enim Cor. scripsit circa hoc tempus Philippo episcopo *Gortynae* ceterisque simul ecclesiis Cretae (*Eus.*, Hist. eccl. 4, 23, 5) et episcopo Pinyto *Cnossi* (4, 23, 7). — *Athenis* (cf. Act. 17, 15 sqq.) primum episcopum fuisse Dionysium Areopagitam (Act. 17, 34) asserit idem Dionysius Cor. (l. c. 4, 23, 3); suo vero tempore Quadratum regere ecclesiam Atheniensium, cuius praecessor Publius martyr occubuerit (4, 23, 2 sqq.). — Num ecclesia *Lacedaemoniorum* episcopum habuerit, ex verbis Eusebii non apparet (4, 23, 2). — Sedis metropolitanae *Corinthi* (cf. Act. 18, 1 sqq.; 1 Cor. 1, 2; 2 Cor. 1, 1) episcopus fuit tempore Hegesippi Primus, circa annum 150—160 (*Eus.* l. c. 4, 22, 2; *K* 69 sq.), cui successit Dionysius (4, 21; 4, 23, 1 sqq.), qui epistulas a se scriptas ipse iam collegit et edidit (4, 23, 12): in controversia de celebrando paschate nominatur Bacchylus episcopus corinthiacus, circa annum igitur 190 (5, 22; 23, 4).

Philippenses (cf. Act. 16, 12; 1 Thess. 2, 2; Phil. 1, 1) in *Macedonia* tempore Polycarpi ab aliquibus non habuisse episcopum dicuntur, quia Polycarpus in sua epistula nullum nominat. Circa annum 200 certe a Tertulliano exhibetur ut ecclesia sicut aliae. i. e. episcopalis (De praescr. haer. 36, 2; *K* 194).

Debeltum et *Anchialus Thraciae* iam a medio saeculo II videntur instructae fuisse episcopis; Aurelius enim Publius Iulius episcopus Debelti et Sotas episcopus Anchiali consenserunt cum Serapione et aliis episcopis in reiciendo montanismo (*Eus.* l. c. 5, 19, 3).

449. Ecclesiae *Italiae, Galliae, Germaniae, Hispaniae.*

Quoniam de ecclesia *romana* in assertione sequenti agendum erit, quaerimus solummodo, num praeter istam aliae fuerint ecclesiae in *Italia*. Et catalogus quidem ecclesiae *Ravennatis* usque ad saeculum II (medium) pertingere videtur, ad Appollinarem nimirum, primum episcopum, ex cuius successoribus Severus, duodecimus episcopus Ravennae, intererat synodo sardicensi anni 343. — Ex catalogo ecclesiae *mediolanensis,* cui usque ad synodum arelatensem, anni 314, 6 vel 7 episcopi praeerant, inferunt hanc ecclesiam inde ab anno fere 210—230 monarchice institutam fuisse.

In *Gallia* (cf. 2 Tim. 4, 10, ubi Crescens dicitur profectus in Galatiam, vel in Galliam?) ecclesia principalis et tempore iam Irenaei metropolitana erat *lugdunensis*. Episcopos monarchicos habuit saltem a medio saeculo II; Pothinus enim episcopus, senex 90 annorum, martyrium passus est (*Eus.* l. c. 5, 5, 8) anno 177. Praeter lugdunensem plures alias ecclesias episcopales fuisse discimus ex controversia de celebrando paschate, ad quam decidendam etiam in Gallia synodus habita est praesule Irenaeo (5, 23, 3; 24, 11); inter quas probabiliter fuit viennensis (5, 1, 1 sqq.), quae simul cum lugdunensi scribit fratribus Asiae et Phrygiae de suis martyribus anni 177/78. Episcopum quidem haec relatio non nominat, sed solum diaconum Sanctum (5, 1, 17); Pothinus vero dicitur episcopus Lugduni (5, 1, 29). Irenaeus tunc temporis istius ecclesiae presbyter, quem Romam proficiscentem iidem martyres commendant Eleuthero episcopo romano (5, 4, 1; *K* 65), successit Pothino (5, 5, 8). Ipse auctor nobis est sua aetate singulas ecclesias posse enumerare successiones episcopales (Adv. haer. 3, 3, 1 sqq.; *K* 124 sq.), nec solum in partibus imperii romani principalibus, sed etiam in regionibus longinquis esse ecclesias: praeter Gallias nimirum etiam Germaniam, Hispaniam, Aegyptum, Libyam (1, 10, 2; *K* 105) suas ecclesias habere tamquam totidem testes veritatis, traditionis scilicet apostolicae.

Tertullianus (Adv. Iud. 7; *K* 207) excipit Irenaeum, coniungens videlicet catalogum Irenaei (l. c.) cum enumeratione gentium, quas refert Lucas (Act. 2, 9 sqq.), eumque simul complens: „Getulorum varietates (in parte septentrionali Africae usque ad Syrtas) et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et abditarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum et quae enu-

merare minus possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat. . . ."

450. Ecclesiae *Africae* et *Aegypti.*

Ecclesiae *Carthaginis, Africae proconsularis,* primus episcopus nobis notus est Optatus, quem sequuntur Agrippinus, Donatus, Cyprianus. Sed haec series non omnibus probatur; forte enim Agrippinus (de quo Cyprianus in epist. 71, 4; 73, 3) praecessit Optatum (ita *Mesnage*). Optatum novimus ex *Passione Ss. Perpetuae et Felicitatis* (c. 13) ut episcopum, probabiliter carthaginiensem, qui igitur circa annum 200 episcopatum gessit. Donatus dein rexit istam ecclesiam annis 236—248; quem secutus est Cyprianus 248—258. Synodi variae habitae sunt, in quibus plurimi episcopi aderant; anno circiter 240 Carthagine (vel Lambaesae?) congregati sunt 90, viginti annis ante circiter 70 episcopi. Ipse iam Tertullianus commemorat plurimas ecclesias, quarum organisationem plene excultam esse indicat, ut si conqueritur „ipsos diaconos et presbyteros et episcopos fugere", a persecutione nimirum (De fuga 11; cf. De bapt. 17). Nominatim exhibet praeter ecclesiam carthaginiensem ecclesias *Adrumeti* (ad Scap. 3), *Thysdri* (l. c. 4), *Uthinae* (De monog. 12; ed. *Oehler* I 782: „omnia licent episcopis, sicut ille vester uthinensis. . . . Quot enim et digami praesident apud vos. . . ."). *Lambaesae* fuisse christianos sequitur ex verbis Tertulliani ad Scap. 4, ubi narrat praesidem legionis persequi christianos; Lambaesae enim erant castra legionis tertiae Augustae.

Religionem christianam iam saeculo I intrasse in *Aegyptum,* considerato frequenti et facili commercio inter Aegyptum et Palaestinam finitimam numeroque Iudaeorum qui inhabitabant Aegyptum atque imprimis eius urbem principalem Alexandriam (cf. Act. 2, 10; 18, 24: Apollo Alexandrinus; 8, 27: eunuchus reginae Aethiopiae), omnino probabile est. Hinc intellegitur, cur Marcus, qui cum Barnaba post discessum a Paulo Cyprum navigaverat (15, 39), tradatur (*Eus.,* Hist. eccl. 2, 16; φασίν) praedicasse Alexandriae ibique ecclesias instituisse; successorem vero eius in gubernatione ecclesiae alexandrinae fuisse Annianum circa annum 61/62 (2, 24). Quem secuti sunt decem usque ad Demetrium (189—231), quem Eusebius commemorat, cum de Origene eiusque operibus loquitur (6, 2, 2; 6, 8, 4; cf. 5, 25). Porro ante Demetrium religionem christianam floruisse in Aegypto, pluresque ecclesias ibi constitutas fuisse (cf. Irenaei Adv. haer. 1, 10, 2; *K* 105; item Tertulliani verba supra allata) ex scriptis Clementis et Origenis apparet. Epistula tamen P. Aelii Hadriani

Caesaris ad Servianum (*K* 37 sq.), quae servata est in *Vita Saturnini* 7 sq., num sit genuina, non constat. Praeterea multa sane obscura manent, tum de praecessoribus Demetrii tum de organisatione aliarum ecclesiarum aegyptiacarum.

De ecclesiis *Libyae* (Act. 2, 10; cf. *Iren.*, Adv. haer. 1, 10, 2; *K* 105; *Tert.*, Adv. Iud. 7) et *Cyrenes* (Act. 11, 20; 13, 1; 6, 9 commemoratur synagoga Cyrenensium) in fontibus temporis saeculi secundi nil reperimus.

Scholion 1. **De organisatione metropolitana ecclesiarum.**

451. Paulus prosecutus est in suis itineribus vias publicas, quae provincias romanas pervadentes easque inter se et cum capite Roma coniungentes eum perducebant in civitates imperii maxime florentes. In quibus dein aliud commodum inveniebat, synagogas scilicet Iudaeorum, qui utpote negotiationi dediti in omnibus emporiis suas colonias condiderant. Qui factum est, ut ecclesiae paulinae magna ex parte inveniantur in urbibus metropolitanis, quae eminebant et condicionibus commercio faventibus et inde etiam numero incolarum, cogita Tarsum (Act. 9, 30), Thessalonicam (17, 1 sqq.), Corinthum (18, 1 sqq.), Ephesum (19, 1 sqq.). Corintho et Epheso Paulus etiam in regionibus et locis adiacentibus, per suos nimirum discipulos, ecclesias condidisse videtur, e. g. Hierapoli, Laodiceae, Colossis, sicut postea Timotheo curam ecclesiarum Asiae atque Tito ecclesias Cretae commisit. Tales iam ecclesiae, quae scilicet eminebant tum origine apostolica tum etiam condicionibus naturalibus, puta incolarum numero, commercio florescente, viis maritimis et terrestribus, sede magistratus romani vel administrationis provinciae vel conventus provincialis (κοινόν seu commune), facile auctoritatem maiorem quandam nactae sunt, metropolitanam quam vocamus, quae non quidem divino attamen iure ecclesiastico innititur. Ita provinciae ecclesiarum vel Ecclesiae ortae sunt, quae magnam partem coinciderunt cum provinciis vel regionibus administrationis civilis. Ea autem aetate, quam nostra inquisitio respicit, nonnisi initia quaedam cernuntur, in controversia scilicet de montanismo; clarius eadem se manifestant in synodis, quae auctore Victore episcopo romano coactae sunt in variis imperii romani atque etiam Mesopotamiae partibus (cf. supra n. 435), quae probant et Ecclesiae universalis unitatem et ecclesiae romanae principatum et ecclesiarum organisationem metropolitanam et singularum ecclesiarum episcopatum monarchicum.

De *origine* huius organisationis metropolitanae aliae ab aliis proferuntur sententiae. Aliquas principaliores (M. Monceaux, E. Beurlier, L. Duchesne, K. Lübeck, M. Ramsay) sobrie recensuit *V. Chapot,* La province

Romaine proconsulaire d'Asie depuis ses origines jusqu'à la fin du haut-empire (Paris 1904) 529 sqq. Cf. etiam *Ph. Maroto,* Institutiones Iuris Canonici II (1919) 30 sqq., et *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia II 275. — Cf. praeterea *A. Bigelmair,* Die Beteiligung der Christen am öffentlichen Leben in vorconstantinischer Zeit (Veröffentlichungen aus dem kirchenhistorischen Seminar München 8) München 1902.

De ulteriore eius evolutione cf. *K. Lübeck,* Reichseinteilung und kirchliche Hierarchie des Orients bis zum Ausgang des 4. Jahrhunderts (Kirchengeschichtliche Studien V 4), Münster 1901.

Scholion 2. **De successionibus episcoporum apud Eusebium.**

452. „Successiones sanctorum apostolorum et tempora quae a Salvatore nostro ad nos usque decursa sunt, quaeque et qualia in his erga Ecclesiae statum gesta sint, qui etiam insignes viri in locis maxime celeberrimis ecclesiis praefuerunt . . . scribere mihi volenti non aliunde sumendum videtur exordium quam ab ipsa Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi praesentia corporali." Ita *Eusebius* in praefatione Historiae ecclesiasticae secundum *Rufini* versionem (1, 1, 1 sq.; *K* 422). Cum autem impossibile sit omnes perstringere ecclesias, intendit „nobilissimorum certe Salvatoris nostri apostolorum successiones celebrioribus quibusque ecclesiis traditas in unum colligere atque in ordinem modumque digerere" (1, 1, 4; *K* 423). Hae vero ecclesiae nobiliores celebrioresque sunt hierosolymitana, antiochena, alexandrina, romana; harum enim seriem integram episcoporum exhibet, et quidem synchronistice ad annos imperatorum romanorum, qui fere aerae vices gerunt. Alia autem de aliis ecclesiis tradit, pauciora de ecclesiis hierosolymitana et antiochena, referens nimirum nomina dumtaxat episcoporum; plura autem de ecclesiis alexandrina et romana, quatenus singulis fere episcopis adduntur anni quibus his ecclesiis praefuerunt; atque etiam annum, quo in munus episcopale successerunt, indicat pro praepositis temporis anterioris, videlicet usque ad Callistum episcopum romanum et (Demetrium, Heraclam, Dionysium) Maximum ecclesiae alexandrinae. Iamvero constat ex ipsius Eusebii verbis eum novisse Chronographias *Iulii Africani* (6, 31, 2); Africani vero Chronographia absoluta est tertio anno Heliogabali (221), in cuius primo anno Callistus obtinuit sedem romanam; inde *A. Harnack* (Chronologie der altchristl. Lit. bis Eusebius I 118 sqq.), *E. Schwartz* (*CB* Eusebius II 3, CCXXI sqq.), alii tuentur Eusebium ex opere Africani catalogos istos deprompsisse. Album Africani Harnack reconstruere conatus est (l. c. 124 sqq.). Certe autem Eusebius praeter Africanum novit alios priores catalogos, Hegesippi nimirum (4, 22. 1 sqq.; *K* 69 sq.) et Irenaei (5, 6; *K* 126).

453. Exhibet vero Eusebius harum ecclesiarum nomina quae sequuntur:

I. Ecclesiae hierosolymitanae fuerunt:

1) Episcopi ex *Hebraeis* (15): Iacobus, Simeon, Iustus, Zachaeus, Tobias, Beniamin, Ioannes, Matthias, Philippus, Seneca, Iustus, Levi, Ephraem, Ioseph, Iudas (*Eus.*, Hist. eccl. 4, 5, 3).

2) Episcopi ex *ethnicis* (usque ad Narcissum 15): Marcus, Cassianus, Publius, Maximus, Iulianus, Gaius, Symmachus, Gaius, Iulianus, Capito, Maximus, Antoninus, Valens, Dolichianus, Narcissus.

II. Ecclesiae antiochenae: Petrus, Euodius, Ignatius, Heron, Cornelius, Eros, Theophilus, Maximinus, Serapion.

III. Ecclesiae alexandrinae:

Marcus	praefuit	usque ad annum 61/2; eandem		
Annianus	rexit	per	22	annos;
Abilius	„	„	13	„
Cerdon	„	„	—	„
Primus	„	„	12	„
Iustus	„	„	11	„
Eumenes	„	„	13	„
Marcus	„	„	10	„
Celadion	„	„	14	„
Agrippinus	„	„	12	„
Iulianus	„	„	10	„
Demetrius	„	„	43	„ (188/9—230/1).

IV. Ecclesiam romanam:

Petrus	rexit	per	25	annos (Chron. 2, 2058 ad annum Chr. 44; *K* 421);		
Linus	per	12	annos			
Anacletus	„	12	„	ab anno	2	Titi
Clemens	„	9	„	„ „	12	Domitiani
Euaristus	„	8	„	„ „	3	Traiani
Alexander	„	10	„	„ „	12	Traiani
Xystus	„	10	„	„ „	3	Hadriani
Telesphorus	„	11	„	„ „	12	Hadriani
Hyginus	„	4	„	„ „	1	Antonini
Pius	„	15	„	„ „	—	—
Anicetus	„	11	„	„ „	—	—
Soter	„	8	„	„ „	8	Marci
Eleutherus	„	13	„	„ „	17	Marci
Victor	„	10	„	„ „	10	Commodi

Zephyrinus rexit per 18 annos ab anno 9 Severi
Callistus „ „ 5 „ „ „ 1 Heliogabali

454. *Hegesippus* (4, 22, 2; *K* 70) enumerat Anicetum, Soterem, Eleutherum.

Irenaeus (Adv. haer. 3, 3, 3. *Eus.* l. c. 5, 6; *K* 126) praebet nomina eadem atque Eusebius, usque ad Eleutherum; in epistula ad Victorem (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 24, 14; *K* 99) habet haec nomina: Xystum, Telesphorum, Hyginum, Pium, Anicetum, Soterem. Adv. haer. 1, 27 (*K* 117) vocat Hyginum *nonum* episcopum, cum secundum catalogum l. c. 3, 3, 3 octavus sit, utique si enumeratio incipit a Lino, Petro utpote apostolo non incluso.

Epiphanius (Haer. 27, 6; *CB* ed. *Holl* I 309 sq.) haec habet: „Romae Petrus et Paulus primi erant apostoli et episcopi, dein Linus, dein Cletus, dein Clemens . . ."; postea addit Linum et Cletum duodenis annis episcopatum gessisse. Dein ita prosequitur: „Successio episcoporum romanorum ita processit: Petrus et Paulus, Linus (et) Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus."

Optatus Milevitanus (De schismate Donati 2, 2, 2 sqq.; *K* 583): „Igitur negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, unde et Cephas est appellatus, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur. . . Ergo . . . sedit prior Petrus, cui successit Linus . . . Clemens . . . Anacletus . . . Evaristus . . . (deest Alexander) . . . Sixtus . . . Telesphorus . . . Iginus . . . Anicetus . . . Pius. . . ." — Eandem enumerationem habet *Augustinus* (Ep. 53, 2; ad Generosum; *CV* ed. *Goldbacher* 34 153).

455. Diversitas quaedam observari licet iam inter catalogos modo allegatos. Epiphanii enim series in eo discedit a catalogo Eusebii quod ut tertium episcopum exhibet Cletum loco Anacleti. Fasti autem Optati-Augustini invertunt ordinem, quo inter se sequuntur tum Anacletus et Clemens, tum Pius et Anicetus.

Maior etiam discrepantia exsistit inter album eusebianum et catalogum, qui ex episcopo, in quo desinit, vocatur *Liberianus,* servatus a Chronographo anni 354 (*K* 545 sqq.). Liberianus nimirum ut successores Petri enumerat hos: Linum, Clementem, Cletum, Anaclitum, Aristum (Evaristum), Alexandrum, Sixtum, Telesforum, Higinum, Anicetum, Pium . . . i. e. concordat quidem cum Optato-Augustino contra Eusebium in eo quod ipse quoque (1) invertat Pium et Anicetum; (2) Clementem facit Lino immediate succedere. Discedit vero ab aliis catalogis modo indi-

catis, quod praeter Anacletum introducat Cletum (cf. Epiphanium) eumque ponat ante Anacletum.

Utrumque nomen, Cleti et Anacleti, alio tamen ordine, invenitur porro in carmine *adv. Marcionem* 2, 275 sqq. (inter opera Tertulliani, ed. *Oehler* II 792; saeculi V/VI), quod sequitur ordinem hunc: Petrus, Linus, Cletus, Anacletus, Clemens, Euaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus. . . .

Liber denique *Pontificalis* (saeculi VI) eiusque regesta, catalogus, qui a Felice IV (526—530) *Felicianus,* et catalogus, qui a Conone (686) nuncupatur *Cononianus,* asserit Petrum ordinasse tres episcopos: Linum, Cletum, Clementem (*K* 1003 sq.), itaque interponit Clementem inter Cletum et Anacletum: Petrus, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Evaristus, Alexander, Xystus, Telespor, Yginus, Anicetus, Pius . . . (ed. *Duchesne* I 48 sqq.).

Quibus expositis iam apparet dependentia quaedam testium inter se, simulque indicatur, undenam duplicatio Anacleti in catalogos temporis posterioris irrepserit. Et primum quidem forma abbreviata Cletus loco Anacleti orta esse videtur forte ex mendo alicuius librarii. Neque immerito quis supponat (cum *Holl*) ex codicibus manuscriptis operis Eusebii mendosis hanc formam acceptam esse ab eius pedisequis Hieronymo (Chron. *CB* ed. *Helm* p. 189; cf. tamen De vir. ill. 15, ed. *Richardson* [Texte u. Unters. XIV, 1. Heft, 1896], 16 sq.) et Rufino (Praef. ad Recogn. Clem., *MSG* I, 1207), qui praeter Epiphanium testes huius nominis sunt. Inde autem via panditur ad duplicationem Anacleti, quam observamus in catalogo Liberiano eiusque descendentibus, in Libro scilicet Pontificali catalogisque Feliciano et Cononiano. Ipsa iam horum duorum nominum positio incerta et varians indicium esse potest interpolationis.

Hinc nil mirum, quod longe plurimi auctores non admittunt nisi *unum Anacletum,* quem exhibent catalogi antiquissimi. Sententiam contrariam defendit *H. Kellner* (Hist. Jahrbuch 33 [1912] 103 sqq.), ea potissimum permotus ratione, quod catalogi „latini" (Liberianus, Felicianus, Cononianus, Liber Pontificalis) utpote Romani, maiorem fidem mereantur quam „graeci" (Irenaei et Eusebii) et „extranei" (praeter Irenaeum et Eusebium etiam Optatus-Augustinus). Sed haec fontium divisio caret, ut dictum est, fundamento; omnes catalogi sunt romani, imprimis Irenaei et quem Romae confecit Hegesippus, quibus ob hanc causam omnis fides iure adhibetur [7].

456. NOTAE. — 1 *M. LeQuien* O. Pr., Oriens christianus, Parisiis 1740; *Th. M. Mamachii* O. Pr. Originum et antiquitatum christianarum libri XX. Tomus II (Romae 1750): De origine et propagatione religionis christianae in provinciis

Romanorum atque in regionibus, quae variis regibus parebant; *P. G. Gams,* Series episcoporum Ecclesiae catholicae, Ratisbonae 1873—1886. — Pro provinciis Asiae anterioris maximi pretii sunt opera *W. M. Ramsay**, The cities of St. Paul, London 1907; *idem,* The Letters to the seven churches of Asia, ibid. 1904; *idem.* The cities and bishoprics of Phrygia I, Oxford 1895; II, ibid. 1897; *V. Schultze**, Altchristl. Städte u. Landschaften. II: Kleinasien. Erste Hälfte, Gütersloh 1922; cf. *I. Sölch* in Klio XIX (1924) 140 sqq. — Pro Africa: *P. J. Mesnage,* L'Afrique chrétienne. Évêchés et ruines antiques, Paris 1912: *idem,* Évangélisation de l'Afrique I, ibid. 1914; *idem,* Le christianisme en Afrique I, Paris 1914; II et III, ibid. 1915. — Pro Italia septentrionali: *F. Savio,* Gli vescovi d'Italia I (1913). — Pro ecclesiis regni parthici: *E. Sachau**, Die Chronik von Arbela. Ein Beitrag zur Kenntnis der ältesten Kirchengeschichte des Orients (Abhandl. der Akad. der Wissensch., Berlin 1915); *idem,* Vom Christentum in der Persis (l. c. 1916); *idem,* Zur Ausbreitung des Christentums in Asien (l. c. 1919). Cf. *A. Allgeier* in Katholik XCV (1916) 393 sqq.; XCVIII (1918 I) 234 sqq.; *H. Dieckmann,* Antiochien ein Mittelpunkt urchristlicher Missionstätigkeit (Aachen 1920) 38 sqq.; *A. v. Harnack**, Die Mission II[4] 683 sqq. — Pro Aegypto: *W. Schubarth,* Einführung in die Papyruskunde, Berlin 1918. — Materiam fere integram complectitur *A. v. Harnack**, Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten II[4] (Leipzig 1924) 618 sqq.; de quo cf. Stimmen aus Maria-Laach LXX (1906) 359 sqq. — De commercio et itineribus cf. *Th. Zahn**, Skizzen aus der alten Kirche. Weltverkehr und Kirche während der ersten drei Jahrhunderte (²Erlangen und Leipzig 1898) 1 sqq.; *A. Deissmann**, Paulus. Eine kultur- und religionsgeschichtl. Skizze, Tübingen 1911; *W. M. Ramsay* opera citata; *A. Steinmann,* Die Welt des Paulus im Zeichen des Verkehrs, Braunsberg 1915; *Alb. Herrmann**, Die Verkehrswege zwischen China, Indien und Rom um 100 n. Chr. in „Das Scherflein der Witwe" und seine Entsprechung im Tripitaka (Veröffentlichungen des Forschungsinstituts für vergleich. Religionsgesch. an der Universität Leipzig, 5. Heft, von *H. Haas** [Leipz. 1922] 157—163), cum tabula depicta, quae ostendit vias inter Romam et regna Indiae et Sinae; *K. Miller,* Itineraria Romana. Römische Reisewege an der Hand der Tabula Peutingeriana, Stuttgart 1916. — **2** De rationibus quibus *A. Harnack** (Kirchenverfassung 60 sqq.) infirmare conatur testimonium Ignatii cf. n. 533 sqq. — **3** De septem ecclesiis in Apoc. nominatis cf. *A. Michiels,* Évêques, in Dict. apolog. I 1769 sq.; *M. A. Fabre* in Revue Biblique II, 7 (1910) 162 sqq. 344 sqq.; *K. Kastner* in Theologie u. Glaube V (1913) 830 sqq.; *F. Steffen* in Katholik XCIV (1914 II) 276 sqq. 314 sqq. 424 sqq., XCV (1915 I) 41 sqq. — **4** De Chronica Edessena cf. *O. Bardenhewer,* Gesch. der altkirchl. Literatur I[2] 590 sqq.; *E. Hennecke**, Handb. zu den neutest. Apokryphen (¹1904) 153 sq., (²1924) 122 sqq.; *A. Baumstark,* Gesch. der syrischen Literatur (1922) 99 sq. (de valore historico Chronicae Edessenae). — **5** Cf. *H. Dieckmann* l. c. 46 sqq. Izates, princeps Adiabenes,auctore quodam Anania proselytus factus a legisperito Galilaeo, Eleazaro, eo adductus est, ut circumcisionem etiam admitteret. Helena autem, mater Izatis, Hierosolyma profecta non solum templum venerata est, sed etiam tempore famis magnis subsidiis egenos sublevavit. Ita *Iosephus,* Ant. 20, 2. — **6** De Abercii epitaphio cf. quae scripserunt *C. M. Kaufmann,* Handbuch der altchristl. Epigraphik (Freiburg 1917) 169 sqq.; *F. I. Dölger,* ΙΧΘΥC II Der heilige Fisch in den antiken Religionen und im Christentum (Münster 1922) 454 sqq. — **7** Cf. *L. Duchesne,* Le Liber Pontificalis I (Paris 1886) LXX sq.: *K. Holl**, Über Zeit und Heimat des pseudo-tertull. Gedichts adv. Marcionem (Sitzungsber. der Akad. d. Wiss. XXVII [Berlin 1918] 531 sqq.).

B. De indole iuridica episcopatus.

457. Aetatem apostolis posteriorem si quis comparat cum aevo apostolico, progressum certe quendam episcopatus facile deprehendet inde ab anno circiter 50 ad annum 150 usque; sed quaeritur, quo sensu. Estne evolutio intensiva seu epigenetica, qua scilicet ipsum munus tempore postapostolico paulatim efformatum est, an vero dumtaxat extensiva, quae in eo consistat, ut crescente numero ecclesiarum, numero etiam episcoporum aucto, in fontibus nostris crebrius nomina et sedes episcoporum appareant? Quodsi dein episcopatus certe iam saeculo I exeunte exsistebat et hinc pertingere dicendus est ad ipsam apostolorum aetatem: estne forte ab apostolis institutus? Si demum consensus istius temporis testatur episcopos primos ab apostolis institutos esse, ulterius quaeri potest, utrum munus episcopatus ab apostolis demum creatum sit, vi scilicet potestatis hierarchicae a Christo ipsis traditae, ita ut sit iuris humani (apostolici), an vero sit a Christo ipso institutum, ea scilicet forma, ut episcopi sint successores apostolorum in eorum munere essentali et ordinario, iuris dehinc divini. Responsum praebet quae sequitur assertio.

ASSERTIO 19. Consensus aetatis postapostolicae testatur non solum episcopos primos esse ab apostolis institutos, sed etiam eorum esse successores in munere apostolico ordinario; secundum quem consensum episcopi sunt hierarchici et iuris divini.

458. 1) *Episcopi* intelleguntur praepositi (monarchici) ecclesiae particularis, quales secundum assertionem praecedentem fuerunt circa medium saeculum II in omnibus ecclesiis localibus.

De *origine* iam horum episcoporum quaerentes affirmamus non solum institutionem eorum apostolicam sed etiam divinam. Et ex institutione quidem apostolica excluditur evolutio episcopatus naturalis, sequitur vero indoles eius hierarchica, quatenus munus episcopale traditur ab auctoritate hierarchica. Neque vero ex eadem institutione iam constat de origine episcopatus, sitne humana, profluens nimirum ex potestate iurisdictionis apostolorum, qui non solum primos episcopos posuerint in singulis ecclesiis, sed ipsum quoque munus crearint, an vero divina, eo quod munus episcopale institutum sit a Christo aeque atque apostolatus. Quam quaestionem ut solvamus, addimus alteram probationem, scilicet episcopos ab apostolis institutos esse tamquam eorum successores ideoque vere esse iuris divini. Cum enim successio (formalis; materialis respicit solum ordinem temporalem neque vero nexum iuris) sit suffectio in iura, bona, obligationes alterius,

substitutio scilicet novi subiecti loco prioris sine iuris mutatione, necesse est episcopos ut successores apostolorum intrare in ipsum munus apostolorum; munus autem apostolicum est originis et hinc etiam iuris divini; ergo et munus episcopale.

Successio tamen episcoporum apostolica non complectitur totam rationem apostolatus, qui et quatenus dicit immediatam vocationem, instructionem, missionem ex parte Christi et includit privilegia quaedam apostolis ut talibus data, puta infallibilitatem personalem doctrinae atque iurisdictionem extensive universalem; sed restringitur ad *munus apostolicum proprie dictum* seu *ordinarium*, ad quod exercendum apostoli a Christo electi et missi sunt. Ut nimirum continuarent et perficerent missionem et opus Christi redemptoris, magistri et prophetae, regis, ipse Christus suis apostolis tradidit potestatem triplicem cum triplici munere: sanctificandi, docendi, regendi homines. Hoc iam munus apostolicum in apostolis commisit simul eorum successoribus, episcopis dico. Iurisdictionem autem extensive universalem non transiisse ad episcopos ex hac assertione patebit; de infallibilitate vero agetur in tractatu de magisterio ecclesiastico, ubi ostendendum erit episcopos collegialiter quidem, in unione cum Pontifice Romano, constituere magisterium infallibile, singulos autem episcopos hac praerogativa non gaudere.

459. 2) Contendimus igitur probare secundum consensum aetatis postapostolicae episcopatum esse gradum hierarchicum, subordinatum quidem primatui Ecclesiae universalis, sed supremum in ecclesia particulari, idque ex positiva voluntate et institutione divina; de natura autem *monarchica* huius episcopatus non idem dici potest, quia fontes eam non eadem qua ipsum munus episcopale claritate testantur. Hinc factum est, ut duae nunc de ea habeantur sententiae, quarum altera affirmat ipsos iam apostolos instituisse regimen monarchicum ecclesiarum particularium, altera vero asserit formam regiminis initio non fuisse eandem in omnibus ecclesiis localibus; praeter ecclesias scilicet monarchice institutas exstitisse coetus, quos presbyterorum collegium (presbyterium) communi consilio rexerit. Decisio sane huius quaestionis petenda erit ex fontium testimonio, via igitur historica; nam *a priori* non videtur repugnare collegialitas episcoporum indoli hierarchicae. Certe non repugnat *pluralitas* episcoporum in eadem civitate, quam hodieque observare licet, sive inter se independentium, si nimirum fuerint diversi ritus, sive ab uno episcopo loci dependentium, si fuerint episcopi auxiliares vel etiam coadiutores (*CIC* 350). Neque de se *collegium* episcoporum obstat

rationi episcopatus, vel late dictum, si scilicet aliquis inter eos, qui omnes sunt ordinis episcopalis, emineat dignitate et auctoritate, vel stricte dictum, si nimirum omnes pari auctoritate instructi coetum aliquem particularem christianorum regunt. Repugnat tantummodo constitutio democratica et evolutio naturalis ad statum monarchicum.

Ergo interroganda sunt documenta historica, ex quibus modus agendi apostolorum appareat. Quae quidem non omni evidentia excludunt theoriam quasdam fuisse circa annum 100 ecclesias stricte collegialiter institutas; nihilominus simul testantur apostolos reliquisse posteris formam constitutam episcopatus monarchici.

460. Facta, quae afferri solent ad probandam indolem collegialem episcopatus, aut carent certitudine et claritate, aut innituntur silentio testium, aut non excludunt episcopatum vere monarchicum. Sunt autem fere haec: *Romae* dicuntur in aliquibus fontibus Linus et Cletus simul cum Clemente a Petro ordinati episcopatum gessisse (cf. Lib. Pont., *K* 1003 sq.; *Tert.*, De praescr. 32, *K* 192). Sed res non liquet, praesertim cum haec traditio neque sit unica neque fide dignior quam altera (cf. Schol. 2 assertionis praecedentis, n. 452 sqq.). — Porro inferunt ex silentio Clementis Romani in epistula, quam direxit ad ecclesiam *corinthiacam*, et Polycarpi in epistula ad *Philippenses* missa, istas ecclesias tunc temporis nondum fuisse monarchice institutas, sed servasse formam collegialem, quam olim vivo Paulo acceperint et sub episcopatu Pauli tenuerint. At licet res ipsa non careat interna quadam probabilitate, argumentum hoc e silentio recte quis iudicabit esse minoris efficacitatis quam ut possit quaestionem peremptorie decidere. Aliae enim explicationes non desunt, atque difficulter admodum admitti potest tunc temporis has ecclesias aliter ac ceteras esse institutas. — Tandem affertur organisatio ecclesiae *Aegypti*, quae per plura decennia habuisse dicitur plures personas episcopales, i. e. episcopali dignitate insignitas. Sed re inspecta apparet pluralitatem quidem episcoporum adfuisse, minime autem collegialitatem stricte dictam, quae excludit indolem monarchicam episcopi localis. Unus quippe fuit episcopus alexandrinus, ceteri vero ad instar „vicarii apostolici" (*CIC* 293 sqq.) administrabant ceteras terrae ecclesias mandato et auctoritate episcopi monarchici alexandrini[1].

461. 3) Ipsam indolem hierarchicam episcopatus eiusque originem divinam atque ius divinum *negant* praeter protestantes rationalistas (et modernistas: *D* 2053; 2091 sqq.) calvinistae et lutherani plurimi; tenent vero alii alio modo anglicani, episcopalistae, „ecclesia alta" quam vocant (High Church, Hochkirche; cf. n. 317).

Ita in Germania societas illa, quae se dicit „Hochkirchliche Vereinigung"[2], haec fere docet de Ecclesia: Ecclesiam institutam esse a Christo et ab

apostolis tamquam societatem visibilem ad salvandos homines. Qua talem eam habere munus docendi et sanctificandi (sacramenta). Constitutionem eius aptissimam esse episcopalem, utpote conformem Sacrae Scripturae, secundum quam ipsis primordiis religionis christianae ecclesiae episcopales institutae sint ab apostolis, qui fuerint certe authentici Christi interpretes et testes et insuper ducti a Spiritu Sancto. Hanc eandem dein constitutionem episcopalem ecclesiis, in quibus retenta sit, maximopere profuisse, abrogationem vero eiusdem plurima eaque gravissima damna coetibus protestantibus intulisse. Hinc redeundum esse ad hanc formam muneris vere pastoralis, quod in se uniat potestatem sanctificatoriam et magisterium. Adiungendam esse quidem muneri episcopali organisationem „synodalem" seu cooperationem quandam coetus christiani.

Assertio nostra tribus quasi gradibus et partibus probatur; sunt enim testimonia, quae exhibent institutionem episcoporum apostolicam, quae breviter in I parte absolventur. Alii dein testes loquuntur de origine et institutione divina muneris episcopalis; de quibus in II parte. In III demum parte ostendemus munus episcopale esse identicum cum munere apostolico proprio et essentiali seu ordinario quod vocatur.

I. Episcopi ab apostolis instituti sunt.

462. 1. Ex assertione praecedenti constat constitutionem episcopalem iam circa medium saeculum II in universa Ecclesia viguisse; aetate vero priore, decenniis scilicet primis saeculi II et ultimo saeculi I, longe plurimas ecclesias particulares episcopaliter, immo monarchice fuisse institutas. Exceptiones autem, si quae fuerint, erant rarae et restringuntur fere ad aliquas ecclesias paulinas; atque brevi tempore post has ipsas quoque ecclesias monarchice institutas fuisse docent fontes. Quodsi quaerimus, undenam haec organisationis forma ortum suum habeat, Actus iam apostolorum responsum dant haud obscurum, describentes scilicet *exemplar* alicuius *ecclesiae episcopalis monarchicae* in ecclesia prima et primaria, matre et matrice omnium ecclesiarum, a qua omnes tamquam soboles exortae formam didicerunt et tradiderunt, ecclesiam dico *hierosolymitanam*.

Quod factum si perpendatur atque componatur cum iis, quae omnes fontes uno quasi ore referunt de auctoritate *apostolorum*, certe manifestat originem huius organisationis episcopalis apostolicam, suadet insuper eandem esse originis divinae; nam „apostoli Christi" (1 Thess. 2, 7) non noverunt nisi Iesum Christum, eius verbum, eius voluntatem, eius auctoritatem.

Ex hac sola iam consideratione, quae cum Tertulliano fere argumentum *praescriptionis* appellari possit, apparet, quam longe a mente aetatis primitivae christianae absit quaelibet theoria evolutionis naturalis.

qualem asserunt rationalistae et modernistae (*D* 2091 sqq.), quaeque nullum fundamentum habet in consensu istius temporis, nullumque vestigium in fontibus, quod prodat huiusmodi evolutionis difficultates, controversias, lites. Plura postea in recensione singularum sententiarum protestantium (n. 543 sqq.).

Quae ita generali quadam ratione, *indirecta* potius et illativa, deduximus, luculenter comprobantur testimoniis *directis*. At quoniam haec magnam partem edicunt et institutionem episcoporum apostolicam et muneris episcopalis originem divinam simul, hac prima parte considerabimus aliqua tantummodo, eaque potius ut specimina habeantur, quam ut in re tam clara testium universitas afferatur.

463. 2. *Tertullianus* anno circiter 200 utitur contra haereticos sui temporis apostolicitate Ecclesiae et doctrinae tamquam argumento validissimo. Haec autem apostolicitas constat ex institutione et successione apostolica episcoporum. „Edant ergo (haeretici) origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt . . . et ceterae exhibent quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant" (De praescr. haer. 32; *K* 192). „Percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum praesident" (l. c. 36; *K* 194). Idem aliis locis et textibus asserit, e. g. in libris quos scripsit adversus Marcionem (4, 5; ed. *Oehler* II 165): „In summa . . . id verius, quod prius . . . quod ab initio . . . quod ab apostolis . . . quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum . . . (apud Corinthios, Galatas, Philippenses, Thessalonicenses, Ephesios, Romanos). . . . Habemus et Ioannis alumnas ecclesias. Nam etsi Apocalypsim eius Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit auctorem." „Hanc episcopatus formam apostoli providentius condiderunt, ut regno suo securi frui possent . . .?" interrogat Tertullianus (De fuga 13; ed. *Oehler* I 490) episcopos, qui se donis et tributis redimebant a persecutione.

De episcopis ab apostolo Ioanne constitutis agit etiam *Clemens Alexandrinus*, aequalis Tertulliani, et refert Ioannem post mortem Domitiani Caesaris Ephesum rediisse atque rogatum vicinas etiam gentes invisisse, „partim quidem, ut (in ecclesiis iam institutis) episcopos constitueret, partim vero, ut integras (novas) ecclesias disponeret et formaret, partim etiam, ut unumquem-

que eorum, quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret". (Quis dives salvetur [42, 2; *MSG* IX 648, *CB* ed. *Stählin* III 188]). — Simile quid exhibet *Fragmentum Muratorianum* quod nuncupatur, eodem fere tempore ortum, Ioannem scilicet „cohortantibus condiscipulis (apostolis) et episcopis suis" evangelium suum scripsisse (v. 10; *K* 157).

Inter quos episcopos fuit secundum *Irenaeum* (Adv. haer. 3, 3, 4) Polycarpus, „non solum ab apostolis edoctus . . . sed etiam ab apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis ecclesia, constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate. . . . Testimonium his perhibent quae sunt in Asia ecclesiae omnes et qui usque adhuc successerunt Polycarpo". *Tertullianus* autem paulo accuratius, ut solet, loquens, asserit Polycarpum ab Ioanne episcopum collocatum esse (De praescr. 32; *K* 192).

II. Episcopi sunt originis et institutionis divinae; hinc etiam iuris divini.

464. Origo muneris episcopalis divina, ut supra dictum est, eruitur ex episcoporum *successione apostolica*. Episcopi enim, si vere fuerint apostolorum successores, ipsa hac formali successione munus eorum acceperunt; iamvero munus apostolorum est originis divinae. Ergo etiam episcopatus. Alia quidem nomina, idem autem munus, si eius essentia respicitur. Alia quippe dignitas apostolorum ex vocatione et missione Christi immediata; non autem alia potestas nisi eatenus, quatenus eius exercitium plenius singulis apostolis commissum erat quam singulis episcopis. Apostoli enimvero singuli magisterium authenticum et infallibile exercuerunt vi charismatis personalis; episcopi tantummodo collecti cum episcopo romano sunt infallibiles. Apostoli gaudebant iurisdictione extensive (non intensive) universali; episcopi praesunt singuli singulis ecclesiis.

Successio itaque episcoporum apostolica cum sit argumentum peremptorium, imprimis inspiciendi sunt et examinandi catalogi et series episcoporum in antiquissimis fontibus servati, quos iam attulimus in Scholio 2 assertionis praecedentis (n. 453 sq.); dein ad priora quaedam testimonia transibimus.

465. 1. *Catalogi episcoporum.* — Idea *successionis* non est scriptoribus christianis propria, sed iam pridem historicis familiaris. Successiones *regales* testabantur alicuius regni et dynastiae legitimitatem. Ita successores et heredes Alexandri Magni, regis Macedonum, nomine fere proprio vocabantur „diadochoi", Lagidas dico et Seleucidas et Antigonidas et Attalidas in regnis novis hellenisticis quae vocantur, Aegypti, Syriae, Macedoniae, Pergami.

A vita politica transsumpta est vox et idea successionis ad *scholas philosophicas*[3], qua scilicet earum unitas atque integritas doctrinae manifestaretur. Eadem dein recurrit in fontibus *christianis* inde ab initio (cf. Scholion 1, n. 478 sqq.) vario sensu et varia applicatione. *Serapion* episcopus antiochenus asserit evangelium (apocryphum) Petri esse in usu apud haereticos quosdam, quos vocat „successores" doketarum (apud *Eus.*, Hist. eccl. 6, 12, 6): montanistae provocabant ad successionem spiritus prophetici a prophetis N^i T^i per Quadratum et Ammiadem Philadelphensem usque ad pseudoprophetissas Priscam et Maximillam (5, 17, 4). Ipse vero Eusebius in praefatione Historiae ecclesiasticae (*K* 422 sqq.) promittit se prosecuturum esse „successiones sanctorum apostolorum", et descripturum quae gesta fuerint inde ab aetate Christi usque ad sua tempora, series videlicet episcoporum, qui praefuerint celeberrimis ecclesiis, testium deinde, qui vel ore vel scriptis doctrinam veram promoverint, sed etiam haereticorum atque persecutorum necnon martyrum Christi. Successiones autem sensu proprio non vocat nisi ecclesiarum apostolicarum, episcoporum scilicet, e quibus aliquas, celebriorum nempe, allegabit (1, 1, 3; *K* 423). Hae iam ecclesiae sunt hierosolymitana, alexandrina, antiochena, romana (cf. *Ass. 18*, Schol. 2, n. 453). Quarum ecclesiarum episcopos fuisse successionis apostolicae in opere suo ostendit. Hierosolymitanum episcopatum nempe accepit Simeon a Iacobo (3, 11; 3, 22); alexandrinam ecclesiam, fundatam a Marco, apostolorum discipulo, successione regendam suscepit Annianus (2, 24; cf. 3, 14); antiochenae porro ecclesiae primi episcopi erant Euodius et Ignatius (3, 22), successores Petri (3, 36, 2); romanae vero primi post apostolos praeerant Linus (3, 2: cf. 3, 4), Anacletus (3, 13), tertio loco Clemens (3, 15), ut successores Petri (3, 4, 8 sq.).

De *fide* iam horum catalogorum Eusebii si quaeramus, dicendus erit Eusebius bonos adhibuisse fontes et quidem sat critice; distinguit enim probe inter fontes fide dignos et traditiones magis minusve certas, ut e. g. de Marci prima praedicatione alexandrina (2, 16: φασίν). Et hi quidem fontes partim sunt ipsa archiva[4] publica vel ecclesiastica, quae iam pridem in ecclesiis saltem maioribus adfuisse certum est, partim vero fontes secundarii, litterarii nempe, qui iam ipsos catalogos exhibebant: fortasse Iulii Africani, certe Irenaei et Hegesippi.

De Chronographiis *Sexti Iulii Africani* iam erat sermo (*Ass. 18*, Schol. 2, n. 452). Quodsi Eusebius album episcoporum romanorum et alexandrinorum ex ipsis mutuatus est, bono certe usus est duce, viro videlicet erudito atque in re chronographica versato, qui et terras longinquas potissimasque ecclesias vidit et commercium fovit cum viris egregiis suae

aetatis, ut e. g. cum Origene. Edessenam etenim ecclesiam petiit anno circiter 195, in bello scilicet contra Osroenem sub imperatore Septimio Severo (193—211); quo tempore amicitiam contraxit cum rege edesseno Abgaro IX, christiano; Alexandriam deinde venit, ut ibi audiret Heraclam, qui tunc temporis, absente Origene, praefuit scholae christianae alexandrinae; postmodum autem degit Nicopoli palaestinensi (Emmaus) atque loca sancta omnia novit, imprimis igitur Urbem sanctam; Nicopoli Romam missus, ibidem rogatus ab imperatore Severo Alexandro (222—235) bibliothecam instruxit in aede Pantheon[5].

466. *Irenaei* opera Eusebius optime novit, permagni aestimavit, large adhibuit. Catalogum episcoporum romanorum excerpsit (Adv. haer. 3, 3, 3; *Eus.*, Hist. eccl. 5, 6; *K* 126); iure quidem, nam Irenaei testimonium est praeclarum. Et primum quidem ex condicione et auctoritate *personali,* qua gaudet Irenaeus, quippe qui non solum per Polycarpum coniunctus erat aetati apostolorum atque eorum traditione imbutus, sed etiam Ecclesiam sui temporis bene novit, qua oriundus ex Asia, qua episcopus lugdunensis Galliae, qua missus ad ecclesiam romanam eiusque episcopum Eleutherum, commercio denique epistulari, quod fovit cum plurimis episcopis (5, 4, 1 sq.; *K* 65; 5, 20, 5 sq.; *K* 96; 5, 24, 9 sqq.; *K* 97 sqq.). Ipsum dein *testimonium* continet assertionem formalem successionis episcoporum apostolicae. Traditio apostolica veritatis christianae constat, ita Irenaeus, ex episcoporum serie, quos apostoli ut „successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes" (3, 3, 1; *K* 124). Hinc episcopis debetur oboedientia, presbyteris nimirum, „qui successionem habent ab apostolis" et „cum episcopatus successione charisma veritatis certum" (4, 26, 2; *K* 136). Itaque vera „gnosis" est doctrina sapostolorum, quae cognoscitur sicut et character corporis Christi, secundum successiones episcoporum, quibus illi (apostoli) eam quae in unoquoque loco est ecclesiam tradiderunt" (4, 33, 8). Polycarpus, ab apostolis edoctus atque episcopus Smyrnaeorum constitutus, est talis testis traditionis apostolicae, quam successoribus suis tradidit (3, 3, 4); imprimis autem ecclesia romana eiusque episcopi (3, 3, 3; *K* 126), quae prae ceteris et per se sola est omnibus fidelibus argumentum efficacissimum traditionis genuinae et doctrinae apostolicae. Quod testimonium Tertullianus suum fecit atque Clemens Alexandrinus confirmavit (cf. n. 463).

Hegesippus in suis memorabilibus eundem sibi finem proposuit, scilicet ostendere vult, quo pacto quis pervenire possit ad doctrinam rectam (ὀρθὸς λόγος); ipse enim in itinere suo plurimas invisit ecclesias easque tales, quae successione suorum episcoporum ascendunt usque ad illam veritatem, quam Lex praedicat et

prophetae et Dominus. In serie igitur testium sibi succedentium non soli episcopi continentur sed ipsi quoque apostoli, qui immediate a Domino fidem acceperunt (*Eus.,* Hist. eccl. 4, 22, 1 sqq. *K* 69 sq.). Quoniam istud iter factum est circa annum 160, tempore scilicet Aniceti, patet tunc temporis argumentum ex successione apostolica episcoporum iam fuisse agnitum, hinc antea ortum; id quod confirmant testes priores.

467. 2. *Testimonia priora*[6]. — Consideranda erunt imprimis effata Ignatii episcopi antiocheni, et Clementis episcopi romani, quibus adiungimus Apocalypsim Ioannis apostoli.

Ignatius, coaevus apostolorum, mortuus ut martyr Christi Romae ante annum 117, fortasse, sicut indicat eius „martyrium", anno 107, erat episcopus „ecclesiae antiochenae in Syria" (ad Phil. 10, 1; ad Smyrn. 11, 1; ad Pol. 7, 1), vel etiam Syriae (ad Rom. 2, 2; cf. ad Eph. 21, 2; ad Magn. 14; ad Trall. 13, 1), ecclesiae (Pauli et) Petri (*Eus.,* Hist. eccl. 3, 36, 2), vir maximae auctoritatis inter christianos et propter indolem episcopalem et propter dignitatem martyrii. In itinere suo, Antiochia Romam usque, plurimas vidit ecclesias, aliquibus etiam ex iis epistulas scripsit, quae a christianis grato animo acceptae et mox in unum collectae sunt (Polyc. ad Phil. 13). Itaque Ignatius vere testis nobis exstitit ecclesiae et orientalis et occidentalis[7].

De episcopatus autem *origine divina* indirectum quidem sed sat clarum testimonium exhibet eo quod episcopos aequiparat apostolis. a) Et de ipso *munere episcopatus* quidem haec fere docet: Episcopi per totam Ecclesiam „usque ad terminos terrae constituti" sunt (ad Eph. 3, 2), ita quidem, ut singuli (monarchice) singulis ecclesiis praesint (passim in omnibus epistulis); quapropter unitatem fidelium derivare potest ex unitate episcopi: „. . . una eucharistia uti; una enim est caro Domini . . . et unus calix . . . unum altare, sicut unus episcopus . . ." (ad Philad. 4. *K* 19). Hinc iam aequiparat fere ecclesiam cum episcopo: „Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo (fidelium) sit, quemadmodum, ubi fuerit Christus Iesus, ibi est catholica Ecclesia" (ad Smyrn. 8, 3. *K* 21; cf. ad Eph. 5, 2). Ex quo sequitur: „Absque his (episcopo cum presbyteris et diaconis) nullus coetus fidelium nomen ecclesiae meretur" (ad Trall. 3, 1).

Episcopus regit suam ecclesiam (particularem), munere fungens et *sanctificandi* (e. g. Smyrn. 8. *K* 21: Eucharistia et baptismus administrari non debent sine episcopo) et *docendi* (fideles, qui sunt ex parte episcopi, non errant [ad Trall. 7; ad Magn. 13], siquidem episcopi sunt „in sententia Iesu Christi" [ad Eph. 3, 2],

i. e. inter se consentientes sunt infallibiles) et *regendi* (cf. quae Ignatius scribit Polycarpo de officiis episcopi: ad Pol. 2 sqq.). Summatim denique omnia complectitur verbum istud: „Sine episcopo nil faciatis!“ (ad Philad. 7, 2; cf. ad Trall. 2, 2; ad Smyrn. 8, 2. *K* 21).

468. *Unde* haec talis ac tanta *auctoritas* episcopi? — Respondet Ignatius variis locis et modis. Et in genere quidem asserit episcopum esse *vicarium Christi et Dei,* qui praesidet loco Dei (ad Magn. 6, 1. *K* 20), omnium summi episcopi (ad Magn. 3, 1). „Bonum est Deum et episcopum honorare. Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est; qui clam episcopo aliquid agit, diabolo servit“ (ad Smyrn. 9, 1). Ergo similis prorsus relatio intercedit inter episcopos et Christum ac inter *apostolos* et Christum. Quod idem etiam clarius apparet ex epistula Ignatii ad Ephesios. Qui, ut Ephesios efficaciter moveat ad unionem cum episcopo fovendam atque episcopi sententiam et voluntatem sequendam (4, 1), asserit episcopos esse in sententia Christi sicut Christum in sententia Patris. Quicumque igitur secutus fuerit episcopum, certus est se Dei voluntatem implere (3, 2). Undenam haec auctoritas episcopi? Quia missus est (πέμπειν) a patrefamilias (οἰκοδεσπότης) ad gubernandam familiam (οἰκονομία); hinc eum „ita suscipere (δέχεσθαι) debemus ac ipsum mittentem. Manifestum est igitur, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum“ (6, 1). — Eadem verba eodem sensu Christus dixit apostolis suis Matth. 10, 40: „Qui recipit vos, me recipit . . .“, et Luc. 12, 42: „Quis . . . est fidelis dispensator . . . quem constituit dominus supra familiam suam . . .?“ — Paulo post Ignatius prosequitur: „Sed neque auditis aliquem amplius (quam episcopum), siquidem Iesus Christus re vera ad vos (per episcopum) loquitur“ (6, 2). — Christus dixit apostolis suis: „Qui vos audit, me audit . . .“ (Luc. 10, 16), et Paulus scribit ecclesiae Thessalonicae: „. . . a nobis verbum auditus Dei accepistis . . . non ut verbum hominum, sed (sicut vere est) verbum Dei . . .“ (1 Thess. 2, 13).

Sicut igitur apostoli vocati sunt a Christo ut sui vicarii ad certa munera subeunda, eodem modo ad eadem munera vocantur in eadem Ecclesia episcopi, quorum collegium per mundum dispersum intime cum Christo coniunctum est, non secus ac collegium apostolorum cum Domino, qui „sine Patre, ipsi unitus, nihil fecit, neque per se ipsum, neque per apostolos“ (ad Magn. 7, 1; cf. 13, 2). Ergo vere et plene *episcopi in locum apostolorum successerunt,* insigniti propterea „charactere apostolico“ et ipsi (ad Trall. inscr.). Hinc intelleguntur verba Ignatii perpulchra, quibus totam quodam-

modo oeconomiam salutis compendiose comprehendit in Christo, qui „ipse est ianua Patris, per quam ingrediuntur Abraham et Isaac et Iacob et prophetae et apostoli et ecclesia“ (ad Philad. 9, 1), i. e. episcopi.

469. Epistula *Clementis* Romani ad Corinthios scripta est circa annum 96, ad ecclesiam igitur paulinam, quae teste Dionysio, episcopo corinthiaco, admonitioni obtemperavit (*Eus.,* Hist. eccl. 4, 23. *K* 62). Polycarpus hac epistula Clementis in sua ad Philippenses scripta usus est [8]. Hegesippus eandem novit (4, 22, 1. *K* 69; cf. 3, 16). Saeculo II vel III versa est in linguam latinam (ed. *Morin* 1894); antea iam legi consuevit in ecclesia corinthiaca (teste Dionysio apud *Eus.,* Hist. eccl. 4, 23, 11. *K* 62) multisque aliis (3, 16; cf. 3, 38, 1). Irenaeus ad eam provocat tamquam ad traditionem recenter ab apostolis acceptam (Adv. haer. 3, 3, 3); Clemens Alexandrinus (Strom. 4, 17, *MSG* VIII, 1312; *CB* ed. *Stählin* II 294) aliique scriptores ecclesiastici eam magni faciebant [9].

Ipsa quidem epistula non nominat Clementem auctorem sed solam ecclesiam romanam, quae scribit ecclesiae Corinthi; attamen ex traditione historica certum est Clementem hanc epistulam composuisse (ita Dionysius Cor. l. c., Clemens Alex. l. c.) et quidem ut episcopum romanum (ita, ut videtur, Hegesippus, certe Irenaeus l. c.). Accedit testimonium grave Pastoris Hermae, qui, ut est generis apocalyptici, scriptus esse praetendit tempore Clementis; etenim non solum eadem fere utitur terminologia in describendis muneribus ecclesiasticis (cf. n. 476), sed etiam ipsum Clementem supponit esse inter vivos, insuper eum praeesse ecclesiae romanae et quidem dignitate et munere superiore presbyteris. „Scribes igitur (ita Ecclesia—anus ait Hermae) duos libellos (qui contineant verba prophetica vel divina) et mittes unum Clementi. . . . Mittet ergo Clemens in exteras civitates; illi enim mandatum est“ (Vis. 2, 4, 3).

470. Ansa istius epistulae erat „seditio impia et detestanda“ (1, 1) facta in ecclesia corinthiaca a quibusdam iunioribus contra presbyteros, quam Clemens severe carpit, utpote peccatum haud parvum (44, 4). Et in priore quidem parte (4—36) potius in genere loquitur de funestis sequelis invidiae et zeli iniqui; in altera autem (37—61) de ipsa iam seditione agit eamque pugnare cum Ecclesiae indole et natura, quam ex institutione Dei habet, ostendit. Comparat enim Ecclesiam exercitui eiusque militibus, qui ordinate, oboedienter, submisse imperata exsequuntur (37, 1—3); „unusquisque vero in suo ordine et statione, quae a rege et ducibus imperantur, peragit“. Exemplo etiam est corpus humanum, in quo „cuncta conspirant et una se subiciunt, ut salvum sit totum corpus. Servetur itaque totum corpus nostrum

in Christo Iesu . . ." (37, 5; 38, 1; cf. 1 Cor. 12, 12 sqq.; Rom. 12, 3 sqq.). Clarius etiam loquitur in comparatione Ecclesiae cum hierarchia V^{is} T^{i}. Officia sacra fieri debebant statutis temporibus, „ubi etiam et a quibus ea celebrari vult, ipse (Deus) excelsissima sua voluntate definivit . . ." (40, 3). Eadem autem est condicio muneris presbyteri vel episcopi in Ecclesia, hierarchica nempe et quidem vi institutionis divinae. Christus enim missus est a Patre, „apostoli a Christo . . . (qui) per regiones . . . verbum praedicantes primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crederent . . . (quia iis) in Christo a Deo hoc munus commissum fuit . . ." (42, 1—4; 43, 1. *K* 12). „Ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum (illi? ipsi?) decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent (διαδέξωνται). Itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia . . ., hos iudicamus munere suo non iuste deici" (44, 2 sq. *K* 13).

Clemens igitur et successionem apostolicam presbyterorum—episcoporum indicat et institutionem divinam muneris eorum; de indole autem monarchica non loquitur, vel quia, ut plurimi putant, episcopi plures forte quadam collegialitate gubernarunt ecclesiam corinthiacam, vel quia ob rationes nobis non notas episcopum monarchicum nominare noluit. Res non liquet.

471. *S. Ioannis* apostoli *Apocalypsis* sat clare asserit indolem non solum episcopalem et monarchicam sed etiam hierarchicam et divinam „angelorum", quibus Ioannes nomine et mandato Christi septem istas epistulas scribit. Ipse enim Christus habet in manu sua stellas (1, 16), quae lucescunt in septem candelabris (1, 20). Ergo si iam candelabra ut ecclesiae sunt Christi (1, 13; 2, 1), quanto magis stellae-angeli-episcopi, quos in dextera sua tenet, sine quibus candelabra munere et fine suo fungi haud possunt. Hinc intelleguntur verba ista, quae diriguntur angelo Ephesi: „Age paenitentiam . . . sin autem, venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo . . ." (2, 5. Cf. n. 442).

Quae testimonia, Ignatii dico, Clementis, Ioannis, cum eodem fere tempore scripta sint, optime inter se confirmant et complent.

Ex aetate apostolica eiusque documentis huc potissimum spectant epistulae *Pauli pastorales;* eatenus scilicet, quatenus ostendunt Timotheum et Titum a Paulo esse constitutos et Pauli auctoritate instructos, qui dein et ipsi presbyteros—episcopos singulis ecclesiis praeficerent. Institutio igitur apostolica quam clarissime constat, neque tamen successio apostolica formalis, dum Paulus adhuc ipse curam gereret omnium suarum ecclesiarum. — *Iacobus* autem, qui et ipse apostolus [10] et successor apostolorum in regenda ecclesia hierosolymitana eiusque episcopus monarchicus

fuit, identitatem muneris apostolici et episcopalis ad oculos videtur demonstrare.

Et haec quidem sunt testimonia historica et positiva principalia, quibus *confirmationis* gratia addi potest *illatio* aliqua obvia ex iis, quae de voluntate Christi supra dicta sunt. Christus scilicet voluit Regnum Dei esse et localiter et temporaliter universale (*Ass. 8;* n. 205 sqq.), Ecclesiam vero suam perennem usque ad finem huius saeculi (*Ass. 15;* n. 378 sqq.), ea nimirum forma qua ipse eam instituit, quam rite apostolicam vocare possumus; consequenter voluit, ut mortuis apostolis alii in eorum locum succederent ipsorum munus obituri. Iamvero documenta christiana omnia inde a tempore apostolorum episcopos eosque solos haec munera gessisse, imprimis vero ecclesiis praefuisse, affirmant. Ergo episcopi sunt veri successores apostolorum atque ut tales institutionis divinae.

III. Vi successionis apostolicae munera apostolorum essentialia (ordinaria) ad episcopos transierunt.

472. Sensus istius incisi est *positivus;* vi successionis apostolicae munera apostolorum essentialia ad episcopos transierunt, potestas scilicet sanctificandi, docendi, regendi. Quoniam vero de potestate sanctificandi agendum erit in tractatu de sacramentis, de potestate dein docendi in tractatu de magisterio Ecclesiae, huius loci erit imprimis ostendere episcopos gaudere vera auctoritate et iurisdictione.

De *praerogativis,* quae apostolis sunt propriae, praecise in quantum sunt Christi discipuli immediati atque fundatores Christi Ecclesiae primi et primarii, hac assertione non diserte agimus. Elucet tamen ex hac atque ex praecedenti assertione iurisdictionem episcoporum aliter ac apostolorum restrictam esse ad ecclesiam aliquam particularem; in tractatu porro de magisterio ecclesiastico ostendendum erit neque infallibilitatem personalem apostolorum transiisse ad episcopos singulos, qui collegialiter dumtaxat gaudent hoc charismate.

Ipsa iam affirmatio huius partis non indiget nisi *explicatione,* cum plene contineatur in praecedenti, in ipso scilicet facto successionis apostolicae episcoporum. *Ignatii* testimonium insuper in extenso allatum est, secundum quod episcopus est monarcha suae ecclesiae eam gubernans atque omnem vitam eius dirigens, cultum et doctrinam et totam vitae christianae et ecclesiasticae rationem, ut pastor et rector, cui omnes subduntur sive fideles (ad Eph. 2, 2; ad Magn. 3, 2) sive diaconi (ad Magn. 2) sive etiam presbyteri (ad Magn. 3, 1; ad Trall. 12, 2). Ipsi ergo episcopi dispersi per orbem (ad Eph. 3, 2) regunt Ecclesiam Dei, praesidente ecclesia romana (ad Rom. insc.), sicut antea apostoli sub Petro.

Comparatio *presbyterorum* cum *apostolis,* quae aliquando in Ignatii epistulis occurrit (ad Trall. 2, 2; 3, 1; ad Philad. 5, 1), non est absoluta, quasi presbyteri sint successores apostolorum, sed relativa, scilicet relate ad episcopum; sicut nempe apostoli constituunt quodammodo „senatum Dei" (ad Trall. 3, 1), ita presbyteri senatum episcopi.

473. *Clemens Romanus* asserit in sua epistula non solum omnimodam aequalitatem missionis Christi et apostolorum, sed etiam eorum, qui ab apostolis instituti curam postmodum credentium susciperent. Ex quorum muneribus speciatim nominat regimen ecclesiae, cui oboedientia debetur. Hinc seditio iuniorum vocatur impia (1, 1), turpis ac christiane vivendi ratione indigna (47, 6), quae ipsam salutem in discrimen vocat (45, 1). Hinc intelleguntur nomina, quibus hi successores apostolorum vocantur: praepositi (ἡγούμενοι: 1, 3; προηγούμενοι: 21, 6), quibus subiectio et reverentia praestandae sunt, presbyteri (1, 3; 3, 3; 21, 6; 44, 5; 47, 6; 54, 2; 57, 1) vel episcopi (42, 4 sq.; cf. 44, 1).

Angelos vero septem ecclesiarum, quos alloquitur Ioannes in *Apocalypsi,* esse vere pastores, qui fideles doceant, corroborent in fide, dirigant in via et omni ratione vitae christianae et ecclesiasticae, singulae epistulae ostendunt. Idem plane dicendum est de epistulis Pauli *pastoralibus,* secundum quas Timotheus et Titus, licet nequeant dici veri successores Pauli quamdiu apostolus vixerit, tamen more episcopali ecclesias sibi creditas regunt atque vicissim singulis ecclesiis praepositos praeficiunt, qui qua rectores, qua magistri, qua dispensatores mysteriorum Dei earum curam gerant. Cum vero Paulus has epistulas scripserit atque organisationem suarum ecclesiarum instituerit iamiam discessurus ex hac vita, recte concludimus Paulum hasce suas dispositiones considerasse ut definitivas, qui valorem suum retinerent, ita ut hi discipuli post mortem Pauli veri successores eius evaderent.

Scholion 1. De reliquis fontibus aetatis postapostolicae.

474. Praeter fontes supra consideratos sunt alii, qui minus clare loquuntur de episcopis vel etiam de iis silent; quos imprimis considerari oportet, ne quid desit argumento nostro eiusque integritati. Adiungamus dein pauca testimonia temporis posterioris.

1. *Testimonia priora*[11]. — *Didache* seu doctrina duodecim apostolorum parum habet de organisatione ecclesiarum. Praeter apostolos et prophetas, qui de ecclesia in ecclesiam peregrinantes christianis suo charismate inserviebant atque ut tales munere fungebantur non locali sed universali (11, 3 sqq. *K* 4), commemorantur prophetae et magistri stabiles (13). Qui si in qua ecclesia defuerint, in eorum locum a membris ecclesiae eligendi esse

dicuntur episcopi et diaconi digni Domino et probati, qui dein ministerium impleant prophetarum et magistrorum, i. e. docendi: „Ne igitur contemnatis eos; ipsi enim sunt honorati inter vos una cum prophetis et doctoribus“ (15. *K* 6). Tunc igitur temporis dona charismatica adhuc florebant in pluribus ecclesiis, ita ut a populo ipsi pneumatici pluris aestimarentur quam episcopi-presbyteri. De hisce pro dolor ex verbis Didache nil fere discimus. Actus electionis (χειροτονεῖν, cf. n. 426 not. 7) exercetur a populo; quisnam in concreto munus detulerit electo, non dicitur (cf. n. 479). Clare autem alludit auctor ad Phil. 1, 1; 1 Tim. 3, 2 sqq.; cf. etiam Clementis ad Rom. 42, 2; 44, 2. — De episcopo monarchico tacet.

475. *Polycarpus*, episcopus smyrnaeus iam circa 110 (*Ignat.*, Ad Magn. 15; ad Pol. inscr.), qui per Ioannem apostolum est testis primarius traditionis (*Iren.*, Epist. ad Florin., apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 20, 5 sq. *K* 96), in senectute petiit Romam tempore Aniceti (*Iren.*, Epist. ad Vict., apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 16. *K* 100), paulo post martyr Christi gloriose occubuit anno 155, scripsit paucis mensibus post Ignatii transitum epistulam ad ecclesiam philippensem olim a Paulo fundatam, in qua meminit solorum presbyterorum et diaconorum, neque vero episcopi philippensis. Diaconi digne suo munere ambulent (5, 2), omnes vero christiani subiecti sunto presbyteris et diaconis „tamquam Deo et Christo“ (5, 3). Presbyterorum dein perstringit officia, quae spectant imprimis regimen ecclesiae ac omnimodam curam vitae christianae et socialis (6, 1), e quorum numero unus, Valens, oblitus dignitatis suae, in avaritiam incidit (11). — Numquid ista ecclesia episcopo caruit? an silentium alio modo explicari poterit? Quaestio sane non est facile decidenda; sed cum argumentum e silentio cautiones maximas requirat, potius dixerim non constare ex hac epistula ecclesiam Philippensium non fuisse episcopaliter institutam, cum ne hoc quidem constet ipsi defuisse episcopum monarchicum. Nonne ex inscriptione huius epistulae, quae tamquam eius auctorem nominat „Polycarpum et qui cum eo (sunt) presbyteri ecclesiae Dei“, eodem argumento inferri posset ecclesiam smyrnaeam fuisse collegialiter institutam, cum tamen certum sit Polycarpum fuisse eius ecclesiae episcopum monarchicum?

Simile quid valet de testimonio epistulae *secundae Clementis* quae vocatur, quae neque est epistula sed homilia quaedam, neque a Clemente Romano composita sed temporis posterioris, forte ex medio saeculo II, Corinthis orta. Auctor loquitur incidenter de presbyteris, qui regunt ecclesiam, fideles instruunt atque ad vitam christianam adhortantur: „Vae nobis, quoniam . . .

neque oboedivimus presbyteris de salute nostra praedicantibus" (17, 5; cf. 17, 2). Iam cum medio saeculo II ecclesia corinthiaca fuerit episcopaliter et monarchice instituta (cf. supra n. 439), patet, quid ex silentio huius homiliae erui possit. Hoc unum sequi videtur: tunc temporis nomen presbyteri nondum exclusive adhiberi de presbyteris tamquam gradu hierarchico inferiore episcopo.

476. *Pastor Hermae* qui vocatur absolutus quidem videtur esse circa medium saeculum II „sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre eius" (Fragm. Murat. v. 75 sqq. *K* 162); sed admitti potest totum opus paulatim concrevisse. De organisatione localis ecclesiae [12] quid contineat, iam praelibavimus; scilicet scribens eo tempore, quo teste Fragm. Murat. episcopus ecclesiam romanam gubernavit, ipse Hermas attribuit Clementi dignitatem episcopalem atque monarchicam (supra n. 469). Praeterea nominantur pastores (Sim. 9, 31, 5 sq.), praepositi (προηγούμενοι: Vis. 2, 2, 6; 3, 9, 7; προϊστάμενοι: 2, 4, 3, scilicet presbyteri qui praesunt ecclesiae); presbyteri habent sedem principaliorem (Vis. 3, 1, 8); episcopi enumerantur post apostolos cum doctoribus et diaconis, qui omnes adhibentur ut lapides in aedificationem turris, siquidem „ambulaverunt in sanctitate Dei et episcopatum gesserunt et docuerunt et ministraverunt caste et sancte electis Dei . . ." (Vis. 3, 5, 1). Alibi (Sim. 9, 27, 2) officium episcopi dicitur esse ministerium inopum et viduarum et hospitum. Licet igitur ex hisce locis certum quid de organisatione aegre deducere valeamus, cum Pastor nomina adhibeat eadem fere ac Clemens in sua epistula, tamen videtur aliqua ratione indicare munus episcopale successisse apostolatui.

Iustinus meminit in priore sua apologia conventus eucharistici, qui celebratur ab aliquo qui praeest fratribus (προεστὼς τῶν ἀδελφῶν); postea qui dicuntur diaconi distribuunt panem et vinum populo (λαός, 65. *K* 54); ex Actis Iustini constat plures iam tunc temporis Romae celebrari conventus; nam interroganti praefecto romano Rustico: „Ubi convenitis?" respondit: „Ubi cuique voluntas vel facultas est" (ed. *Otto* III 270).

De *Epistulae apostolorum,* quae anno 1919 a *K. Schmidt* [13] ex textu coptico mutilato adiuvante fragmento latino et recensione aethiopica publicata est, origine non constat inter doctos, neque de eius patria neque de tempore quo composita est. Convenit haec epistula apocrypha cum Pastore Hermae in eo quod ipsa quoque, cum scripta esse velit mox post Iesu Christi resurrectionem, non describat condiciones sui temporis sed apostolici; hinc

nil refert de organisatione Ecclesiae nisi eius indolem apostolicam; apostolorum vero munus triplex aliqua ratione indicatum invenies in eorum nominibus: patris scilicet, quia hominibus res caelestes revelant; ministri seu diaconi, quia in baptismate hominibus remissionem peccatorum impertiuntur; magistri denique, quia hominibus tradunt „verbum eosque dirigunt in vita religiosa degenda“ (c. 42. Texte u. Unters. XLIII 132 sqq.).

477. 2. Ex testibus temporis *posterioris* [14] pauci loci afferantur, qui exhibent triadem organisationis ecclesiae localis: episcopum, presbyteros, diaconos. — *Tertullianus* (de quo iam supra n. 463): „Dandi (baptismum) quidem habet ius summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate“ (De bapt. 17; ed. *Oehler* I 635). Aliter longe est apud haereticos: „Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes . . . Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus“ (De praescript. 41; ed. *Oehler* II 39).

Clemens dein *Alexandrinus* (Strom. 6, 13; *MSG* IX, 328 sq.; *CB* ed. *Stählin* II 485): „Hic quoque in (unaquaque) ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriae angelicae et illius oeconomiae ac dispensationis, quam dicunt scripturae exspectare illos, qui, insistentes vestigiis apostolorum, vixerunt in perfectione iustitiae convenienter evangelio“ (cf. Paed. 3, 12; *MSG* VIII, 677; *CB* ed. *Stählin* I 289). — *Origenes* tandem: „Vidit et sedem puerorum eius. Ecclesiasticum puto ordinem dicit, qui in episcopatus vel presbyterii sedibus habetur. Vidit et ordinationes sive stationes ministrorum eius; Diaconorum, ut mihi videtur, ordinem memorat astantium divino ministerio“ (in Cant. II; *MSG* XIII, 107). „Praeter haec omnia . . . est aliquod debitum viduae, cuius ecclesia curam gerit; item aliud diaconi, aliud presbyteri; episcopi denique debitum gravissimum est, quod repetitur a totius Ecclesiae salvatore et iudicio vindicatur, ni reddatur“ (De orat. 28, 4; *MSG* XI, 524; *CB* ed. *Koetschau* II 377; cf. In Ez. hom. 8, 1; *MSG* XIII, 729).

Scholion 2. De idea successionis.

478. Idea successionis, aetati, qua primum evangelium propagabatur, quam maxime familiaris atque in usu tum in populo Israel tum apud gentes alias, nihilominus dici nequit a religione christiana ullo umquam tempore fuisse aliena, ita ut mutuata esse admittatur. Licet enim vox successionis in dictis Domini non occurrat, res tamen clare habetur, in missione scilicet, quam

Christus accepit a Patre atque suis apostolis transmisit: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos!“ (Io. 20, 21; cf. 4, 34 38; 13, 20; 17, 7 18; Matth. 10, 40 sqq.; 28, 18 sqq.) Missio igitur Filii (cf. Matth. 11, 27; 28, 18) transit ad apostolos Iesu Christi, qui eatenus, quatenus eandem ac Christus missionem exsequi debent, veri successores Christi dici possunt. Neque Spiritus Sanctus, qui apostolis promittitur, hanc successionem intercidit; nam Spiritus apostolis atque Ecclesiae mittitur a Patre et Filio, ut Christi missio per apostolos continuetur et perficiatur. Hinc est quod ipse Christus suis assistat (Matth. 28, 20) per Spiritum Sanctum (Io. 14, 16 sq.), qui proinde non sua apostolis revelabit, sed quae a Christo accipit (16, 14 sq.; cf. 15, 26), revocans in memoriam apostolorum Christi doctrinam (14, 26) et in omnis veritatis intellegentiam eos inducens (16, 12 sq.). Ita breviter Petrus in priore epistula (1, 10 sqq.), Paulus in epistula ad Hebraeos (2, 1 sqq.; 3, 1 Christus vocatur apostolus). Apostoli sibi vicissim crearunt adiutores et successores sub ipsis constitutos (ut e. g. Paulus in suis legatis Timotheo et Tito et in praepositis localibus ecclesiarum), qui post eorum mortem totam missionem apostolicam et Christi susceperunt. Ita fontes postapostolici, inter quos primus Clemens Romanus in epistula ad Corinthios: „Christus igitur a Deo et apostoli a Christo . . . (qui) constituerunt episcopos et diaconos . . .“ (c. 42. *K* 12) cum ordinatione, „ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent“ (c. 44. *K* 13). Haec porro successio mox apparet ut argumentum certae traditionis, i. e. doctrinae Christi sancte custoditae et fideliter de manu in manum traditae (cf. 1 Petri 1, 10 sqq.; Hebr. 2, 1 sqq.).

Vinculo igitur successionis Ecclesia et omnia eius membra continenter coniuncta manent cum origine religionis divina: nempe cum Deo („unus Deus et Pater omnium“, Eph. 4, 6) et cum Christo („unus Dominus“, 4, 5); hinc oritur fidelium unitas inter se et cum Ecclesia („una fides et unum baptisma“, 4, 5), in uno spiritu et uno corpore (4, 3 sq.), Christi scilicet (4, 12 sqq.; cf. 1 Cor. 3, 21 sqq.).

Quae cum ita sint, negari nequit conceptum unitatis, praedominantem fere in Ecclesia primitiva, et successionis intime inter se cohaerere, quandoquidem successio nil aliud est nisi unitas Ecclesiae (temporis seu successiva) per generationes sibi succedentes servata, cui postmodum, crescente numero fidelium et ecclesiarum, ultro accessit unitas (loci seu simultanea) consensus omnium christianorum seu totius Ecclesiae Christi. Ex hisce duobus elementis coaluit argumentum traditionis aetatis postapostolicae.

479. ***Scholion 3.*** — De modo, quo singulis episcopis *iurisdictio conferebatur,* pauca admodum ex fontibus prioris temporis erui possunt. — *Chronica Arbelensis* (cf. n. 431 441) haec habet: „Sex annis post (mortem Pekîdhâ, primi episcopi Arbelae) Mâzrâ, episcopus oppidi Bêth-Zabdhai (peragrans regionem Adiabenes) ... cum audivisset esse hoc loco coetum christianum, clam eos adiit. (Qui) ... ipsi narrarunt se carere episcopo sex abhinc iam annis atque eum rogaverunt, ut manus imponeret Semsoni diacono eumque episcopum ordinaret. Mâzrâ morem illis et eorum bonae voluntati gerens, cum comperisset (Semsonem) fuisse diaconum Pekîdhâ, eidem manus imposuit" (c. 2; ed. *Sachau* p. 43). Optime quidem apparet munus deferri ab episcopo, consentiente populo, ea fere ratione, quae describitur in epistula *Clementis Romani* (c. 44. *K* 13), episcopos nimirum constitutos esse ab apostolis „vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia". Eodem modo explicanda erunt verba *Didache:* „Eligite igitur vobis episcopos et diaconos" (15, 1. *K* 6), quibus scilicet partes ecclesiae et populi exhibentur, muneris delatione, quae per episcopum ecclesiae adiacentis fieret, minime exclusa. Ex quibus locis non apparet quidem clare, unde proxime sit eorum iurisdictio, videtur autem indicari eam eo communicari quod quis episcopus ordinatus sit in communione catholica, successor scilicet apostolicus ex iis, qui non „absistunt a principali successione et quocumque loco colligunt", ut ait *Irenaeus* (Adv. haer. 4, 26, 2. *K* 136), quem sequitur *Tertullianus:* „Habet plane et illud (evangelium Marcionis) ecclesias, sed suas, tam posteras quam adulteras, quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias quam apostolicum, Marcione scilicet conditore vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et marcionitae" (Adv. Marc. 4, 5; ed. *Oehler* II 166). Tales episcopi nulla gaudent auctoritate. Neque vero inde omnis *cooperatio plebis* in eligendo episcopo excluditur, sicut testatur *Origenes:* „Licet ergo Dominus de constituendo pontifice praecepisset et Dominus elegisset, tamen convocatur et synagoga; requiritur enim in ordinando sacerdote et praesentia populi, ut sciant omnes et certi sint, quia, qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, et hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret" (In Lev. hom. 6, 3; *MSG* XII, 469).

480. Eodem plane modo *Cyprianus* describit electionem et ordinationem Cornelii episcopi romani: „Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum paene omnium

testimonio, de plebis quae tunc adfuit suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret" (Epist. 55, 8. *K* 277), per ordinationem scilicet episcoporum. — *Cornelius* vero ipse, de cuius electione Cyprianus ad Antonianum scribit, Fabiano episcopo antiocheno (apud *Eus.,* Hist. eccl. 6, 43, 7 sqq. *K* 254 sqq.) schisma Novatiani atque eius exstinctionem refert. Tres episcopos, homines simplices, qui seducti a Novatiano ipsi manus imposuerant, e sede episcopali esse remotos; e quibus unus peccatum suum confitens ad communionem laicam admissus est, reliquis vero duobus a Cornelio successores ordinati sunt. — Muneris igitur impositio et delatio fit per manus impositionem episcopalem; plebis vero praesentia in eligendo episcopo requiritur, ut „quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit, . . . ut de universae fraternitatis suffragio et de episcoporum . . . iudicio episcopatus ei deferretur et manus ei . . . imponeretur" (*Cypr.,* Epist. 67. *K* 298). „Habere namque aut tenere ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in ecclesia non est (sicut Novatianus)" (Epist. 69, 3; *CV* ed. *Hartel* 752).

Quibus testimoniis quaestio, utrum iurisdictio episcopis conferatur *immediate a Deo* an *a Summo Pontifice*, non quidem solvitur; nam etiamsi explicita confirmatio et agnitio electionis alicuius episcopalis per episcopum romanum defuerit, ipsa iam communio fraternitatis atque ordinatio ab episcopis Ecclesiae catholicae facta potuit considerari tamquam tacita agnitio atque communicatio iurisdictionis episcopalis [15].

481. NOTAE. — **1** Cf. *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia II 275 sqq.: *Ph. Maroto,* Institutiones Iuris Canonici II (1919) 16 sqq. — De *chorepiscopis,* scilicet clericis episcopali quidem dignitate ornatis, qui tamen suberant episcopo proprio alicuius ecclesiae, cf. *F. Gillmann,* Das Institut der Chorbischöfe im Orient (Veröffentlichungen aus dem kirchenhist. Seminar München II, 1. Heft [1903]); *M. d'Herbigny* l. c. 279; *Ph. Maroto* l. c. 87 sqq. — **2** Was will die hochkirchliche Vereinigung? Heckelberg-Oberbarnim 1922; cf. n. 326. — **3** *Sotion Alexandrinus* scripsit circa annum 200 a. Chr. Διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων, *Diogenes Laertius* circa 200 p. Chr. Περὶ βίων, δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων. Quibus *successionibus* non solae traditiones singularum scholarum: peripateticae Aristotelis, academicae Platonis, stoicae Zenonis, epicureae, aliarum) servabantur, sed etiam nexus inter plures scholas affirmabantur. Cf. *E. Schwartz** in *Pauly-Wissowa,* Real-Encyklop. der class. Altertumswiss. V (1905) 738 sqq.; VI (1909) 1370 sqq. 1396 sqq. — **4** *Archiva* („commentarii regis", Livius; βασιλικὰ γράμματα s. ὑπομνήματα, Polybios) asservabantur in aedibus publicis (ἀρχεῖον, δημόσιον, τὰ δημόσια γράμματα); cf. *Pauly-Wissowa* l. c. II (1896) 553 sqq.; *W. Liebenam,* Städteverwaltung im röm. Kaiserreiche (Leipzig 1900), exhibet p. 551 sq. catalogum civitatum, in quibus

ἀρχεῖα exstitisse constat. — De archivis *Iudaeorum* Hierosolymis, Tiberiade, Alexandriae, Romae et aliarum civitatum cf. *J. Juster**, Les juifs dans l'empire Romain I (1914) 475 sq. — Hinc a priori summe probabile est coetus *christianos* hoc institutum suum fecisse, id quod inspecta rerum condicione certum est. Minus clare quidem loquitur *Ignatius* (Ad Philad. 8, 2: „Mihi quidem archiva Iesus Christus", ut scilicet respondeat illis, qui non agnoscunt argumenta nisi ex Scriptura: „Scriptum est . . ."). Num porro archiva edessena, e quibus *Eusebius* (Hist. eccl. 1, 13, 5) accepit epistulas Abgari regis edesseni ad Iesum, fuerint publica et civilia (sicut archiva publica Asiae quae commemorat 5, 18, 9), an vero ecclesiastica, non constat. Certo autem talia archiva ecclesiastica exstitisse infertur tum ex catalogis episcoporum, quos vel confectos invenit vel confecit Hegesippus (apud *Eus.* l. c. 4, 22, 1 sq.; *K* 70), sicut postea Irenaeus et Tertullianus et alii, tum ex cura quam ecclesiae habebant pauperum et omnium egentium (de ecclesia romana cf. quae scribunt Dionysius Cor. in epistula ad Romanos [apud *Eus.* l. c. 4, 23, 9 sq.; *K* 61], Hippolytus [Phil. 9, 12; *K* 230], Cornelius ad Fabianum Antiochenum [apud *Eus.* l. c. 6, 43, 11; *K* 255]; Cyprianus [Epist. 76 et 79; *CV* ed. *Hartel* 827 sqq. 838 sqq.] de Africa; Tertullianus [Apologet. 39, 7 sq.; *K* 180] in genere), tum ex frequenti commercio epistulari inter ecclesias et praecipue cum ecclesia romana, tum ex collectione librorum imprimis sacrorum, dein etiam aliorum, ut epistularum Ignatii martyris (*Polyc.*, Ad Phil. 13, 2) et aliorum. — **5** Hoc erui potest ex papyro quodam (Oxy III 412) anni 275/6; cf. *W. Schubarth*, Einführung in die Papyruskunde (Berlin 1918) 171 sq. — Sententia ista: etiam chronicam Hippolyti continuisse catalogum episcoporum romanorum, non iam teneri potest, sicut ex Codice Matritensi apparet, in quo argumentum totius operis servatum est. Cf. *A. Bauer**, Die Chronik des Hippolytos im Matritensis graecus 121 (Texte u. Unters. XXIX, 1. Heft [1905]); *O. Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Lit. II[2] 595. — **6** Optime *St. v. Dunin-Borkowski* in Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 62 sqq. 181 sqq. — **7** *F. X. Funk*, Die Echtheit der Ignatian. Briefe (Tübingen 1883); *H. de Génouillac*, L'église chrétienne au temps de S. Ignace d'Antioche (Paris 1907). — **8** *F. X. Funk*, Patres apostolici I (1901) XLI sqq. — **9** *A. Brüll*, Der erste Brief des Clemens von Rom an die Korinther (Freiburg 1883); *H. Bruders*, Die Verfassung der Kirche 74 sqq. — **10** De Iacobo cf. Act. 12, 17; 15, 13; 21, 18; 1 Cor. 15, 7; Gal. 1, 19; 2, 9 12; Iac. 1, 1; Iud. 1. — Hegesippi testimonium apud *Eus.*, Hist. eccl. 2, 23. De quaestione controversa, utrum Iacobus fuerit apostolus necne, cf. e. g. *Chr. Pesch*, Praelect. dogm. IV[4/5] (Friburgi 1922) 353 sq.; *Schaefer-Meinertz*, Einleitung in das Neue Testament ([3]1921) 318 sqq., cum bibliographia. — **11** Cf. nota 6. — **12** *A. Brüll*, Der Hirt des Hermas (Freiburg 1882); *E. Dorsch* in Zeitschr. für kath. Theol. XXVIII (1904) 250 sqq. — **13** *K. Schmidt**, Gespräche Jesu mit seinen Jüngern nach der Auferstehung. Ein kathol.-apostol. Sendschreiben des 2. Jahrh. (Texte u. Unters. XLIII [1919]. Vgl. *Rauschen-Wittig*, Grundriß der Patrologie (Freiburg 1921) 32 sq. — **14** Cf. *Batiffol-Seppelt*, Urkirche 254 sqq.; *I. Kolberg*, Verfassung, Cultus u. Disciplin der christl. Kirche nach den Schriften Tertullians, Braunsberg 1886; *K. Adam*, Der Kirchenbegriff Tertullians (Forschungen zur christl. Literatur- u. Dogmengesch. VI, 4. Heft [Paderborn 1907], 56 sqq.). — **15** Quaestionem, „utrum episcopi iurisdictionem a Deo immediate accipiant", dirimit *I. Muncunill*, Tractatus de Christi Ecclesia (Barcinone 1914) 492 sqq., qui statuit ut „sententiam fere communem theologorum": episcopos iurisdictionem actualem a Summo Pontifice immediate accipere.

Quaestio 2. De organisatione Ecclesiae universalis seu de primatu episcopi romani.

482. Caput tertium inquisitionis, quam instituimus de organisatione Ecclesiae, continet duas in se quaestiones: alteram scilicet de forma constitutiva ecclesiarum *particularium,* alteram de organisatione *Ecclesiae universalis.* Priore iam quaestione soluta constat tempore apostolis posteriore singulis ecclesiis praefuisse singulos praepositos monarchicos, episcopi qui nuncupantur, qui, utpote apostolorum successores in eorum munere essentiali et ordinario, sint iuris divini. Huic vero muneri episcopali in ecclesiis particularibus correspondet munus aliquod extensive et intensive universale pro tota Ecclesia, primatus nempe, cuius auctoritas proinde sese extendit ad omnes fideles et omnes ecclesias particulares ipsamque Ecclesiam universalem. Convenit autem cum munere episcopali in eo quod sit originis et hinc etiam iuris divini; Petro etenim primatus collatus est a Christo ut fundamento Ecclesiae perenni (*Ass. 15,* n. 378 sqq.). Hinc in Petro omnes eius successores hanc supremam Ecclesiae auctoritatem acceperunt. Haec iam assertio historice probanda est, consensu scilicet et testimoniis aetatis postapostolicae. Qua in probatione ita procedimus ut (1) ostendamus Petrum Romae degisse ibique mortuum esse et quidem ut primum episcopum romanum; id quod non ex sola eius condicione apostolica inferimus, sed etiam disertis veterum testimoniis confirmabimus. Dein vero (2) transibimus ad testes, qui de episcoporum romanorum, successorum Petri, auctoritate universali et iurisdictionis primatu agunt.

A. De commoratione et episcopatu Petri romanis.

483. Per se quidem, si quaestio mere a priori consideratur, nulla ratio apparet cur episcopus romanus prae aliis plurimis primatum universalis Ecclesiae teneat. Et re quidem vera nexus iste inter sedem romanam et primatum cognoscitur ex *facto* dumtaxat aliquo positivo, ex eo scilicet quod episcopi romani sint successores Petri, simul qui fuit primas Ecclesiae a Christo institutus et episcopus ecclesiae particularis romanae; eodem modo successores eius simul praesunt ecclesiae romanae locali et simul regunt Ecclesiam universalem suprema sui primatus auctoritate. De facto igitur episcopus romanus seu, ut nunc iam dici consuevit, „Romanus Pontifex" (*CIC* 218 sqq.) est primas Ecclesiae; de quaestione iuris, num scilicet haec coniunctio inter sedem romanam et primatum sit iuris divini atque inde insolubilis, interim non

agimus. Hinc inquisitio nostra primo fertur in ipsam successionem ecclesiae romanae: suntne episcopi romani successores Petri in gubernanda ecclesia particulari romana?

Bene autem advertatur ad sensum et intentionem huius quaestionis. Videlicet etiamsi ex textibus afferendis constet Petrum revera Romae commoratum esse atque episcopatum romanum gessisse, ita ut episcopi romani Petri successores in hac particulari ecclesia dici possint et debeant, nequaquam licebit inferre eosdem eius successores esse in primatu; episcopatus enim romanus et primatus sunt munera diversa, quorum coniunctio positive probanda est. Ex altera vero parte potuit Petrus primatum ligare cum episcopatu romano, licet ipse numquam fuisset episcopus romanus neque umquam Romae degisset. Probatio igitur primatus Romani Pontificis non pendet a probato episcopatu romano Petri. Hoc unum dici potest consonum scilicet esse, ut Petrus, antecessor Romanorum Pontificum in primatu, idem sit in eorum episcopatu.

ASSERTIO 20. Petrus Romam venit et ecclesiae romanae episcopus fuit.

484. Inquisitio istius assertionis restringitur ad personam *Petri* eiusque relationes personales ad ecclesiam romanam, apostoli igitur, cui Christus primatum promisit (Matth. 16, 13 sqq.) et tradidit (Io. 21, 15 sqq.), qui porro eundem exercuit post Christi ascensionem in Ecclesia primitiva (*Ass. 16,* n. 403 407 sq.). Quandonam *Romam venerit* difficile est dictu; hinc anni commorationis romanae computari cum aliqua certitudine non possunt. Vetus est quidem traditio post duodecim annos, quibus sicut ceteri apostoli in Palaestina degerit, Petrum Romam venisse atque dein per 25 annos ecclesiae romanae episcopatum gessisse[1]. Sed haec computatio supponit Petrum anno 42, liberatum scilicet e potestate Herodis, Romam („in alium locum", Act. 12, 17) perrexisse atque anno 67 martyrium subiisse. Maiorem certitudinem vestigia aliqua praebent in fontibus apostolicis. Paulus enim narrat in epistula ad Galatas se cum Petro Antiochiam convenisse (2, 11 sqq.), in epistula priore ad Corinthios vero commemorat factionem aliquam, quae a Petro nomen sumpserit (1, 12; 3, 22): numquid inde deducere fas est Petrum hanc ecclesiam aliquando vidisse? num forte in itinere romano? Dionysius Corinthiacus utrumque videtur affirmare (apud *Eus.,* Hist. eccl. 2, 25, 8; *K* 60). Aliam prorsus traditionem manifestat philosophus ethnicus (Porphyrius?), cuius verba servavit Macarius Magnes: „Attamen ferunt Petrum, postquam per paucos menses oves paverit, cruci affixum esse, cum

tamen Dominus dixerit: portae inferi . . .“ (3, 22)[2]. Quodsi Petrus post conventum (Act. apostolorum c. 15) pertransiens per ecclesias Antiochiae et Corinthi Romam venerit, ecclesiam romanam non quidem funditus aedificare, attamen renovare atque plurimum ad eius vigorem, quem Paulus in sua ad Romanos epistula praedicat, contribuere potuit. Anno enim circiter 49 Claudius „Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit“, sicut Suetonius scribit (Vita Claudii 25, 4; *K* 39). Aquila et Priscilla, apud quos Paulus Corinthi morabatur et operabatur, huic edicto cedentes Corinthum venerant (Act. 18, 2 sq.). Sed haec omnia incerta manent. Incerta atque obscura etiam *initia ecclesiae romanae* nobis sunt. Lucas quidem videtur indicare qua via prima evangelii praedicatio Romam pervenerit, cum narrat inter auditores Petri fuisse advenas romanos (Act. 2, 10), porro Stephanum in synagoga libertinorum locutum esse (6, 9). Addit dein in fine (28, 15) fratres romanos obviam venisse Paulo captivo usque ad forum Appii et tres Tabernas, anno circiter 60/1. Numquid Paulus coapostolum suum tunc Romae invenit? Ignoramus. Ignoramus etiam tempus quo Petrus pro Christo Romae mortuus sit, utrum forte id fuerit anno 64, initio scilicet persecutionis neronianae, an anno 67[3]. Constat tamen ipsum factum commorationis et mortis romanae Petri idque testimonio unanimi et constanti inde a tempore apostolico, ita quidem ut nunc pauci admodum sint, qui illud negent.

Adversantur huic assertioni praeter multos protestantes veteres asseclae scholae criticae tubingensis quae vocatur *(Baur, Schwegler, Zeller, Strauss, Lipsius)*, vetero-catholici *(Langen)*, ex criticis modernis pauci *(Soltau, A. Bauer)*[4].

Non idem dici potest de *episcopatu* romano S. Petri, cum hodie quoque impugnetur a plurimis non-catholicis. Munus enim episcopale non esse institutionis apostolicae et divinae sed fructum evolutionis cuiusdam naturalis aetatis posterioris putant. Antequam autem sensum episcopatus Petri romani determinamus, liceat perlustrare testimonia, quae affirment commorationem S. Petri romanam.

I. De Petri commoratione romana.

485. Ex testimoniis afferendis alia sunt potius *formalia,* alia *virtualia* (entitativa)[5], quae egregie confirmant priora.

1. Testimonia *formalia.* — Opus non est animadvertere non omnia testimonia disertam huius commorationis affirmationem continere. Alia enim alia conferunt ad factum hoc illustrandum et probandum. Ita *evangelium,* quod scripsit *Marcus,* in luce quidem

traditionis aetatis posterioris (testibus Papia, Irenaeo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, aliis), quae id Romae scriptum esse secundum praedicationem Petri romanam asserit, facit ad probationem huius assertionis, sed etiam ipsa sua indole confirmat horum testium affirmationem. Sunt etenim in *EvMarc.* aliqua, quae suadent originem eius petrinam: cum argumentum totius operis (cf. Act. 1, 21; 10, 37) tum modus narrandi vividus, qui prodit testem immediatum et ocularem. Sunt etiam, quae indicare videntur *EvMarc.* Romae vel pro Romanis scriptum esse, lingua scilicet, quae plures quam cetera evangelia locutiones latinas praebet, et alia huiusmodi. Accedit quod Marcus eo tempore, quo evangelium scriptum esse censent, Romae fuit (Col. 4, 10; Philem. 24), circa annum nempe 60.

486. Testimonium *epistulae* prioris *Petri,* si non omni ex parte certum, saltem est probabilissimum. „Babylon" enim, unde Petrus hanc epistulam scripsit (5, 13), urbs Roma intellegenda est; cum alia oppida eiusdem nominis, puta Babylonem ad Euphraten vel in Aegypto, cur in quaestionem veniant, praeter illam possibilitatem quae fundatur in solo nomine, nulla ratio afferri possit. Roma autem nomine Babylonis appellabatur tunc temporis non solum a Iudaeis (cf. apocrypham apocalypsim Baruch 12, 1), sed etiam a christianis (cf. Apoc. 14, 8; 16, 19; 17, 5, etc.), etiam temporis adhuc posterioris. A traditione dein Petrus semper dicitur fuisse apostolus hellenisticus atque praedicasse evangelium in partibus occidentalibus, id quod consonat cum inscriptione epistulae, quae enumerat regiones Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, Bithyniae (1 Petri 1, 1). Secundum eandem porro epistulam constat Marcum tunc temporis Petri comitem fuisse (5, 13), quem alia ex parte Romae degisse annis circiter 60—63 testantur Pauli epistulae.

In ultimo capite *evangelii Ioannis* (21, 18 sqq.) refertur praedictio martyrii Petri. Christus enim Petro non solum indicat eum martyrio Deum glorificaturum esse, sed etiam genus mortis describit, minus quidem clare verbis „extendes manus tuas", clare autem secundum verba ab evangelista adiecta: „Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum" (21, 19), quae similia occurrunt de Christi morte (12, 33; 18, 32). De loco autem, ubinam Petrus passus sit, tacet, supponens enimvero eum lectoribus haud ignotum esse. — Hoc Ioannis testimonium confirmatur epistula altera Petri (1, 14), etiam pro iis, qui illam a Petro scriptam esse iniuste negaverint; quoniam hanc epistulam saltem ut testem traditionis tunc vigentis considerari oportebit.

487. Quam traditionem plenius exhibet *Clemens Romanus* in epistula, quam scripsit ecclesiae corinthiacae. In enumeratione enim emphatica malorum, quae teste historia sacra profluxerint ex invidia et zelo, post exempla ex V^e T^o deprompta (c. 4), iam ad tempus christianum accedit (c. 5 sq.; *K* 10 sq.): „Saeculi nostri generosa exempla proponamus", „bonos apostolos", „qui columnae erant, persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt . . ., Petrum, qui . . . testimonio perhibito in debitum gloriae locum discessit", et Paulum, „qui, postquam universum mundum iustitiam docuit . . . et testimonium perhibuit, sic e mundo migravit. . . ." Hisce viris magna multitudo electorum aggregata est, martyres scilicet persecutionis neronianae, inter quos etiam feminae, ut Danaidae et Dircae, populo spectante in mortem traditae (cf. *Taciti* Annales 15, 44; *K* 33 sq.). Ergo Clemens, qui et ipse Romanus, considerat apostolos Petrum et Paulum tamquam exempla sibi, i. e. suae ecclesiae et suo tempori propria, quia uterque passus sit sub Nerone simul cum aliis martyribus romanis.

488. Rationes, quae contra interpretationem modo allatam proferri solent, *Ad. Bauer*[6] his fere complectitur: (1) Epistula Clementis omnibus concedentibus est opus litterarium artis non exiguae, quae se manifestat etiam in parte illa prima, quae agit de funestis sequelis zeli et invidiae. Exempla enim, quae afferuntur, in tres classes distributa exhibent (a) plures, qui in V^e T^o invidiam passi sunt; (b) ex aetate apostolica Petrum et Paulum; (c) martyres persecutionis neronianae romanos. Ex quo solo ordine iam apparet Clementem duos istos apostolos his martyribus non adnumerare. — Et hoc quidem (2) confirmatur ex iis, quae Clemens de apostolis narrat; nam iis, quae inveniuntur in libris N^i T^i, vix quidquam additur. De Petro scilicet silent fontes fere ab Act. 12, 17 („abiit in alium locum"); itaque Clemens quoque martyrium Petri ut merum factum commemorat; de loco enim et tempore neque ipsi constabat. Sortes autem Pauli partim ex fontibus (Actibus et epistulis Pauli, imprimis 2 Cor. 11, 23 sqq.), partim vero ex traditione quadam, parum fide digna, fusius referuntur, iter imprimis hispanicum, quod forte ex Rom. 15, 24 deductum sit, atque eiusdem mors, quam secundum Clementem in Hispania obierit. Ita Bauer; hoc enim sequi ex verbis Clementis eorumque ordine: „Postquam mundum universum iustitiam docuit et ad occidentis terminos venit et coram praefectis testimonium perhibuit, sic e mundo migravit . . ." (I Clem. 5, 7). Iamvero si Paulus extra urbem Romam passus fuerit, atque de Petri martyrio praeter ipsum factum mortis nil narratur, recte infertur neque Petrum Romae mortuum esse. — Id quod (3) manifeste excluditur secundum Bauer eo quod Clemens martyres persecutionis neronianae nitide distinguat a duobus apostolis, formali scilicet transitione, qua procedat a singulis testibus et exemplis (V^{is} T^i et temporis apostolici) ad „magnam electorum multitudinem" (6, 1) et ad exempla romana, martyres nempe persecutionis

neronianae, „exemplar optimum inter nos“. Apostolos itaque neque sub Nerone neque Romae martyrium subiisse. Vox autem „aggregata est“ (συνηθροίσθη) refertur non ad exempla patientiae his in terris, sed ad aggregationem omnium martyrum in caelis; ideoque nequit deduci apostolos simul cum martyribus neronianis mortem passos esse.

Responsum ad has obiectiones continetur ipsa nostra explicatione supra data. Interpretatio autem, quam Bauer praebet, non modo non postulatur a verborum tenore, sed etiam aperte cum eorum sensu pugnat. Et primum quidem Clemens indicat partitionem non triplicem, sed duplicem dumtaxat: veteribus exemplis adductis transit ad „proximos athletas“ (5, 1), quibus complectitur et apostolos et alios complures martyres. Dein vero Pauli martyrium hispanicum non probatur; nam sine ratione supponitur Clementem in ista enumeratione ordinem sequi stricte chronologicum, cum tamen hoc incisum clare manifestet ordinem systematicum vel artificiosum, quem Bauer ceteroquin praedicat (schema: a-b-c-d-c-b-d-a). Quomodo porro in hac suppositione explicatur consensus unanimis de Pauli martyrio romano, silentium absolutum de hispanico? — Neque constat Clementem usum esse solis libris N^i T^i, quia in hoc supposito aegre intellegitur, cur non attulerit matyrium protomartyris Stephani (Act. c. 7) et primi apostoli, Iacobi scilicet (Act. 12, 1 sq.). Optime autem intellegitur, si Clemens voluerit martyres afferre romanos et quidem ex persecutione Neronis. — Hanc fuisse mentem Clementis ex ipsa denique rerum conexione apparet, qua multitudinem electorum coniungit cum duobus apostolis, scilicet ut exempla patientiae et martyrii.

489. Testimonium *Ignatii Martyris* non est tam clarum quam Clementis, attamen et ipsum novisse martyrium Petri romanum sequitur ex eius epistulis. In epistula enim ad Romanos scribit: „Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio. Illi apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego usque nunc servus . . .“ (4, 3; *K* 26). Specialem ergo relationem agnoscit inter ecclesiam romanam et duos hos apostolos. Id quod etiam clarius elucet ex comparatione huius textus cum aliis aliarum epistularum. Ad Ephesios enim haec habet: „Non praecipio vobis quasi aliquis sim“ (3, 1): „scio quis sim et quibus scribam. Ego condemnatus, vos misericordiam assecuti. . . . Transitus (statio vel mansio) estis eorum, qui interfecti ad Deum perveniunt (martyrum Christi), Pauli symmystae, qui sanctificatus, martyrium consecutus et digne beatus est, ad cuius vestigia contingat mihi ut inveniar, quando Dei particeps fio, qui in omni epistula memor vestri est in Christo Iesu“ (12, 1 sq.).

Ex quibus verbis sequitur Ignatium comparare suum martyrium romanum viamque qua Romam pergit cum martyrio Pauli, qui aliquando eadem via, transiens enimvero per Ephesum, Romam profectus est. Insuper apparet Paulum ideo nominari, quia per-

sonalem relationem habuit ad ecclesiam ephesinam; idem ergo dicendum erit de Petro et Paulo relate ad ecclesiam romanam. Aliter dein Trallianis scribit, quorum ecclesia quantum scimus non immediate apostolica erat: „Non praecipio ut apostolus", (3, 3) ait, nullo determinato nomine adiecto. Iure ergo inferimus ex his effatis inter se coniunctis Petrum sicut Paulum Romae saltem commoratum, probabilius ut martyrem vita functum esse.

490. *Ascensio Isaiae* quae vocatur, originis partim iudaicae partim christianae, haec habet: „Hic (Berial „princeps magnus", qui „descendit a firmamento suo in specie hominis, regis iniquitatis, matricidae", Neronis scilicet) est rex mundi huius, et plantam, quam plantaverunt duodecim apostoli dilecti (Christi), persequetur et duodecim in manus eius tradetur" (4, 2). Ultima verba haec mutilata intellegi non potuerunt, donec textus originalis graecus inventus sit: καὶ [τ]ῶν δώδεκα [εἷς] ταῖς χερσὶν αὐτοῦ π[αραδ]οθήσεται (*The Amherst Papyri* I [London 1900] 14, continens 2, 4—4, 4). Unus ille, qui sub Nerone passus est, utique est Petrus. De tempore autem, quo hic liber apocryphus vel eius pars christiana scripta sit, non constat inter doctos. Alii enim volunt haec verba scripta esse inter annos 64—68 *(Clemen)*, alii circa annum 100 *(Flemming)*, alii saeculo II *(Dillmann)*, alii ante medium saeculum III *(Harnack)*[7].

Papias, cuius testimonium exhibet Eusebius (Hist. eccl. 2, 15, 3; *K* 426; cf. 427), simul cum verbis Clementis Alexandrini, qui fortasse secutus est Papiam, refert originem evangelii Marci, qui rogatus a Romanis praedicationem Petri litteris consignaverit. Petrum dein hunc librum sua auctoritate comprobasse. Hoc igitur Papiae testimonium, si scilicet ad totam narrationem Clementis et Eusebii referri potest, exhibet traditionem asianam ex primis decenniis saeculi II.

Paulo post (137—140) scripsit *Phlegon* quidam trallensis, libertus Hadriani, chronicam 16 librorum, ex quibus Origenes (Contra Celsum 2, 14; *MSG* XI, 824 sq.; *CB* ed. *Koetschau* I 143 sq.) haec refert: „Phlegon quidem in 13. vel 14. ni fallor libro chronicorum concedit Christum habuisse praescientiam quarundam rerum futurarum — licet ipse confundat ea quae spectant ad Petrum cum iis quae sunt Christi —, et testatur quaedam a Christo praedicta evenisse." Ex quibus verbis videtur sequi Phlegontem confudisse et permutasse Christum cum Petro. Unde autem talis permutatio nisi ex eo quod Petrus et specialem condicionem in religione christiana et peculiarem relationem ad urbem Romam habuit, in qua scripsit Phlegon[8].

Dionysius episcopus corinthiacus testatur (apud *Eus.*, Hist. eccl. 2, 25, 8; *K* 60) Petrum et Paulum semen evangelii sparsisse et Corinthi et Romae atque circa idem tempus (κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν) martyrium Romae subiisse.

Canon Muratorianus, ortus circa annum 180, in enumeratione librorum N^i T^i asserit Lucam in Actibus ea quidem narrasse, quae ipse viderit vel quae ipso vivo contigerint, „semota passione Petri . . . et profectione Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis" (*K.* 158). Quaenam fuerit haec Petri passio, ubinam passus sit, diserte addere tunc temporis minime opus fuit, imprimis Romano, qui scripsit pro Romanis. — Aliud scriptum generis tamen similis, *prologi* quidam ad evangelia, qui *Monarchiani* nuncupantur, ad evangelium Marci haec praebet: „Marcus evangelista Dei et Petri in baptismate filius atque in divino sermone discipulus, sacerdotium in Israhel agens secundum carnem Levita, conversus ad fidem Christi evangelium in Italia scripsit. . . ."[9] Orti esse dicuntur hi prologi initio saeculi III.

491. Tunc autem temporis, circa finem saeculi II scilicet, longissime sparsam esse traditionem commorationis et passionis Petri romanae elucet ex actis (apocryphis) Pauli et Petri. Ac primum quidem in *Actis Pauli,* quae circa anum 180 in Asia scripta sunt a presbytero quodam, qui secundum Tertullianum ob id ipsum loco suo decesserit (De bapt. 17; ed. *Oehler* I 636 sq.) narratur martyrium Pauli romanum sub Nerone. . . . In actis deinde Pauli coptice servatis etiam Petrus commemoratur; textus quidem mutilatus est (ed. *Schmidt* 67 sq.), et non permittit nisi coniecturam quandam: Petrum scilicet Hierosolymis convenisse cum Paulo. Alio loco idem spiritus Domini locutus esse dicitur Paulo et fratribus per Myrten: „Paulus enim, minister Domini, salvabit multos Romae. . . . Deinde [. . .] veniet Domini Iesu Christi [(apostolus? Petrus?). . .] magna gratia est [. . .] Romae" (l. c. 83). Numquid supponere licebit verba deperdita nominasse Petrum? Ratio aliqua, quae non caret omni probabilitate, desumi potest ex *actis Petri* (Actus Vercellenses), qui narrant Simonem Magum Romam venisse, cum Paulus ibidem praedicaret. Seditioni Magi cum plurimi succumbant, accersitur Petrus. Duodecim scilicet annis, quibus in Palaestina manere et Iudaeis evangelium praedicare debuit, expletis, visione Romam vocatur (c. 5; ed. *Lipsius* 49), ut non solum Simonem debellet et profligat, sed etiam ipse pro Christo moriatur. Paulus interim Dei nutu in Hispaniam proficiscitur, ita tamen ut simul certior fiat divino lumine se quoque Romae martyrium subiturum esse. Ita dein factum est; Simon Magus a Simone Petro devincitur.

Rara sunt testimonia, quae tam clare et Petri commorationem passionemque romanas et eiusdem primatum, etiam prae Paulo, enuntiant quam hi *Actus* Petri, qui non videntur orti Romae,

sed in Asia ante medium saeculum III; fontes autem eorum etiam litterarii exstitisse dicuntur iam saeculo II. Quodsi etiam Acta Pauli eandem relationem exhibuerint, atque in verbis versionis copticae iure nomen Petri intersertum fuerit, dicenda est iam paulo post medium saeculum II eadem convictio viguisse in Asia; quanto magis Romae[10].

492. Ex eadem provincia Asiae alia duo testimonia servata sunt, alterum Polycratis episcopi ephesini, alterum Gai, „viri ecclesiastici", qui Romam venerat atque ibidem scripsit contra montanistas. Et Polycrates quidem testimonium potius indirectum et hinc minus certum praebet; Gaius autem diserte provocat ad „tropaea" apostolorum, quae Romae tunc temporis nota erant.

Gaius, antimontanista, scripsit Romae tempore Zephyrini (199 ad 217; *Eus.,* Hist. eccl. 2, 25, 6 sq.; *K* 137 sq.) contra Proclum montanistam dialogum, ex quo Eusebius pauca quaedam in sua Historia affert, inter quae etiam verba haec: „Ego vero apostolorum tropaea possum ostendere; nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum qui ecclesiam illam fundaverunt." Haec verba supponunt simile argumentum Procli, ex sepulcris scilicet eorum, qui montanismum defenderunt. Et re quidem vera Eusebius alio loco (Hist. eccl. 3, 41, 4) verba Procli affert: „Et Proclus quidem, ita Eusebius, in dialogo Gai, quem paulo ante commemoravimus, contra quem scilicet est disputatio (Gai), de morte Philippi eiusque filiarum haec consona cum expositis habet: ‚Post hunc (prophetam) sunt quattuor prophetissae Hierapoli Asiae; ipsarum enim et patris earum sepulcrum inibi est'." Numquid argumentum ‚ex sepulcris' fuerit proprium Asianis? Certe non est nisi aliqua peculiaris forma traditionis et successionis.

Ex his Procli et Gai verbis intellegendum erit testimonium *Polycratis* episcopi ephesini, qui paulo ante, circa annum 190, epistulam scripsit ad Victorem episcopum romanum de more asiano celebrandi festum paschatis. Quem ut tueretur tamquam „verum et genuinum", affert „magna quaedam lumina", quae in Asia exstincta sunt atque resurrectionem exspectant; Philippus scilicet cum tribus filiabus, Ioannes apostolus, Polycarpus, Thraseas aliique episcopi et martyres in Asia sepulti sunt. Argumentum igitur atque eiusdem forma consonant cum argumento Procli montanistae; immo commemoratio Philippi eiusque filiarum prophetissarum utrique communis est. Quaeritur autem num Polycrates sepulcra asiana opponat romanis, aliis verbis, num Victor in sua epistula (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 23, 3; *K* 92) ad *sepulcra* apostolorum

Petri et Pauli provocaverit. Dicendum videtur ex epistula Polycratis utpote non integre ab Eusebio historiae suae inserta non clare apparere, qui sit sensus verborum καὶ γὰρ: „etenim" vel „nam etiam". Licet autem certum argumentum ex Polycratis epistula deduci nequeat, manet tamen probabile Victorem auctoritatem ecclesiae suae suamque propriam tamquam *apostolicam* attulisse ad provehendam praxim romanam atque universae paene Ecclesiae [11].

Tunc temporis de Petri commoratione et martyrio romanis nullum fuisse dissensum docent omnes fontes: *Irenaeus* (Adv. haer. 3, 3, 2; *K* 125), *Clemens Alexandrinns* (Adumbr. in epist. Petri primam cath. 5, 13; *K* 150), *Tertullianus* (De praescr. haer. 36, 1 sqq.; *K* 194; Adv. Marc. 4, 5, 2; *K* 210; Scorp. 15; *K* 216; De bapt. 4 („... quos Petrus in Tiberi tinxit ...") *K* 194 [3]; *Hippolytus* Romanus (Philos. 6, 20; *MSG* XVI, 3226; *CB* ed. *Wendland* III 148: „Et [Simon Magus] restitit, cum Romae degit, apostolis; contra quem maxime Petrus contendit, quia [Simon] artibus magicis multos in errorem induceret"; cf. quae in act. Petri apocryphis narrantur), *Origenes* (apud *Eus.*, Hist. eccl. 3, 1; *K* 428). Ipse *ethnicus philosophus* apud Macarium Magnetem (3, 22; 4, 4) novit hanc traditionem.

493. 2. *Testimonia virtualia et obiectiva.* — Haec testimonia virtualia sunt liturgica et monumentalia, i. e. festa, quae (Romae) in honorem Petri celebrabantur, et monumenta, quae eius vel sepulcrum vel venerationem comprobant.

a) *Festa* in honorem Petri secundum testes veteres plura celebrata sunt. In Kalendario Liberiano, a Furio Dionysio Filocalo composito, quod *„Chronographus anni 354"* vocari solet, quia hoc anno scriptum est, sub inscriptione „Depositio martyrum" haec leguntur: „VIII kal(endas) Martias (22 Februarii) natale Petri de cathedra" (*K* 544). Mos erat Romanorum, ut natales dies agerent imperatorum, quibus scilicet imperium susceperunt; inde ab anno circiter 240 episcoporum etiam romanorum dies natales celebrabantur. *Petri* natalis, introductus fere anno 300, eo die celebrabatur, quo ethnici memoriam defunctorum (caristia) egerunt [12]. Idem dies festus memoratur in missalibus antiquis gallicis et hispanicis, non autem in romanis. Duo tamen testes gallici exhibent festum *cathedrae* Petri die 18 Ianuarii, translatum forte propter ieiunia, ut *Duchesne* opinatur [13], quae saepe ante diem 22 Februarii coeperunt. Hinc factum est, ut postea, teste iam martyrologio hieronymiano, duo festa agerentur in honorem cathedrae Petri, alterum die 18 Ianuarii cathedrae romanae, alterum die 22 Februarii cathedrae antiochenae.

Idem Filocali Kalendarium eodem loco aliud Petri festum nominat: „III kal(endas) Iul(ias) *Petri in Catacumbas* et Pauli Ostense, Tusco et Basso cons(ulibus)“ (*K* 544). Nummius Tuscus et (Pomponius) Bassus erant consules anni 258 sub imperatoribus Valeriano (253—260) et Gallieno (253—268). Secundum textum traditum celebrabatur anno 258 die 29 Iunii festum aliquod Petri, loco qui ‚in catacumbas‘ vocabatur, Pauli in via Ostiensi. Dies autem 29 Iunii teste *Catalogo Liberiano* (*K* 545) et martyrologio hieronymiano erat dies passionis et mortis apostolorum; via dein Ostiensi erat locus martyrii et sepulcri Pauli; quid vero de loco, qui „in catacumbas“ nuncupatur? quid porro de anno 258?

494. De catacumbis nulla est controversia; sunt etenim illae, quae, in via Appia antiqua sitae, hodie ad S. Sebastianum vocantur. De relatione autem apostolorum ad hunc locum *variae* sunt *sententiae*. Et alii quidem censent apostolos hac in regione ante martyrium aliquando *habitasse* (*de Waal, Wilpert* ante recentes excavationes; *Lanciani*); alii vero contendunt *corpora* eorum per aliquod tempus hic *condita* fuisse, dissentiunt autem in assignando tempore, quando hoc factum sit. *H. Lietzmann*[14] putat annum 258 esse translationis reliquiarum ex Vaticano resp. ex via Ostiensi in has catacumbas, sicut anno 304 corporum Partheni et Caloceri (XIIII kal[endas] Iun[ias] = 19 Mai) et Basillae (X kal[endas] Octob[res] = 22 Septembris; *K* 544). In persecutione scilicet Valeriani corpora apostolorum ex locis palam notis in securiorem translata esse in via Appia, in qua erat coemeterium ethnicum. Hinc verba Chronographi mutilata ita restituenda et complenda esse vult: „Petri [in Vaticano | Petri et Pauli] in catacumbas et Pauli Ostense“, quae revera leguntur in martyrologio hieronymiano: „Roma via Aurelia natale sanctorum apostolorum Petri et Pauli; Petri in Vaticano, Pauli vero in Via Ostensi; utriusque in catacumbas, passi sub Nerone, Basso et Tusco consulibus“.

Aliter *P. Styger,* qui direxit excavationes inde ab anno 1915 in S. Sebastiani institutas atque ostendit hoc potissimum loco apostolos saeculo III celebratos, invocatos, cultos esse[15]. Consentit quidem Styger cum Lietzmann in eo quod ipse quoque admittit textum Chronographi modo indicato complendum esse, atque inde erui posse corpora apostolorum aliquo tempore hic recondita fuisse. Uterque provocat ad testimonium *Damasi,* cuius epigramma inventum sit in S. Sebastiani: „Hic habitasse prius sanctos cognoscere debes | nomina quisque Petri pariter Paulique

requiris" (*K.* 589). Discedit autem a Lietzmann eatenus, quatenus asserit corpora martyrum mox post martyrium hoc loco deposita et postea demum in sepulcra prope locum martyrii translata fuisse. Anno vero 258 aedificia illa exstructa esse, quae inquisitione recenti inventa sunt.

Sed hisce iam ad testimonia monumentalia et archaeologica pervenimus.

495. b) Testimonia *monumentalia*. — Anno 1615 „*Confessio Petri*" quae vocatur in eam formam redacta est, quam hodie quoque habet; qua occasione iam plura sepulcra christiana inventa sunt[16]. Anno deinde 1623 in erigendo altari maiore (Bernini) praeter sepulcra christiana etiam ethnica efossa sunt, quae distribuuntur inter annos circiter 150 et 290[17], atque evincere videntur corpus Petri reconditum fuisse in coemeterio ethnico; unde intellegitur ad sepulcrum Petri non potuisse fieri liturgias christianas. Eadem occasione apparuit sepulcrum Petri situm esse excentricum relate ad apsidem basilicae (Vaticanae) veteris, paululum videlicet ad partem septentrionalem accedens. Explicatio autem petitur ex eo, quod murus meridionalis basilicae exstructus erat super fundamentis circi neroniani. Cum autem locus sepulcri tantum distaret ab eo, ut symmetria servari non posset, nisi latitudo aedificii a 23 metris ad 28 extenderetur, tropaeum Petri extra centrum positum mansit[18]. Quae si ita fuerint, ostendunt iam ante constructionem basilicae constantinianae notum et fixum fuisse locum sepulcralem, licet simul viguerit memoria alterius loci, ubi aliquando sacrae reliquiae depositae fuerint, nempe ad *S. Sebastiani*. Hoc scilicet loco, ita excavationes recentes nos docent, post annum 238 adhuc erat coemeterium gentilium, intermixtis paucis sepulcris christianis; ubi postea aedes quaedam aedificata est, qua mox diruta atque mole et ruderibus superpositis totum coemeterium obrutum atque complanatum est, ut in hoc plano sanctuarium christianum erigeretur, anno 258. Centum annis post haec quoque aedificia destructa sunt atque, quae hodieque exstat, basilica S. Sebastiani aedificata est (356/7).

Et haec quidem sunt, quae interim constant de sanctuario S. Sebastiani; speramus fore ut novae inventiones novam nobis praebeant lucem, cuinam fini aedificia anni 258 inservierint.

496. *Conspectus* ergo fontium eorumque testimoniorum ostendit traditionem unanimem et constantem: inde a saeculo I Petrum simul cum Paulo Romae commoratum atque inibi mortuum esse, necatum scilicet a Nerone pro fide Christi. Testimonium partiale

et indirectum praebent *Petri* epistulae, prior de commoratione, altera de eiusdem martyrio; evangelium *Ioannis* supponit hoc factum ut notorium inter christianos, proxime Asiae. Clemens vero Romanus idem factum diserte testatur atque ad illud provocat tamquam notum Romae et Corinthi. Eadem traditio nota est Ignatio episcopo Antiochiae Syriae, fortasse etiam Papiae hierapolitano et Phlegonti romano. Circa medium saeculum II singulae fere regiones imperii romani vel eiusdem provinciae consonanter exhibent commorationem Petri romanam: ecclesia ipsa romana (Canone Muratoriano; indirecte Irenaei et Tertulliani verbis), ecclesiae Galliae (Irenaei), Africae (Tertulliani), Aegypti (Clementis Alexandrini), Asiae (actis Petri et Pauli apocryphis), Achaiae (Dionysii corinthiaci). Sepulcra apostolorum Romae nota atque in veneratione esse testatur circa annum 200 Gaius, fortasse etiam Polycrates; quod testimonium confirmatur monumentis romanis christianis. Quibus omnibus accedit silentium de alio loco ubi Petrus mortuus fuisse dictus sit.

II. De Petri episcopatu romano.

497. In genere loquendo nil quidem obstat, quominus apostolus atque etiam Petrus ecclesiam a se fundatam vel ad tempus administratam postea alteri regendam tradiderit. Ita Eusebius in Chronico (2, 2058 ad a. Chr. 44; secundum versionem Hieronymi, qui aliqua addidit; *K* 421): „Petrus apostolus [natione Galilaeus, Christianorum Pontifex primus], cum primus Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur. Ubi evangelium praedicans XXV annis eiusdem urbis episcopus perseverat.“ Ita potuit etiam ecclesiam romanam alteri regendam tradere. Sed fontes tradunt Petrum *usque ad mortem ecclesiam romanam administrasse.* Quorum testimonium non infirmatur ex eo quod Linus et Cletus (ab Epiphanio, Haer. 27, 6; cf. supra n. 454) episcopi romani dicuntur tempore Petri; nam hi a Libro Pontificali describuntur fere tamquam episcopi auxiliares, qui partem muneris episcopalis gererent, „omne ministerium sacerdotale“ (*K* 1003). Totum autem munus, quod ipse Petrus gesserat, secundum eundem fontem tradidit Clementi, videlicet „cathedram vel ecclesiam omnem disponendam“, et quidem potestatem ligandi et solvendi, quam ipse a Domino acceperat (*K* 1004). Factum ipsum historicum talis translationis non constat; quodsi verum fuerit, Petri condicioni nullatenus derogat, qui scilicet vel pro tempore absentiae vel pro parte muneris sui aliquem constituere potuit, qui potestate episcopali praeditus sub ipso Petro ecclesiam romanam administraret.

498. Quaeri potest, num *ex sola commoratione* romana Petri inferri liceat eiusdem episcopatus romanus. Cum quaestio tandem aliquando sit de facto historico, scilicet num Petrus ipse ecclesiam particularem romanam monarchice rexerit, responsum certum ex generali aliqua consideratione erui posse vix videtur.

Negari tamen nequit certam *vim suasivam* inesse *considerationi* sequenti: Constat Petrum Romae degisse atque ibi mortuum esse. Si quaeramus, quam ob causam et ad quem finem Romae degerit, duae occurrunt rationes: scilicet vel ad gerendum tantummodo primatum totius Ecclesiae, vel simul ad curandos christianos ecclesiae particularis romanae. Prior finis, si exclusivus intellegatur, summe improbabilis videtur, non quidem ex eo quod tunc temporis nullum fuerit exercitium nullusque actus huius potestatis supremae et universalis, sed ex eo quod exercitium illud disertum et manifestum, viventibus adhuc ceteris apostolis, non tantopere urgebat quantum temporibus sequentibus, quibus singulis ecclesiis singuli episcopi praeerant et hinc unitatis vinculum, scilicet primatus romani episcopi, etiam exterius clarius apparere debuit. Hinc in fontibus Petrus sicut alii apostoli potissimum ut apostolus exhibetur, exsequens missionem Christi praedicatione verbi Dei fundationeque novarum ecclesiarum. At ubicumque morabatur, iure suo supremo apostolico uti potuit, maxime in ecclesiis, quae non ab alio apostolo conditae erant; immo ut primus apostolorum maiore etiam quam alii apostoli potestate instructus facilius ipsam quoque gubernationem ecclesiae suscipere potuit. Quodsi, ut opinamur, ecclesia romana peculiari modo Petro coniuncta erat, nulla iam manet instantia contra Petri episcopatum Romanum, i. e. eius gubernationem huius ecclesiae particularis (cf. *Ottiger* II 528 sqq.).

Cum tamen nostra consideratio innitatur rationibus historicis, ad ipsa iam *testimonia positiva et historica* accedamus. In quibus duplex quaedam affirmatio distingui oportet; alia enim sunt testimonia, quae asserunt ecclesiam romanam esse *apostolicam*, i. e. secundum modum loquendi istius temporis ab apostolis vel fundatam vel administratam, a Petro scilicet et Paulo; alia sunt testimonia, quae contendunt aliam fuisse relationem Petri ad ecclesiam romanam, aliam Pauli; priori soli episcopatum attribui romanum. Quod ut testimonia exhibeant, asserunt vel apostolicam originem ecclesiae romanae, vel affirmant episcopos romanos esse successores Petri, vel eosdem occupare „cathedram Petri". Neque requiritur, ut Petrus tamquam primus episcoporum romanorum in fastis enumeretur; nam Petri condicio ut apostoli alia erat ac successorum eius, includens nimirum episcopatum eumque simul dignitate excedens. Hinc successiones qua tales ascendunt quidem usque ad Petrum, ipsum autem quodammodo ut praecessorem totius seriei considerant. — Iam ad singula testimonia adeamus.

499. *Ignatius Antiochenus,* licet ad ipsam ecclesiam romanam scribat, tacet de eius episcopo; numquid ex hoc silentio inferri licebit tunc temporis ecclesiam romanam non habuisse episcopum? Tacet etiam de episcopatu Petri romano, verbo saltem tenus. Argumentum tamen ex eius silentio hauriri non potest. Nam Ignatius considerat, ut ex assertione praecedenti constat, illam tantummodo ecclesiam ut vere et plene constitutam, quae habeat episcopum monarchicum cum presbyterio et diaconis ipsi subditis (ad Trall. 3, 1). Ergo etiam romanam ecclesiam videtur habuisse pro episcopaliter constituta. Episcopos autem esse successores apostolorum ipse sat clare indicat; insuper ipsos apostolos nominat, qui peculiarem relationem habuerint ad ecclesiam romanam, Petrum scilicet et Paulum. Ergo recte inferimus ipsum Ignatium agnovisse episcopatum Petri romanum.

Testimonium istud, si valet, est indirectum, neque distinguit inter Petrum et Paulum eorumque relationes ad ecclesiam romanam; hinc aliis, disertis et claris, complendum erit.

Idem fere dicendum est de verbis *Dionysii* episcopi Corinthi, qui (apud *Eus.,* Hist. eccl. 2, 25, 8. *K* 60) asserit Petrum et Paulum et Corinthi et in Italia semen evangelicum sparsisse atque dein utrumque martyrium subiisse.

500. Aliud est testimonium *Hegesippi,* quod idem Eusebius servavit (Hist. eccl. 4, 22, 1 sqq. *K* 69 sq.; cf. ibid. 4, 11, 7). Finis enim itineris romani, quod Hegesippus fecit, is erat ut disceret veram doctrinam et apostolicam traditionem: „quidnam lex praedicat et prophetae et Dominus". Ad hanc autem doctrinam pervenire contendit successionibus episcoporum, quos singulos in singulis ecclesiis adiit, in quorum successionem inquisivit, quorum consensus praebet certitudinem. Supponit igitur hisce successionibus se duci usque ad verba Christi, i. e. prima earum membra erant ipsi quoque apostoli. Prae ceteris ecclesiis eminet pro Hegesippo romana, quae fuit scopus et terminus itineris, cuius fastos episcopales imprimis exploravit: „Romam vero cum venissem, episcoporum catalogum confeci usque ad Anicetum . . . post obitum deinde successit Soter, quem excepit Eleutherus." Ita in omnibus ecclesiis et earum successionibus eandem „rectam fidem" servatam esse. Ergo tunc temporis ecclesia romana, sicut aliae, non solum instructa erat episcopo monarchico, sed etiam albo episcopali, quod continebat nomina praecessorum Aniceti usque ad tempus apostolicum. Quomodo autem apostoli, Petrus scilicet et Paulus, se habeant ad episcopos romanos, qualis igitur fuerit forma catalogi Hegesippi, discimus ex catalogo Irenaei adhuc servato.

Contra verba Hegesippi: διαδοχὴν ἐποιησάμην, a pluribus difficultates motae sunt. Et *alii* quidem categorice edicunt textum Hegesippi, apud Eusebium servatum, esse adeo corruptum, ut restitui eiusque sensus erui nullatenus possit *(Schwartz)*; *alii* autem emendationes proponunt, vel pro διαδοχήν substituendo διατρίβην (*Zahn, Harnack* cum aliis), vel loco ἐποιησάμην scribendo ἐνοησάμην *(Ehrhard)*; *alii* denique retinendum esse textum traditum censent, utpote ab omnibus testibus exhibitum (*Funk, Chapman, Bardenhewer* ac plurimi alii)[19]. Et re quidem vera ex altera parte non solum *textus* graecus Eusebii, sed etiam *versio* armeniaca et syriaca[20] eandem lectionem tuentur; *Rufinus* quidem in versione sua latina ita legit: „Cum autem venissem Romam, *permansi inibi,* donec Aniceto Soter et Soteri successit Eleutherus. Sed in omnibus istis ordinationibus vel in ceteris, quas per reliquas urbes videram, ita omnia habentur . . ." (*CB* ed. *Mommsen* II 1, 371). Sed quoniam Rufinus saepissime textum primigenium Eusebii liberius vertit, idem hoc loco admitti potest, idque eo magis, quia hac ratione textum hunc componebat cum loco parallelo (Hist. eccl. 4, 11, 7), ubi ipse Eusebius, in oppositione ad verba Hegesippi eorumque immemor, scribit Hegesippum permansisse Romae usque ad Eleutherum. — Ex altera dein parte *contextus* omnimode confirmat et explicat lectionem traditam; nam immediate sequitur verbum „succedit" (παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτήρ) et ipsa denique vox „successio" (ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ), ex quibus sensus „successionem facere" facile eruitur; est etenim catalogum episcoporum sibi succedentium facere, simili prorsus ratione ac Hist. eccl. 5, 5, 9: „successionem proponere" (διαδοχὴν παρατίθεσθαι). — Disputant de quaestione, utrum *Epiphanius* (Haer. 27, 6; cf. *Ass. 18,* schol. 2, n. 454) *usus* sit catalogo Hegesippi necne. Affirmant *Lightfoot, Chapman;* negant *Bardenhewer, Boehmer*[21] *Funk, Harnack.* Aliae dein ab aliis proferuntur sententiae de fontibus, ex quibus Hegesippus hauserit (de quibus cf. quae dicta sunt supra *Ass. 18,* n. 452).

501. *Irenaeus* episcopus est testis cum Hegesippo principalis. In epistula ad Victorem (apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 12 sqq. *K* 98 sqq.) narrat Anicetum episcopum romanum in controversia de celebrando paschate aequiparasse auctoritatem „presbyterorum" ecclesiae romanae (ex quibus affert Xystum, Telesphorum, Hyginum, Pium) auctoritati Ioannis apostoli ceterorumque apostolorum, ad quos Polycarpus provocavit; similem igitur auctoritatem ecclesiae romanae fuisse dici oportet ac ecclesiae asianae, i. e. *apostolicam,* nempe apostolorum Petri et Pauli. Id quod Irenaeus manifeste testatur in opere suo „Adversus haereses", *Petrum* nempe *et Paulum* Romae evangelizasse atque ecclesiam romanam fundasse; postmodum vero Marcum praedicationem Petri litteris consignasse (3, 1, 1. *K* 123). Exhibet porro successionem ecclesiae romanae, „maximae et antiquissimae . . . a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae" (3, 3, 2.

K 125), catalogum scilicet episcoporum romanorum. Petrus et Paulus „tradiderunt liturgiam *episcopatus* in manus“ Lini (τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν), cui successit Anacletus, post quem „tertio loco ab apostolis sortem episcopatus sortitur Clemens“ (3, 3, 3. *K* 126).

502. Duplex in hac relatione *dubium* quoddam forte oriri poterit; et *alterum* quidem ex eo quod *Petrus ex serie episcoporum exclusus* videtur; Clemens est enim „tertius post apostolos“ episcopus; *alterum* vero, quia *cum Petro simul Paulus* nominatur fundator et praecessor episcoporum romanorum, sicut in prioribus testimoniis Ignatii, Dionysii. — Quod ad primum dubium attinet, dicendus erit hoc quidem loco Irenaeus in catalogo episcopali Petrum non includere nominatim, quippe qui potiorem quandam condicionem obtinuit ut apostolus et fundator ecclesiae romanae; re autem et veritate minime negat Petrum obtinuisse episcopatum romanum; immo Irenaeus diserte asserit apostolos „in manus tradidisse munus episcopatus“ Lino, et quidem, uti ex contextu apparet, ut ecclesiam iam constitutam et ab apostolis administratam deinceps ipse administraret. Hanc autem interpretationem vim nullam inferre textui Irenaei patet ex eiusdem verbis quae praecedunt, scilicet apostolos instituisse episcopos, „quos et *successores* relinquebant“ (3, 3, 1; *K* 124). Itaque etiam in ecclesia romana apostoli considerantur ut praecessores episcoporum ipsique primi inter illos. Unde intellegitur modus numerandi episcopos diversus, qui apud Irenaeum obtinet; nam cum hoc loco (3, 3, 3; *K* 126) Hygino tribuit locum *octavum* (post Linum, Anacletum, Clementem, Evaristum, Alexandrum, Xystum, Telesphorum), atque etiam postea (3, 4, 3) cum expressis verbis vocat octavum; contendit vero alibi Hyginum „*nonum* locum episcopatus per successionem ab apostolis“ habuisse (1, 27, 1; *K* 117)[22]. Cum *Eusebius* hunc locum suo operi inseruerit (Hist. eccl. 4, 11, 2), cumque praeterea *Cyprianus* (ep. 74, 2; *CV* ed. *Hartel* 801) et *Epiphanius* (Haer. 41, 1; *CB* ed. *Holl* II 91) eundem tueantur, de eius genuinitate dubium esse nequit. Prout igitur Petri vel dignitas peculiaris apostolatus vel episcopatus romanus, quem vi huius potestatis apostolicae exercuit, considerabatur, vel includi fastis episcopalibus romanis vel excludi, Linus primus vel secundus episcopus romanus dici potuit.

Idem textus, qui probat Irenaeum Petrum non excludere ab episcopatu romano, ab eodem munere excludit *Paulum,* nisi quis velit considerare Petrum et Paulum tamquam unam personam moralem una gerentem episcopatum. Concedendum tamen erit Irenaeum, ne suspicatum quidem quod verba sua aliquando acris disputationis argumentum essent, *minus accurate loqui;* eodem nempe modo asserit Polycarpum, quem traditio ab apostolo Ioanne episcopum smyrnaeum institutum esse dicit, „ab apostolis“ (ὑπὸ ἀποστόλων) esse constitutum (3, 3, 4). Haec igitur verba non indicant nisi originem apostolicam, neque vero affirmare volunt plures apostolos Polycarpum instituisse. Quaestio igitur, qua ratione Paulus simul cum Petro ab Irenaeo nominetur, ex solius Irenaei verbis

forte non sat clare certeque solvi queat; hinc alii praeterea testes audiendi et interrogandi sunt[23].

503. *Tertullianus* eadem fere ac Irenaeus, cui est ex parte aequalis, testatur, forma tamen magis accurata, critica vel iuridica dixeris. In opere enim suo „De praescriptione haereticorum" (ex anno circiter 200) asserit (1) ecclesiam romanam gloriari apostolos tres triplexque martyrium; Romae etenim „Petrus passioni Dominicae adaequatur . . ., Paulus Ioannis (Baptistae) exitu coronatur . . ., Ioannes . . . in oleum igneum demersus . . . in insulam relegatur" (36, 3. *K* 194). Est igitur ecclesia romana *apostolica*, ex iis nimirum, „apud quas ipsae adhuc cathedrae apostolorum suis locis praesident" (36, 1), quas apostoli secundum Irenaeum suis successoribus tradiderint („locum magisterii": Adv. haer. 3, 3, 1. *K* 124). — (2) Qua talis ecclesia romana sicut ceterae deferre potest „suos census", i. e. *„ordinem episcoporum* suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris . . . habuerit auctorem et *antecessorem*" (32, 1. *K* 192). Hoc itaque modo ecclesia Smyrnaeorum Polycarpum „ab Ioanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem *a Petro* ordinatum edit" (32, 2).

Tertullianus igitur Petrum ut primum episcopum romanum considerat eumque solum; nam Paulum non nominat, licet eundem inter glorias ecclesiae exhibeat. Interpres namque traditionis eius, quam sequitur Irenaeus, verbis clarioribus eandem refert.

Eusebius citat in sua historia (Hist. eccl. 5, 28, 1 sqq.) auctorem quendam, nomine non adiecto, qui impugnarit Artemonem monarchianum. De huius *anonymi* persona non quidem certo constat, attamen probabile est eum non fuisse Gaium antimontanistam (de quo supra n. 492), sed eius adversarium, *Hippolytum* dico; verba eius Eusebius addit: esse nimirum aliquos ex istis haereticis, qui asserant priores (i. e. antecessores episcopi romani) et ipsos quoque apostolos tenuisse doctrinam Artemonis „usque ad Victorem, tertium decimum episcopum romanum *inde a Petro*"; a successione autem Zephyrini veritatem alteratam esse. Ex quo testimonio patet ineunte saeculo III *solum Petrum* consideratum esse episcopum romanum primum.

504. *Cypriani* testimonium afferre vix opus est, cum eo tempore, post Tertullianum, cuius assiduus lector fuit *Cyprianus,* haud dubia est traditio, cuius terminus quasi technicus facta est „cathedra Petri". Antoniano scribens Cyprianus de electione et ordinatione Cornelii episcopi romani, ait Cornelium electum esse, „cum Fabiani (antecessoris) locus, id est, cum *locus Petri* et *gradus*

cathedrae sacerdotalis vacaret" (epist. 55, 8; *K* 277). Ad Cornelium autem ipsum scribit de certis quibusdam presbyteris, qui „navigare audent et ad *Petri cathedram* atque ad ecclesiam principalem . . ." (epist. 59, 14, 2; *K* 294). — Inter Cypriani epistulas continetur etiam *Firmiliani,* episcopi Caesareae Cappadociae, epistula, qua testatur Stephanum Romanum de episcopatus sui loco gloriari et contendere „se successionem Petri tenere" atque „per successionem *cathedram Petri*" se habere (epist. 75, 17; *CV* ed. *Hartel* 821), cum tamen antea clare indicaverit *Petrum et Paulum* fundasse hanc ecclesiam romanam („Stephanus . . . infamans Petrum et Paulum beatos apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint" [75, 6; *K* 309] baptismum scilicet collatum extra ecclesiam posse esse validum).

Liber *adversus aleatores*[24], scriptus fere eodem tempore, testatur non solum primatum Romani Pontificis (curam universae fraternitatis) ex successione Petri, qui gesserit „apostolatus ducatum", sed etiam *„vicariam Domini sedem* . . . et *originem* authentici *apostolatus"* (*K* 310).

505. Testimonium *virtuale* et obiectivum praeclarum constituunt *imagines* Petri, picturae et sculpturae, quae depingunt vel res a Petro gestas, facta scilicet historica, vel symbolice eiusdem condicionem exponunt, atque non solum *commorationem* Petri romanam testantur sed etiam peculiarem aliquam Petri relationem ad ecclesiam romanam *(episcopatum),* qua Paulus non gaudet, diserte etiam eiusdem *primatum.*

Tota paene vita Petri ita pingitur inde a vocatione usque ad martyrium; de Paulo autem solum martyrium proponitur, quod passus est capitis abscisione ad aquas Salvias, idque semper fere simul cum Petri martyrio. Alia igitur fuerit necesse est condicio Pauli, alia Petri; alia etiam relatio ad ecclesiam romanam, in qua potissimum hae imagines ortae et effectae sunt; Petrum enimvero ut *suum apostolum* consideravit prae Paulo ab eoque praeprimis apostolicam sese vocavit.

Simul autem dignitas Petri *primatialis* iisdem picturis clarissime effertur, quibus vel traditio potestatis supremae describitur, vel symbolice eiusdem exercitium indicatur. *„Traditio Legis"* quae vocatur ostendit Dominum sinistra Petro tradentem Legem, dextera imperium exprimentem. Legenda aliquando ab artifice addita continet vel sola verba „Lex" vel „Dominus" vel etiam „Lex Dei" et „Dominus Legem dat". Haec scena occurrit plus vicies in sarcophagis, rarius in picturis catacumbae (Priscillae) et in vasis vitreis. — Inde ab exeunte saeculo II vel ineunte saeculo III apparet Petrus cum symbolo *clavium,* imprimis

iterum in sculpturis sarcophagorum: *cathedrae* autem Petri imago prima videtur esse in sarcophago arelatensi saeculi IV: Petro docenti assistit Dominus eique dat infallibilitatem. — Idem munus magisterii authentici pingit scena aliqua, quae proponit *Petrum sedentem super petram* et legentem ex volumine quodam viris ipsum audientibus. — Longe autem frequentissima est pictura, qua *Petrus* velut *alter Moses* virga sua *percutit petram,* ex qua ilico fons aquae prorumpit. Ex aqua bibunt viri habitu militari et pileo pannonico qui vocatur. Imago forte alludit ad conversionem Cornelii eiusque comitum, militum; certe autem designat munus Petri sanctificatorium, administrationem sacramenti initialis, itemque apostolatum eius inter ethnicos. Cuius scenae universim plus centum imagines notae sunt, inter quas circiter 60 sculpturae in sarcophagis, inde ab ineunte saeculo II.

Cf. *J. Wittig,* Die altchristlichen Skulpturen im Museum der deutschen Nationalstiftung am Campo Santo in Rom (Supplement zur Römischen Quartalschrift), Rom 1906; *J. Wilpert,* Chronologie der altchristlichen Sarkophage. Römische Quartalschrift XXX (1916/22) 20 sqq.; idem, Wahre und falsche Auslegung der altchristlichen Sarkophagskulpturen. Zeitschrift für katholische Theologie XLVI (1922). 1 sqq. 177 sqq. Idem promittit „Corpus sarcophagorum christianorum".

506. NOTAE. — **1** Commorationem duodecennem apostolorum et Petri in Palaestina testantur *Kerygma Petri* (apud *Clement. Alex.,* Strom. 6, 5, 43; *H. Lietzmann** in Kleine Texte III[2] [1908] 15), *Apollonius* (apud *Eus.,* Hist. eccl. 5, 18, 14), *Actus Petri cum Simone* (Actus Vercellenses; ibid. 5, 22, ed. *Lipsius* I 49). *Hippolytus Thebanus* asserit apostolos per undecim annos in Palaestina mansisse. Cf. *F. Diekamp,* Hippolytus von Theben (Münster 1898) 92 sq. — Testimonia pro pontificatu Petri romano, quem per 25 annos gesserit, composuit *C. Kneller* (Zeitschr. für kath. Theol. XXVI [1902] 39 sq.), scilicet *Eusebii,* qui supponit Petrum mortuum esse anno 67 vel 68 (nam successor eius Linus post duodecim annos anno 80 e vita decessit: Hist. eccl. 3, 13); venerat autem Petrus sub Claudio Romam (2, 14, 6), ita quidem ut adhuc conversari potuerit cum Philone, qui usque ad initium huius imperii Romae manserit (2, 17, 1). Accedit testimonium *Epiphanii* (Haer. 27, 6), qui admittit potuisse Linum et Cletum vivo Petro duodenis annis Ecclesiam romanam administrare. *Doctrina Addai* recensione syriaca et *Catalogus Liberianus* Chronographi anni 354 (*K* 545). — **2** *A. v. Harnack**, Porphyrius' „Gegen die Christen" 15 Bücher. Fragmente und Referate (Abhandl. der Akad. der Wissensch. [Berlin 1916] nr. 26); *idem* in Texte u. Unters. XXXVII, 4. Heft (1911) 57 75. — **3** De Petri morte cf. praeter alios *Hergenröther-Kirsch,* Handbuch der allgem. Kirchengesch. I[5] (Freiburg 1911) 97 sqq.; cf. ibid. bibliographiam. — **4** Adversarios veteres v. e. g. apud *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. I ([6]/[7] 1924) n. 466; recentiores praeter *A. Bauer** (de quo in nota 6), *W. Soltau** in recensendo libro *H. Lietzmann**, Petrus und Paulus in Rom (Bonn 1915); Wochenschr. f. klass. Philologie XXXIII (1916) 717. — **5** *A. Feder,* Lehrb. der geschichtl. Methode, [2]Regensburg 1921, n. 80; [3]ibid. 1924, n. 96. — **6** *A. Bauer**, Die Legende von dem Martyrium des Petrus und Paulus in Rom (Wiener Studien XXXVIII [1916] 270—307);

cf. *E. Boeminghaus* in Stimmen der Zeit XCV (1918) 251 sqq. — Sobrie et critice in hac quaestione *R. Knopf** in Handbuch zum N. T. (Erg.-Band: Die apostolischen Väter [Tübingen 1920] 50 sq.), auctor alioquin ex schola protestantica liberali. — **7** *C. Clemen** suam sententiam exposuit in Zeitschr. für wissensch. Theol. XXXIX (1896) 403 sqq., eamque contra *Zeller** et *Harnack** defendit ibid. XL (1897) 455 sqq.; *I. Flemming** apud *E. Hennecke**, Neutest. Apokryphen (¹1904) 293; *idem* in Handbuch zu den Neutest. Apokryphen (1904) 323 sqq.; *H. Duensing**, Neutest. Apokryphen (²1924) 303 sqq.; *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes III⁴ (1909) 386; *C. Kneller* in Zeitschr. für kath. Theol. XXV (1901) 565. — **8** De Phlegonte cf. *W. v. Christ,* Gesch. der griech. Litteratur II⁵, 2 (München 1913), 597 sqq.; *A. v. Harnack**, Petrus im Urteil der Kirchenfeinde des Altertums (Festgabe Karl Müller [Tübingen 1922] 1—6). — **9** Ed. *Corssen** in Texte u. Unters. XV, 1. Heft (1897); *H. Lietzmann** in Kleine Texte I² (1908) 15. — **10** Cf. *E. Hennecke** l. c., de martyrio Pauli (¹1904 383) ²1924 210 sqq.; Actus Vercellenses (¹1904 393 sqq.) ²1924 251 sqq.; *idem,* Handb. zu den neutest. Apokr. 363 (Acta coptica). — **11** *Hugo Koch** in Zeitschr. für wiss. Theol. (LV [1913] 310 sqq.) et in Zeitschr. für neutest. Wiss. (XIX [1919/20] 174 sqq.) negat Polycratem in sua epistula respondere ad argumentum episcopi romani, qui provocaverit ad sepulcra Petri et Pauli romana. Nam Hieronymum et Rufinum textum non ita intellexisse; Eusebium ipsum, qui verba Polycratis operi suo inseruit, silentio suo ostendere in epistula romana tale testimonium defuisse. Irenaeum porro testari in epistula sua ad Victorem ecclesiam romanam praxim celebrandi pascha sub Sotere mutasse; hinc eandem non potuisse provocare ad traditionem apostolicam. Verba denique Gai de tropaeis Petri et Pauli romanis indicare simile argumentum Procli. Quibus positis concludit ecclesiam romanam, ut non solum originem apostolicam sed etiam auctoritatem assumptam primatialem tueretur, sepulcra apostolorum finxisse. — Singulas rationes tractavi et enucleavi in Zeitschr. für kath. Theol. XLV (1921) 627 sqq. — Eodem fere tempore ac Koch scripsit *C. Schmidt** in excursu III operis sui „Gespräche Jesu mit seinen Jüngern nach der Auferstehung" (Texte u. Unters. XLIII [1919] 577 sqq.) de testimonio Polycratis, et asserit quidem non constare Victorem provocasse ad Petrum et Paulum, sententiam tamen, quam Koch de obiecto controversiae profert, reicit. **12** Ita *K. A. H. Kellner,* Heortologie (³Freiburg 1911) 226; *H. Lietzmann**, Petrus und Paulus in Rom 71. De festo caristiorum cf. *G. Wissowa,* Religion und Kultus der Römer (München 1902) 187. — **13** *L. Duchesne,* Origines du culte chrétien (⁴1908) 279. — **14** *H. Lietzmann** l. c. 121. — **15** De excavationibus ad S. Sebastiani factis cf. *A. de Waal* et *P. Styger* in Röm. Quartalschr. XXIX (1915) 73 sqq. 149 sqq.; Katholik XCV (1915 I) 395 sqq.; *H. Lietzmann** l. c. 116 sqq.; *P. Styger,* Dissertazioni della Pontificia Academia Romana serie 2, tom. 13 (1918), p. 1—114; *idem,* Die erste Ruhestätte der Apostelfürsten Petrus und Paulus an der Via Appia in Rom, in Zeitschr. für kath. Theol. XLV (1921) 549 sqq. Conspectum praebent *I. P. Kirsch* in Röm. Quartalschr. XXX (1916/22) 5—28; *O. Marucchi,* Nuovo Bullettino di Archeologia Cristiana XXVI (1920) 5—31; *H. Lietzmann** in Zeitschr. für neutest. Wissensch. XXI (1922) 150—157; *G. de Jerphanion* in Études CLXXI (1922 II) 59 sqq.; *K. Erbes** in Zeitschr. für Kirchengesch. XLIII (1924) 38 sqq.; quaestionem totam de commoratione Petri romana plene et lucide exponit *A. d'Alès,* Pierre (Saint) à Rome: Dict. apolog. IV [1923] 25 sqq. — **16** *De Rossi,* Inscriptiones christ. urbis Romae I 235 sqq. Testimonia epigraphica cf. *C. M. Kaufmann,* Handb. der altchristl. Epigraphik (Freiburg 1917) 233 sqq. 462 sqq.; *L. Jalabert,* Dict. apolog. I 1404 sqq., s. v. „Epigraphie". — **17** Hac in quaestione *Ch. Hülsen* (Neue Jahrbücher XLI

[1918] 282 sqq.) paululum dissentit a Lietzmann; item in explicanda positione excentrica sepulcri Petri. — **18** Cf. notam praecedentem. — **19** *E. Schwartz**, in editione Eusebii quam paravit (*CB*, Eusebius' Werke II 3) contendit ante Soterem nullum episcopum romanum exstitisse; catalogum proinde esse fictum et quidem ex rationibus dogmaticis (p. ccxxv); verba Hegesippi ab Eusebio allata esse perobscura atque plane corrupta („Mit dem Exzerpt aus Hegesipp ist nichts anzufangen; es ist hoffnungslos verdorben" [p. ccxxv, not. 3]); *Th. Zahn**, Forschungen z. Gesch. des neutest. Kanons VI (Leipzig 1900) 243 sqq.; *A. Harnack**, Gesch. der altchristl. Literatur II, 1 (Leipzig 1897), 180 sqq.; *F. X. Funk*, Kirchengesch. Abhandl. u. Untersuch. I (Paderborn 1897) 381 sqq.; *A. Ehrhard*, Die altchristl. Literatur und ihre Erforschung von 1884 bis 1900 I (Freiburg 1900) 257; *O. Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Literatur I[2] (Freiburg 1913) 389 sq.; *J. Chapman*, Revue Bénédictine XVIII (1901) 399 sqq.; XIX (1902) 13 sqq. 145 sqq. — **20** *E. Nestle**, Die Kirchengeschichte des Eusebius aus dem Syrischen übersetzt (Texte u. Unters. XXI, 2. Heft [1901], 153: „Als ich aber nach Rom ging, machte ich dort in der Herleitung der Bischöfe bis auf Aniketus, nach welchem überkam Soter und nach Soter Eleutherus; und so ist es in der ganzen Herleitung und allen Kirchen, wie es verkündete das Gesetz und die Propheten und Unser Herr"). — **21** *H. Boehmer**, Zur altrömischen Bischofsliste (Zeitschr. für neutest. Wissensch. VII [1906] 333 sqq.). Eius sententia hisce fere enuntiatur: „Fest steht nur, daß Hegesipp hier etwas über die Succession der römischen Bischöfe bis auf Aniket gesagt hat. Aber sicher hat er nicht die Liste selber angeführt noch auch behauptet, daß er sie bei seinem Aufenthalt in Rom erst festgestellt habe. Sonst würde Euseb . . . dies ausdrücklich bemerkt haben" (p. 338/9). Epiphanium vero usum esse catalogo Iulii Africani (335). — **22** Lectio varians *„octavum"* loco „nonum", quem solus codex Passerat praebet, utpote carens fundamento testium atque facilior, in quaestionem venire nequit. — **23** Principales difficultates, quae contra alteram praecipue partem huius assertionis, contra episcopatum Petri romanum, moveri solent, composuit *J. B. Lightfoot**, The Apostolic Fathers I, 2 (London 1890), 501 sqq., quem secutus est *A. Harnack**, Gesch. der altchristl. Lit. II (Chronologie I) 703 sqq., scilicet (1) secundum auctores veteres Petrum et Paulum fundasse ecclesiam romanam; ergo aut utrumque fuisse episcopum romanum aut neutrum; (2) catalogos antiquissimos episcoporum romanorum ipsum Petrum episcopis romanis non adnumerare. — Utraque quaestio supra explicata est; cf. etiam *C. Kneller* in Zeitschr. für kath. Theol. XXVI (1902) 233 sqq.; *I. Ottiger*, De Ecclesia 583 sqq.; *A. Straub*, De Ecclesia Christi I 422 sqq. — Alias obiectiones, quae petuntur ex silentio Actuum et epistularum Pauli de Petri episcopatu, ex Gal. 2, 7; Matth. 23, 34, vide apud *I. Ottiger* l. c. 569 sqq. — **24** *Hugo Koch** (Festgabe Karl Müller [Tübingen 1922] 58—67) asserit libellum non esse originis romanae neque quidquam de primatu continere.

B. De primatu iurisdictionis Romani Pontificis.

507. Ex iis, quae in assertione praecedenti dicta sunt, constat quidem episcopum romanum esse successorem Petri in *episcopatu particulari* ecclesiae romanae, eodem atque adeo potiore quodam modo ac episcopi antiocheni successores Petri habebantur in sede antiochena; nam Petrus ut episcopus romanus mortuus est. Quaeritur autem, num successio romana praeter episcopatum

particularem insuper includat *primatum universalem,* quem Dominus Petro tradidit ut perenne Ecclesiae suae fundamentum. Haec iam quaestio solvenda, atque probandum est in persona episcopi romani coniungi duo munera hierarchica, episcopatum et primatum, utrumque vi successionis legitimae, quae fundatur in Petro atque inde exordium sumpsit. Hinc statuimus sequentem assertionem.

ASSERTIO 21. Episcopus romanus est successor Petri etiam in eius primatu, idque iure divino.

508. Episcopalis sedes romana unica *sedes apostolica* est, quae censum suorum episcoporum serie numquam intercisa deferre potest ab episcopo, qui nunc dioecesim romanam regit usque ad primum episcopum, Petrum. Nota igitur apostolicitatis ei competit maximo iure. Sed non ideo potissimum vocatur „Sedes apostolica"; gaudet enim alia praerogativa, maiore etiam apostolicitate, quoniam apostolus ille, qui primo hanc cathedram obtinuit, apostolus fuit sensu plenissimo, quippe cui a Christo tota potestas apostolica atque auctoritas summa in universam Ecclesiam collata est. Quam potestatem simul cum episcopatu locali ecclesiae romanae suis successoribus in sede romana reliquit. Hinc quae supra de primatus natura diximus, omnia integre valent de episcopo romano tamquam successore Petri in primatu, i. e. episcopus romanus utitur auctoritate hierarchica monarchica in Christi Ecclesia. Et hierarchica quidem, quia eadem potestas, quae Petro a Christo collata est, ad eius successores iuridicos transiit; monarchica autem, quatenus gaudet potestate extensive et intensive summa, cui grex Christi universus, et oves et earum pastores, subiectus est; est enim, sicut Simon, petra ideoque fundamentum Ecclesiae, Petrus qui numquam moritur, vicarius Christi.

Quibus expositis iam patet successorem Petri gerere hunc primatum *iure divino;* nam primatus, ut Ecclesiae perennis fundamentum perenne, est immediate a Christo institutus atque ex Christi voluntate Petro eiusque successoribus traditus. Ergo quicumque est Petri successor in primatu, hoc munus gerit iure divino, gaudet potestate divinitus sibi tradita, sicut episcopi sunt successores apostolorum iure divino, quatenus eorum munus est essentialiter idem ac apostolorum.

509. *Non* igitur referuntur haec verba „iure divino" *ad nexum inter sedem romanam et primatum* vel inter munus episcopale particularis ecclesiae romanae et munus universale primatus Ecclesiae, ita ut sensus sit nexum hunc numquam solvi posse et ideo quidem, quia ab ipso

Christo proveniat. Quaestio interim controvertitur inter theologos, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Ex iis iam, qui concedunt nexum illum non esse iuris divini et hinc absolute solvi *posse*, tamen plurimi censent eum numquam solutum iri, cui assertioni iterum alii aliam tribuunt certitudinem. Verba *Concilii Vaticani:* „Si quis dixerit . . . Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem: anathema sit" (*D* 1825), a relatore, scilicet episcopo *Pie* pictaviensi, qui nomine deputationis schema exposuit coram patribus concilii, ita explicabantur: „In successoribus B. Petri, qui sunt Romani Pontifices, ubique duo distingui debent. Ex iure divino, scilicet ex institutione Christi, pendet perpetuae successionis lex, qua ratum divinitus est, ut Petrus semper debeat habere successores. Ex facto autem Petri, qui sedem ac cathedram suam apostolicam, mirabili Christi dispensatione . . . et disponente Domino . . . in Urbe locavit et suo sanguine consecravit, pendet, quod illa successio in sede romana locum habeat, ita ut successor B. Petri nominatim vel, ut aiunt, reduplicative, sit romanus episcopus; et hoc quidem exsistit ex iure illo humano, quod melius tamen et verius ius ecclesiastico-apostolicum nominatur." Idem confirmavit in discussione speciali eiusdem canonis relator deputationis, episcopus *Zinelli* tarvisinus, scilicet „illos, qui posito facto Petri, ex quo episcopi romani sunt successores Petri, non iure divino ut tales esse ipsius etiam in primatu successores." Sensus igitur patrum concilii is erat, ut priore parte canonis definirent Petrum iure divino habere perpetuos successores, in altera vero parte dicerent Romanos Pontifices esse eius successores etiam in primatu[1].

De facto, in praesenti rerum condicione, episcopus romanus est successor Petri etiam in eius primatu, ita ut ille, qui gerat hunc episcopatum particularem romanum, simul fungatur munere primatiali, itaque episcopatus romanus sit quasi nota, qua cognoscitur primas Ecclesiae.

510. Primatus Romani Pontificis ab iisdem *impugnatur,* qui negant Petro a Christo Domino traditum esse primatum; brevi omnes qui non sunt catholici; nam qui admittit Ecclesiam catholicam esse veram Christi Ecclesiam, eo ipso agnoscit eius fundamentum, primatum dico. Et quicumque agnoscit primatum Romani Pontificis, eo ipso agnoscet Ecclesiam catholicam ut unice veram. Protestantes igitur omnes, et conservativi et liberales, atque etiam eorum pedisequi, modernistae scilicet, adversantur primatui. Speciatim monarchicam hanc auctoritatis formam impugnant episcopalistae, imprimis anglicani[2], et veteres-catholici qui se vocant, inde scilicet a denegata subiectione sub decretis Concilii Vaticani.

511. Opinio inter *rationalistas* praevalens continetur propositionibus 52—56, damnatis Decreto *„Lamentabili"* (*D* 2052—2056), scilicet sicut fuerit alienum a mente Christi condere aliquam Ecclesiam tamquam societatem visibilem et perennem (52), sicut et constitutio Ecclesiae (53) eiusque dogmata, sacramenta, hierarchia non sunt nisi fructus evolutionis naturalis, nempe „intellegentiae christianae interpretationes" germinis

alicuius exigui in Evangelio latentis (54): ita etiam primatus non est a Christo Petro demandatus (55), sed ortus est in ecclesia romana, quatenus haec ecclesia „ex mere politicis condicionibus caput omnium ecclesiarum effecta est“ (56). Haec iam evolutio primatus nunc fere dogma habetur inter rationalistas. Ecclesiam scilicet Romae, ut urbis principalis sedisque imperii romani, participasse ipsam quoque dignitatem et auctoritatem romanam, initio quidem de facto tantummodo, non de iure. Cum autem et multitudo christianorum et eorum divitiae atque etiam vigor quidam Romanis inditus et naturalis, coniunctus cum prudentia non mediocri hanc ecclesiae romanae condicionem augerent confirmarentque, cum praeterea caritas provida episcoporum romanorum sollicitudinem gereret omnium ecclesiarum, cum denique iam pridem influxum suum exercerent in componendis litibus et controversiis etiam doctrinalibus: hinc factum esse ut paulatim primatus agnosceretur ab aliis ecclesiis. Cui agnitioni ut adstruerent fundamentum solidum atque istis temporibus unice validum, biblicum scilicet, arripuerunt vel etiam finxerunt pericopam de traditione primatus ad Petrum, quem inde a saeculo I pro episcopo suae ecclesiae habuerunt (cf. supra *Ass. 13,* n. 345 sqq. et *Ass. 20,* n. 497 sqq. Hisce fere evolutio naturalis primatus, qualem fingunt rationalistae, exhibetur[3].

At vero talis explicatio laborat duobus imprimis defectibus, quia (1) in se est summopere improbabilis et (2) pugnat cum testimoniis omnibus, quae de condicione romanae ecclesiae agunt. Sed de his, si placet, in Scholio 2, n. 539 sqq. tractabimus.

512. Assertio nostra *vario modo* ut vera demonstrari potest. Et primum quidem *via historica,* scilicet *consensu universali et constanti,* qui viget inde a tempore apostolorum, comitum et testium Christi atque interpretum eiusdem authenticorum, primatum competere ecclesiae romanae eiusque episcopo vi successionis petrinae. Qui consensus, ut rite probetur, exstare ostendendus est saltem tempore postapostolico, i. e. iam ultimis decenniis saeculi I.

Altera via, abbreviata quidem sed genuine historica, procedit ita ut facta historica hucusque probata sint fundamentum, scilicet institutio primatus, quem Christus posuit tamquam fundamentum perenne suae Ecclesiae (*Ass. 15,* n. 378 sqq.). Ex quibus factis, si considerentur ut actus legati atque adeo Filii Dei, immediate sequitur, *via illativa,* in Ecclesia semper debere esse ex voluntate Christi primatum et hinc etiam eum qui hunc primatum gerat, seu primatem, notum et agnitum ut talem ab Ecclesia. Iamvero Christi voluntas est absoluta, i. e. de facto semper aderit primas in Ecclesia, qui eam summa sua auctoritate regat. Hinc restat unica quaestio adhuc solvenda, quisnam sit hic primas Ecclesiae Christi. Respondet historia praeter romanum episcopum nullum umquam sibi ius primatus attribuisse seu ab Ecclesia ut primatem

agnitum fuisse. Ergo solus episcopus romanus est primas Ecclesiae Christi et successor Petri in eius primatu. Iam vidimus hanc demonstrationem esse independentem ab episcopatu Petri romano, immo ab eiusdem commoratione romana.

Tertia via vocari potest *dogmatica,* quatenus iam supponit infallibilitatem Ecclesiae saltem in genere. Plures enim sunt voces universalis Ecclesiae, quibus suam sententiam clare et certe manifestat romanum episcopum esse primatem universae Ecclesiae. Inter concilia oecumenica eminet *Vaticanum*, quod hanc veritatem denuo sollemnissime definivit (*D* 1826 sqq.), idque in consensu totius Ecclesiae etiam discentis quae vocatur, cuius disertam quoque subiectionem et oboedientiam nactum est, aliquibus paucis, veterocatholicis, exceptis. Certe igitur haec est sententia universalis Ecclesiae, cui Christus infallibilitatem promisit per assistentem Spiritum Sanctum; plura in tractatu de magisterio ecclesiastico. Ipsam definitionem vaticanam in scholio considerabimus, non quidem ut definitionem Concilii, sed ut documentum universalis consensus Ecclesiae atque ulteriorem explicationem ipsius naturae primatus.

I. Argumentum historicum.

Consensum istum universalem et constantem, quem imprimis ostendendum proposuimus, ita demonstrabimus, ut (1) exhibeamus seriem testium, inde a saeculo I usque ad annum fere 250, quo scilicet primatus Romani Pontificis clare in universa Ecclesia agnoscitur; dein (2) ex hac quasi materia componamus ipsum argumentum, gradibus quibusdam, quibus eius vis pondusque continetur et manifestatur.

1. Testimonia historica.

513. *Evangelia synoptica,* de quorum testimonio supra egimus, tradunt quidem primatum Petro datum eumque perennem, sed quoniam scripta sunt, cum Petrus adhuc viveret, de eiusdem successore silent. Hoc unum igitur probant: viguisse annis circiter 50—70 persuasionem: Ecclesiam, monarchice institutam, indigere primate tamquam vicario Christi.

Evangelium vero *Ioannis,* licet episcopum romanum non nominet, eius tamen primatum videtur supponere ut lectoribus notum. Nam ex altera parte testatur Christum Simoni Petro contulisse primatum (21, 15 sqq.), ex altera parte martyrium describit, quod idem Petrus subierit, simile scilicet mortis genus, ac ipse Dominus (21, 18 sq.). Ergo alius iam vices gerit pastoris summi gregis Christi, qui, vivente adhuc (ultimo?) aliquo ex Christi apostolis,

summa potestate ecclesiastica utitur. Quisnam fuerit tempore Ioannis, novimus ex documento aliquo coaevo.

514. *Epistula Clementis Romani prima* quae vocatur primum exercitium et specimen potestatis primatialis praebet. Cuius testimonium ut recte perpendamus, prae oculis habeamus necesse est (a) auctorem huius epistulae secundum consensum universalem istius temporis esse *Clementem, episcopum romanum* (cf. n. 469). Ipsa quidem epistula nominat „ecclesiam Dei, quae Romae peregrinatur" tamquam eam, quae epistulam scripserit, quia scilicet ecclesia ut talis, i. e. ut organisata, gubernatur ab episcopo (de hac consideratione cf. n. 391 sq. 401 sqq. 410); — b) hanc epistulam scribi *ad ecclesiam apostolicam,* nempe corinthiacam, paulinam, „firmissimam et antiquam" (47, 6), cui ipse apostolus epistulam scripsit (47, 1—3). Ergo, si ecclesia romana mere ut apostolica consideratur, non ut ecclesia Petri atque primatialis, non est cur praeferatur corinthiacae; multo minus ullum ius ullamve auctoritatem habet, qua erga ecclesiam corinthiacam utatur. — Nihilominus (c) ex tota epistula elucet magna quaedam gravitas atque *vera auctoritas,* qua Clemens non ut arbiter inter partes discordes ecclesiae corinthiacae pacem componere studet, sed ut iudex damnat seditionem iuniorum et restitutionem presbyterorum postulat nomine Dei. Quamvis non sit invitatus vel a Corinthiis rogatus (1, 1), morbo tamen periculoso, quo laborat ecclesia corinthiaca, mederi intendit, non sola caritate motus fraterna (56, 1 sq.), sed vi auctoritatis, quae exigit oboedientiam: „Aequum igitur est . . . cervicem supponere et oboedientiae locum implere, ut quiescentes a vana seditione ad scopum in veritate nobis propositum . . . perveniamus. Gaudium enim et laetitiam nobis praestabitis, si oboedientes facti iis, quae scripsimus per Spiritum Sanctum, resecetis illegitimum zeli vestri studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistula" (63, 1 sq.). „Sin autem quidam non obtemperaverint iis, quae ille (Iesus Christus) per nos dixit, cognoscant offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse; nos autem innocentes erimus ab hoc peccato et continuo orantes ac supplicantes precabimur . . ." (59, 1 sq.). Quae verba, sane gravissima, confirmantur aliis (7, 1: 48, 1; 57, 1 sq.; 58, 2), ipsa denique indole epistulae, quae ostendit eius auctorem sibi adscribere auctoritatem veram, redundantem in ecclesiam finitimam aeque apostolicam. Et hoc quidem observare est versus annum 96, quo haec epistula scripta est, superstite adhuc apostolo Ioanne magnaque parte discipulorum apostolorum atque etiam Pauli adeoque Corinthi (cf. 42 44 63 65).

Cuius auctoritatis pondus etiam evidentius apparet, si hanc Clementis epistulam compares cum epistulis Ignatii Antiocheni, qui et ipse ut episcopus antiochenus non solum cathredam apostolicam obtinebat, sed nominatim Petrum inter praecessores suos praedicabat. Neque vero umquam Ignatius limites exhortationis, quam caritas vel preces christianorum inspirarant, transgressus est; immo saepius se non habere auctoritatem aperte fatetur (cf. e. g. ad Eph. 3, 1; 12, 1: ad Trall. 3, 3; ad Rom. 4, 3). — Hinc intellegitur (d), curnam ecclesia corinthiaca huic admonitioni *sese subiecerit*, teste Dionysio, ipsorum Corinthiorum episcopo (apud *Eus.*, Hist. eccl. 4, 23, 11; *K* 62), Hegesippo (apud *Eus.*, l. c. 4, 22, 1: *K* 69: cf. 3, 16), Irenaeo (Adv. haer. 3, 3, 3), Eusebio (l. c. 3, 16: 3, 38, 1). Immo iam Polycarpus hanc Clementis epistulam novit eaque in sua, quam scripsit ad Philippenses, componenda usus est[4]. Ratio autem auctoritatis, cum non sit apostolica indoles ecclesiae romanae, specialis illa relatio eiusdem ad Petrum et Paulum sit oportet, de qua idem Clemens locutus est initio suae epistulae (5; *K* 10), proxime et proprie autem relatio ad *Petrum;* nam Paulus ecclesiae corinthiacae erat *fundator* et pater sensu plenissimo (1 Cor. 4, 14 sq.). Petrus autem erat primas Ecclesiae Christi; si hunc suum primatum successori cum episcopatu simul tradidit, plane intelleguntur, quae in epistula Clementis leguntur, qua scilicet ratione Clemens, episcopus romanus, possit uti tali tantaque auctoritate erga ecclesiam corinthiacam[5].

515. *Kerygma Petri,* apud Clementem Alexandrinum servatum (Strom. 1, 29, 182; 6, 5, 39 sqq.; 6, 6, 48; 6, 15, 128; cf. n. 431), arcte cohaeret cum conclusione *EvMarc.* breviore, non genuina; utrumque documentum effert condicionem Petri prae ceteris apostolis, adeo usque ut missio Christi ipsaque praedicatio evangelica competat Petro, idque ex voluntate et dispositione ipsius Christi. Licet igitur haec „praedicatio Petri" nil edicat de Petri successoribus, tamen nos instruit de modo, quo versus finem saeculi I vel initium saeculi II condicio Petri atque eius primatus considerata fuerint. Secundum sensum istius temporis non est fructus alicuius evolutionis naturalis, sed institutio positiva Iesu Christi. Idem igitur dicendum erit de primatu perenni perdurante, idem de successoribus Petri ac de Petro ipso.

Eundem sensum profitetur *Ignatius,* episcopus antiochenus, ecclesiae Syriae. Cum enim in itinere suo romano audiret esse periculum, ne christiani romani „intempestivam benevolentiam" (ad Rom. 4, 1) exhibentes eum a martyrio tam ardenter desiderato impedirent, timens eorum caritatem ipsis scripsit litteras, quae

certe inter pretiosissima documenta aetatis postapostolicae numerari debent. „Bonum est a mundo occidere ad Deum, ut in ipso oriar“ (2, 2), hisce fere continetur eius argumentum. Quonam igitur modo loquitur Ignatius de ecclesia romana? Certe aliter ac de aliis ecclesiis. Iam ipsum exordium vel inscriptio epistulae differt ab inscriptionibus aliarum epistularum, utpote longior, sollemnior, plenior; immo in hac inscriptione verba occurrunt tam gravia, ut de solo primatu romanae ecclesiae intellegi possint. Est etenim ecclesia romana, quae „etiam praesidet in loco regionis Romanorum . . . universo caritatis coetui praesidens“ (*K* 25).

516. De sensu priorum verborum non omnino constat, utrum scilicet solummodo indicent ecclesiam, cui Ignatius scribit, sicut in inscriptione epistulae ad Ephesios: „ecclesiae, quae est Ephesi Asiae,“ an vero adscribant ecclesiae romanae praelaturam relate ad omnes locos, qui sub ditione Romanorum erant. Prior autem sententia videtur omnino tenenda esse. De interpretatione loci alterius etiam acrius disputatum est. Quidnam significat προκαθημένη? et quoniam huius vocis sensus dependet ab indole „caritatis, ἀγάπη“, iam quaeritur, quo sensu haec „caritas“ intellegenda sit. Et protestantes quidem vix non omnes contendunt Ignatium loqui de operibus caritatis, quibus ecclesia romana prae ceteris praeemineat; contra vero catholici tenent sensum obvium: ecclesiam romanam praesidere societati caritatis, seu illi societati, cui caritatis lex fere est distinctiva et propria. Et iure quidem; nam ἀγάπη apud ipsum Ignatium usuvenit sensu coetus localis (ad Trall. 3, 2; 13, 1; ad Rom. 9, 3; ad Philad. 11, 2; ad Smyrn. 12, 1), i. e. habet sensum socialem et adhibetur synonymice cum ecclesia. Iamvero ecclesia designat coetum et particularem et universalem. Ergo idem de voce „agape“ dicendum erit. Accedit dein sensus vocis „praesidere“, quae „ad locum vel societatem aliquam refertur“ [6], tum secundum sensum proximum et nativum tum ex usu loquendi. Quodsi dein duos hos textus, qui de praesidendi munere agunt atque illud romanae ecclesiae attribuunt, componimus, haud dubium esse potest, quo sensu ab Ignatio adhibeantur; indicant enim verum ecclesiae romanae primatum. — Exinde intellegentur alii etiam loci eiusdem epistulae, qui praedicant auctoritatem ecclesiae romanae: „. . . alios docuistis. Ego vero illa quoque firma esse volo, quae docetis et praecipitis“ (3, 1). Nonne docere et praecipere sunt munera apostolica praecipua secundum Ignatium? Intellegitur porro, quo sensu ecclesia romana vices agere possit episcopi Ignatii pro ecclesia antiochena: „Memores estote in precibus vestris ecclesiae Syriae, quae mei loco Deo pastore utitur. Solus Iesus Christus illam vice episcopi reget et caritas (ἀγάπη) vestra“ (9, 1). Nonne sermo esse videtur de exercitio primatus? —

517. Ex successoribus Petri in cathedra romana praeter Clementem commemoratur modo peculiari *Xystus* seu Sixtus, septimus in serie episcoporum romanorum (115—125?). *Irenaeus* scilicet Xystum in enumeratione presbyterorum (episcoporum)

romanorum primum exhibet, qui praxim asianam in celebrando paschate neque ipse observarit neque in sua ecclesia permiserit. Neque tamen ideo vinculum pacis eum rupisse cum iis, „qui ad se venissent ex ecclesiis, in quibus id observabatur" (in epistula ad Victorem, episcopum romanum, apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 14; *K* 99). Ex quibus verbis quidem non apparet, utrum Xystus primo alium usum introduxerit, an vero eius tempore diversitas observationis disputata fuerit, an demum ob aliam quamcumque rationem Irenaeus enumerationem non produxerit usque ad praecessores etiam ipsius Xysti. Certe autem eum Irenaeus ut episcopum romanum describit, qui „praeest" ecclesiae romanae eodem modo ac tempore Irenaei Victor.

Idem sequitur ex *documento* aliquo *syriaco*, mutilato adeo ut, quid referat, dici vix queat. Commentarius ille falso *Eusebio* Caesareensi attributus, scriptus dicitur in Persia interiore. Argumentum autem eius accuratius determinare non valemus; hoc unum constat agi de stella, quae magos duxit ad praesepe Domini (Matth. 2). Nostra unice interest computatio temporis. Post aliquas lineas rasas haec leguntur verba: „(trecentesimo) decimo primo (anno), anno vero secundo adventus Salvatoris nostri, Caesare et Capitone consulibus, mense Kanun II, hi magi venerunt ex oriente et adoraverunt Dominum nostrum in Bethlehem regum. Et anno 430, sub imperio Hadriani Caesaris, consulibus Severo et Fulgo, *sub episcopatu Xysti, episcopi urbis Romae*, haec quaestio agebatur a viris, quibus libri sacri familiares erant; opera vero virorum magnorum ex diversis locis (convenientium?) haec historia (de stella et magis) inquisita, inventa, scripta est in lingua eorum, qui hanc curam gerebant."

Tempus, quo magi venerunt, determinatur aera Seleucidarum, cuius annus 311 coincidit cum anno 1 a Chr. et computatione romana secundum consules; Germanicus Caesar Ti. f. erat consul simul cum C. Fonteio C. f. anno 12 p. Christum. Tempus vero, quo quaestio exegetica solvebatur (Romae?), quadrupliciter computatur, nempe secundum aeram seleucidicam (430 = 118/9 p. Chr.), secundum imperium Hadriani (117 ad 138), secundum consules romanos (L. Catilius Severus et T. Aurelius Fulvus Boionius Arrius Antonius erant consules usque ad finem Mai anni 120), secundum episcopatum episcopi romani Xysti, cui assignantur anni circiter 115—125. Quae quattuor computationes inter se optime consonant; scilicet circa annum 120 p. Chr. quaestio ista exegetica soluta est.

Quonam autem modo fit, ut in documento syriaco, scripto in Perside, i. e. extra fines imperii romani, in notitia aliqua historica ex primis saeculi II decenniis oriunda, tempus adscriptum sit non solum secundum aeram seleucidicam indigenam, non

solum secundum computationem romanam duplicem, sed pari gradu secundum episcopatum romanum, quasi aequiparatum cum imperio atque consideratum ut fundamentum aerae christianae? Certe praeponderantia aliqua ecclesiae et episcopi romani ex hocce documento elucet, quae, nisi huius ecclesiae primatus advocatur, intellegi plane nequit [7].

518. Quodsi haec quaestio exegetica Romae acta est, considerari fere poterit velut decisio doctrinalis, similis atque alia quaedam temporis posterioris, quae reiciebat scilicet *Marcionis* interpretationem et criticam, qua Vetus quidem Testamentum integrum abolebat, ex Novo autem admittebat solum evangelium Lucae atque epistulas Pauli decem, exceptis nimirum illis quae inscribuntur ad Hebraeos et Pastorales: neque haec scripta, in canonem Marcionis recepta, incolumia manserunt, quippe quae simul et mutilata et alterata sunt a Marcione. Anno deinde circiter 144 Marcion, ut haereticus ex Ecclesia eiectus, propriam sectam condidit, cui dedit formam ecclesiae catholicae, organisationis nimirum universalis hierarchice constitutae. Immo speciem saltem primatus in hac nova ecclesia videre est; cum etenim opus esset, ut Marcion et doctrinam suam et organisationem apostolicas esse demonstraret, Paulum sibi fideiussorem elegit — alteratum quidem et adulteratum —; Petri vero, quem cum ceteris apostolis ut iudaicum reiecit, locum ipse obtinuit, quatenus simul cum Paulo proxime assistere Salvatori dicebatur ab asseclis suis: Paulus scilicet a dextris, Marcion autem a sinistris Christi sedere. Marcion itaque testimonium praebet organisationis Ecclesiae universalis, hierarchicae et, ut videtur, monarchice institutae [8], cuius centrum fuit coetus marcionitarum romanus.

519. Influxus doctrinalis, quem in alias ecclesias exercuerit romana ecclesia, documenta sunt *symbolum* quod *apostolicum* vocatur, cuius forma occidentalis Romae orta esse videtur [9], et *Canon Muratorianus* qui dicitur (*K* 156 sqq.), qui enumerat libros N^i T^i canonicos, i. e. qui „in catholica (Ecclesia) habentur“ (v. 69) [10]. Sub cuius finem mentio fit *Pastoris*, quem scripsit *Hermas* „nuperrime temporibus nostris in urbe Roma ... sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre eius“ (v. 74 sqq.). Fragmentum Muratorianum scriptum esse censeo circa annum 180, Pastorem vero Hermae circa medium saeculum II absolutum fuisse. Pius, episcopus decimus romanus, annis circiter 140 ad 155(?) praeerat ecclesiae romanae, illo igitur tempore, quo Romae Marcion e communione fidelium excludebatur. Condicionem eius atque auctoritatem novimus ex opere Hermae, qui fingit se

ab anu (s. Ecclesia) mandatum accepisse sequens: „Scribes igitur duos libellos et mittes unum Clementi (episcopo romano, sub cuius gubernatione Pastor scriptus esse contendit) et unum Graptae. *Mittet ergo Clemens* (librum et prophetiam) *in exteras civitates: illi enim mandatum est;* Grapte autem monebit viduas et orphanos. Tu autem leges (illum) in hac civitate (Romae) cum presbyteris, qui praesunt ecclesiae" (Vis. 2, 4, 2 sq). — Medio igitur saeculo II ecclesia romana non solum erat episcopalis et monarchica, sed etiam certo sensu centrum exterarum ecclesiarum, ecclesia primatialis. Ambitus vero huius primatus paucis decenniis post, exeunte scilicet saeculo II, cum ageretur quaestio de celebrando paschate, clarius circumscribitur. Auctore enim Victore, episcopo romano, de hac re in omnibus Ecclesiae partibus episcoporum synodi coactae sunt (cf. supra n. 435), quae omnes, excepta sola asiana, sequebantur praxim romanam utpote apostolicam. Eusebius, qui hanc controversiam fuse describit, ex *decreto synodi palaestinensis* verba aliqua operi suo (Hist. eccl.) inseruit. „Apud Palaestinam quoque convenientes in unum sacerdotes Dei Narcissus Hierusolymorum et Theofilus, de quibus supra iam diximus (5, 23, 3), sed et cum ipsis Cassius Tyrius et Clarus de Ptolemaida et ceteri permulti pariter congregati, cum de hac quaestione ageretur, quid etiam apud ipsos apostolica traditio contineret, circa finem decreti, quod in concilio eorum statutum est, hoc modo indicant: ‚Epistulae, aiunt, nostrae exemplaria per omnes ecclesias transmittantur, uti ne rei efficiamur animarum, quae diversis erroribus immerguntur, designamus igitur vobis, quia et apud Alexandriam eadem qua apud nos die paschae sollemnitas geritur. . . .'" (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 25: versio Rufini *CB*; ed. *Mommsen*, Eusebius' Werke 2a, 497/9).

Hisce itaque litteris ecclesia romana, i. e. eius episcopus, dicitur non solum communicare cum universa Ecclesia catholica, occidentali et orientali, sed etiam singularum inter se ecclesiarum *commercium epistulare procurare*. Romam scilicet undique mittuntur epistulae, Roma dein in omnes ecclesias distribuuntur [11].

520. Cui commercio epistulari correspondet *commercium* aeque frequens *personale; Romam* videlicet confluunt undique christiani, episcopi et scriptores ecclesiastici atque fideles omnis generis, immo et haeretici. *Polycarpum* episcopum smyrnaeum Romam venisse testatur Irenaeus in epistula ad Victorem (apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 16: *K* 100); *Hegesippus* idem iter suscepit a partibus Orientis (apud *Eus.*, Hist. ecl. 4, 22, 1 sqq.: *K* 69 sq.); *Iustinus* philosophus palaestinensis Romae (bis? cf. martyrium Iustini et sociorum c. 3,

ed. *Otto* III 271) versatus est atque ibi mortem pro Christo subiit (cf. Apol. II 3: *Eus.*, Hist. eccl. 4, 11, 11); *Tatianus* assyrius, eius discipulus, Romae eum audivit atque post mortem demum Iustini errores suos sparsit (*Iren.*, Adv. haer. 1, 28, 1; *K* 122); atque ibidem magister fuit *Rhodontis* asiani antignostici (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 13, 1). *Irenaeum* Romam proficiscentem commendabant litterae ecclesiae lugdunensis ad Eleutherum episcopum romanum (apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 4, 1 sqq.: *K* 65); Irenaeus oriundus ex Asia tunc temporis erat presbyter ecclesiae lugdunensis. *Abercium* fuisse Romae, ex Phrygiae Hieropoli civitate, cognovimus ex epitaphio quod ipse scripsit (*K* 155). *Tertullianus* Africanus probabiliter romanam ecclesiam vidit (De cultu fem. 1, 7; ed. *Oehler* I 709); manet tamen dubium, num post conversionem ad fidem Romae degerit. *Origenes*, celebris magister scholae alexandrinae, circa annum 212 Romam profectus est, „desiderans (ut ipse scribit) videre ecclesiam antiquissimam romanorum" (*Eus.*, Hist. eccl. 6, 14, 10).

521. Quibus adnumerandi sunt plurimi *haeretici* vel *haeresiarchae*, qui omnes spe ducti fore ut suos errores facilius et efficacius diffunderent, si a romana agnoscerentur ecclesia, Romae vel docuerunt vel sectam condiderunt vel etiam organisationem Ecclesiae universalis ad construendas proprias ecclesias transsumpserunt.

Cerdon, Syrus, sub Hygino Romam venit (*Iren.*, Adv. haer. 1, 27, 1: *K* 117), et sub eodem episcopo romano *Valentinus*, Aegyptius (*Iren.* l. c. 3, 4, 3), qui per tempus quoddam membrum erat ecclesiae romanae, donec „in perpetuum discidium relegatus" extra Ecclesiam venena suae doctrinae disseminaret (*Tertull.*, De praescriptione haer. 30; ed. *Oehler* II 27). In libro vero, quem idem Tertullianus adversus asseclas Valentini scripsit, refert conditorem huius sectae episcopatum romanum sperasse, „quia et ingenio poterat et eloquio" (Adv. Val. 4; ed. *Oehler* II 385). Valentinus erat princeps gnosticorum. Simul fere cum Valentino Romam petiit *Marcion*, Ponticus (*Iust.*, Apol. I, 26 58; *Iren.*, Adv. haer. 1, 27, 2; *K* 118), cum quo simul e suis asseclis *Apelles* Romae commoratus est (*Tert.*, De praescr. haer. 30). *Florinus*, discipulus Polycarpi cum Irenaeo, itaque fortasse ex Asia oriundus (Irenaci epistula ad Florinum apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 20, 5; *K* 96), presbyter romanus, postmodum defecit ad gnosim (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 15). Montanistae (sicut *Proclus* forte: *Eus.*, Hist. eccl. 2, 25, 5 sqq.; *K* 137 sq. 3, 31, 4) et *Praxeas*, eorum adversarius, qui tamen ipse errorem modalistarum docuit (*Tert.*, Adv. Praxeam 1, 4 sqq.; *K* 218 bis; cf. 190) agnitionem ecclesiae romanae quaerebant. Alii monarchiani Praxeam secuti sunt, inter quos erat *Theodotus* Byzantinus, cuius asseclae Natalio cuidam persuadebant, ut episcopatum huius sectae acciperet, cuius quippe membra a Victore episcopo romano excommunicati erant (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 28, 6)[12].

522. Hinc nil mirum, quod eodem tempore auctoritas ecclesiae romanae in dissitis quoque ecclesiis cognita et agnita fuerit, cuius agnitionis duae praecipue formae dignae videntur esse, quas speciatim consideremus. Et altera quidem est *computatio* secundum episcopatus romanos, ea fere ratione ac in rebus profanis tempus alicuius facti determinabatur secundum imperatores romanos. Exemplum aliquod, idque primum, iam allatum est (n. 517), Xysti scilicet, sub cuius episcopatu quaestio exegetica agebatur, de qua *Pseudo-Eusebius* in codice syriaco refert. *Irenaeus* plures episcopos romanos enumerat, inde a *Petro* (Adv. haer. 3, 1, 1; *K* 123), quo simul cum Paulo Romae commorante Matthaeus evangelium suum in Palaestina scripserit. Sub *Clemente* seditionem Corinthi factam esse (3, 3, 3); sub *Hygino* Romam venisse Cerdonem (1, 27, 1; *K* 117) et Valentinum, qui floruit sub *Pio* et permansit usque ad *Anicetum* (3, 4, 3). Sub eodem *Aniceto* venit Polycrates Romam (epist. ad Vict. apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 16; *K* 100; Adv. haer. 3, 3, 4); sed etiam Marcellina, quae sequebatur doctrinam gnosticam Carpocratis Alexandrini (Adv. haer. 1, 25, 2); floruit Marcion (3, 4, 3). Hinc dicendi videntur iam saeculo II episcopatus romani quoad res ecclesiasticas aequiparati esse annis fere imperii Caesarum romanorum[13].

Ante Irenaeum idem mos observari licet apud *Hegesippum*, siquidem Eusebius narrat Hegesippum, postquam de Clementis ad Corinthios epistula quaedam commemoraverit, aliqua addidisse de ipsa ecclesia Corinthiorum quam viderit (Hist. eccl. 4, 22, 1; *K* 69). Certe autem iam Hegesippus „*successiones*" episcoporum romanorum pro argumento habuit traditionis apostolicae. Scopus enim itineris sui erat ecclesia romana, et licet plurimos episcopos adierit, qui omnes „rectam fidem" unanimiter professi sunt. tamen auctoritas ecclesiae et episcoporum romanorum maior ipsi ac maxima erat, ita ut eorum catalogum ipse confecerit (l. c. 4, 22, 2 sq; *K* 70), ex archivis scilicet ecclesiae romanae. Idem haud multo post Irenaeus fecit, vel cum degeret Romae (*Eus.*, l. c 5, 4, 1 sq.; *K* 65), vel saltem ope fontium romanorum, atque catalogum episcoporum romanorum ut argumentum affert compendiosum et peremptorium traditionis apostolicae et doctrinae christianae. Scilicet tota quidem Ecclesia diligenter custodit fidem, „quasi unam domum inhabitans ... quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit quasi unum os possidens" (*Iren.* adv. haer. 1, 10, 2; *K* 104), loquens nempe per episcopos tamquam successores apostolorum (3, 3, 1; *K* 124); at loco omnium episcoporum eorumque successionum sufficit exhibere unam successionem ecclesiae romanae,

„propter potentiorem (eius) principalitatem", quia est ecclesia apostolica sensu plenissimo (3, 3, 2; *K* 125)[14]; cuius dein successiones enumerat (3, 3, 3; *K* 126). Ita Irenaeus, ita Tertullianus (De praescript. haer. 20; *K* 191; 32; *K* 192 sq.; 36; *K* 194), Cyprianus, alii.

523. Ecclesia interim romana primatum, ita ab omnibus ecclesiis de facto agnitum, vario modo *exercuit,* non solum *beneficiis,* quibus, morem a maioribus acceptum secuta, „omnes fratres" etiam aliarum ecclesiarum plurimarum adiuvabat, sicut testatur *Dionysius Corinthius* in epistula, quam scripsit ad ecclesiam romanam circa annum 170 (*K* 61), sed etiam decisionibus *doctrinalibus,* quibus haereses condemnabat, haereticos exclusit a communione Ecclesiae universalis. Neque romanae tantummodo quaestiones Romae agebantur, sed ex omnibus Ecclesiae partibus controversiae romano tribunali subiciebantur. Iam *Clemens* ab Irenaeo dicitur „reparasse fidem (Corinthiorum) et annuntiasse quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem" (Adv. haer. 3, 3, 3). De *Xysto* (cf. n. 517) certum quidem testimonium non exstat; est tamen possibile sub ipso quaestionem exegeticam, quae movebatur circa stellam magorum (Matth. 2), Romae definitam esse. *Anicetus* tractabat cum Polycarpo de die celebrandi paschatis, exclusit Marcionem et Valentinum. Ecclesia lugdunensis scripsit circa annum 178, cum nimirum „nova prophetia" Montani non parvam creasset perturbationem inter christianos Asiae, non solum ad „fratres Asiae et Phrygiae" sed etiam ad *Eleutherum* episcopum romanum (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 3, 4). Idem montanismus postmodum a *Victore,* successore Eleutheri, damnatus est. Cuius rei testis nobis est *Tertullianus,* ipse iam assecla factus *Montani,* in libro, quem scripsit contra Praxeam, modalistam et antimontanistam. Is nimirum „duo negotia diaboli Romae procuravit, prophetiam expulit et haeresim intulit", haeresim monarchianam nempe. Quonam autem modo Praxeas prophetiam expulerit, Tertullianus antea explicaverat. „Nam idem (Praxeas) tunc episcopum romanum (Victorem), agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem, falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando et praedecessorum eius auctoritates defendendo, coegit et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare" (Adv. Prax. 1, 6 sq.; *K* 218 bis). Egregium sane testimonium Tertulliani haeretici — „et nos quidem postea agnitio Paracleti atque defensio disiunxit a psychicis (i. e. catholicis") (l. c. 9) — de auctoritate, qua initio saeculi III gaudebat sedes romana atque eius episcopus.

524. Eadem manifestatur in controversia *de celebrando paschate* (cf. n. 435). Victor episcopus romanus indicat synodos hac de causa habendas; obtemperant omnes episcopi, asianis minime exclusis; consentiunt omnes ecclesiae, ab edessena usque ad lugdunensem. Victor dein episcopos asianos, qui duce Polycrate ephesino praxim quartodecimanam tenent, abscindit a communione Ecclesiae, neque recedit a proposito nisi rogatus et admonitus a plurimis episcopis, inter quos erat Irenaeus. Neque vero hi iuri Victoris derogant vel eiusdem primatum negant, sed Irenaeus, suadens quae pacis sunt, et exempla praecessorum Victoris affert et ipsius quaestionis indolem potius disciplinarem quam doctrinalem. „Ita ieiuniorum diversitas consensionem fidei commendat" (in epist. ad Vict. apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 13; *K* 98). Fortasse hanc quaestionem ne ut „modicam" quidem consideravit, quae ab ecclesiis solvi debeat, „in quibus apostoli conversati sunt, et ab iis de praesenti quaestione sumere, quod certum et re liquidum est" (Adv. haer. 3, 4, 1).

In actis huius controversiae, de die videlicet celebrandi paschatis, clare apparet *idea fundamentalis* et persuasio christianorum saeculi II: Ecclesia *una* est, et hinc omnia in ipsa fiant „consonanter" (συμφώνως καὶ ὁμοῦ: *Eus.*, Hist. eccl. 5, 25). Haec autem unitas est *socialis* et *realis*, est enim unitas alicuius organisationis; ideoque nequit carere *auctoritate* una et centrali et universali, seu primatu. Facta historica modo allata docent *ecclesiam romanam* eiusque episcopos re vera gessisse hunc primatum, et ut primates agnitos fuisse. Ambitum quidem istius primatus non omnes clare perspexerunt; hinc non desunt, qui sese Romano Pontifici *opponunt*. Inter quos eminet *Polycrates* episcopus ephesinus, qui cum suis episcopis asianis contra omnes alias ecclesias atque ipsum episcopum romanum praxim quartodecimanam retinuit, quia eam invenire sibi videbatur in evangelio, et traditam a praecessoribus suis atque ipsis apostolis. In conflictu iam sententiae propriae et decreti episcopi romani, verbum apostolicum secutus „obocdire oportet Deo magis quam hominibus", auctoritati romanae restitit, donec Irenaeus, ut videtur, pacem composuit (*Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 1 sqq.; *K* 91 sqq.).

525. Aliter *Tertullianus*, postquam Ecclesiam deseruit, primatum impugnat, quia, utpote assecla Montani et „pneumaticus", omnem hierarchiam, quam catholicus defenderat, reicere debebat. In opere suo „De praescriptione haereticorum" et successiones episcoporum et condicionem ecclesiae romanae peculiarem agnoverat, quippe „cui totam doctrinam apostoli (tres: Petrus, Paulus, Ioannes) cum sanguine suo profuderunt" (36, 3. *K* 194; cf. Adv. Marc. 4, 5, 2. *K* 210; Scorp. 15, 3 sqq. *K* 216). Postea vero arguit romanum episcopum, quod „novam prophetiam" non agnoverit, cum tamen eius sola agnitio pacem Ecclesiae restituisset, i. e. quaestionem peremptorie in favorem Montani decidisset (Adv. Prax. 1, 4 sqq. *K* 218 bis). Aliud quoddam „edictum peremptorium" alicuius „episcopi episcoporum" allegat Tertullianus in libro „De

pudicitia" (1, 6. *K* 219): „Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, dixit: Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto"; disputant autem, quisnam sit hic pontifex, utrum episcopus romanus, Callistus nempe, cui plurimi edictum attribuunt, vel Zephyrinus, an vero episcopus Carthaginis. Simili dubio afficitur textus, quo Tertullianus alloquitur „apostolicum" (21; cf. 13; ed. *Oehler* I 818: „bonus pastor et benedictus papa") eique negat ius ad se derivare potestatem solvendi et alligandi (Matth. 16, 18 sq. De pud. 21. *K* 221)[15].

526. *Hippolytus* Romanus, scriptor fertilis saeculi III ineuntis, fuit quidem impugnator episcopi romani, imprimis Callisti; immo secedens ex Ecclesia seipsum episcopum fecit schismaticum; at (in scriptis suis, imprimis in „Refutatione omnium haeresium" seu Philosophumenis), praeclara testimonia praebet primatus Romani Pontificis, cuius exsistentiam non negabat. Callistum, ita Hippolytus, *Zephyrinum* episcopum romanum eo adduxisse ut publice (δημοσίᾳ) declararet: „Ego novi unum Deum Christum Iesum et praeter eum nullum alium generatum et passibilem", postea autem diceret: „Non Pater mortuus est. sed Filius"; itaque subordinatianismum condemnaret (9, 11; *MSG* XVI, 3379; *CB* ed. *Wendland* III 246). Post mortem vero Zephyrini *Callistum* factum esse episcopum romanum et qua talem *extrusisse Sabellium*, „utpote non recte sentientem", i. e. haereticum (modalistam), porro *Hippolyti* sententiam (subordinatianisticam) publice (δημοσίᾳ) condemnasse: „Dithei estis" (9, 12. *K* 231). Nunc tandem Hippolytus deserit episcopum, quem ut legitimum agnoverat, et Ecclesiam catholicam, quam „scholam Callisti" nominat, suam ipsius sectam ut „Ecclesiam" designans (l. c. *K* 232). Quo in contextu alius cuiusdam meminit decreti Callisti, non doctrinalis sed disciplinaris, omnia scilicet peccata dimitti posse peccatori, „modo Callisti scholae accedat". Cuius „definitionem" (ὅρος) multos amplexos esse. Certe hoc decretum, licet sit universalius quam edictum, quod Tertullianus commemorat, simile ipsi dici debet, praesertim cum Hippolytus addat hanc Callisti definitionem aptam esse, quae hominibus concedat, „quae ad voluptates faciunt" (l. c. *K* 232). Pergit dein Hippolytus: „Hic praecepit (ἐδογμάτισεν), tametsi episcopus peccet, etiamsi ad mortem, eum non oportere loco suo moveri" (l. c. *K* 232).

Hippolyti testimonium igitur est duplex: directe et diserte testatur Zephyrinum (199—217) et Callistum (217—222) tulisse decisiones doctrinales, quas partim ipse agnoscit; indirecte vero nobis est testis organisationis Ecclesiae, quatenus, separans se

ab Ecclesia, non novam condidit organisationem sicut Marcion et alii haeresiarchae, neque omnem hierarchiam reiecit, sicut Tertullianus montanista, sed, retinens formam socialem, tantummodo legitimitatem personae impugnavit, quae tunc temporis summam auctoritatem obtinebat. Itaque episcopatus romani aemulus („antipapa") factus est [16].

Schisma permansit sub pontificatu Urbani (222—230) et Pontiani (230—235), donec Hippolytus, una cum Pontiano in insulam Sardiniam relegatus, Ecclesiae reconciliatus martyrium subiit anno 235/6. Ut martyr Hippolytus celebrabatur in Ecclesia, presbyter quidem non episcopus; scriptor vero Hippolytus in Ecclesia occidentali in oblivionem fere abiit; in orientali quidem permultum legebatur, attamen ipsius opera plurima vel deperdita vel mutilata et direpta sunt.

527. Hippolyto Romano in multis similis erat *Origenes* Alexandrinus, qui, cum Romae degeret (circa annum 212), presbyterum Hippolytum ipse audivit homiliam ad populum habentem (*Hier.,* De vir. ill. 61; ed. *Richardson,* Texte u. Unters. XIV, 1. Heft, 35). Ipse quoque Origenes a quibusdam dicitur primatum Romani Pontificis negasse; at sine ratione hoc asseritur. Nam licet magis insistat in unitate Ecclesiae quam in eiusdem unitatis fundamento reali, licet verba promissionis, quam Dominus Simoni Petro dederat (Matth. 16, 18 sq.), extendat ad omnes apostolos, immo omnes christianos velit esse „petras", lapides scilicet vivos (Comm. in Matth., cf. n. 352), tamen non solum Petri (cf. e. g. Contra Celsum 2, 65; *MSG* XI, 897; *CB* ed. *Koetschau* I 187), sed etiam modo suo procedendi episcopi romani praerogativam agnovit. Ipse enim non solum ecclesiam romanam invisit (*Eus.,* Hist. eccl. 6, 14, 10), sed etiam, cum a Demetrio episcopo alexandrino removeretur a cathedra scholae alexandrinae (a. 231), orthodoxiam suam defendit litteris datis ad plurimos episcopos, imprimis autem ad romanum, Fabianum (236—250; *Eus.,* l. c. 6, 36, 4). Ceterum hoc tempore primatus in ecclesia aegyptiaca agnitus erat; *Dionysius* enim, amicus Origenis et post Heraclam eiusdem successor in regenda schola alexandrina (*Eus.,* l. c. 6, 29, 4), Heraclae autem successor in sede episcopali alexandrina (247/8; *Eus.,* l. c. 6, 35), non solum epistulas, quas contra Sabellii errores scripserat, misit ad Sixtum episcopum romanum (257—258; *Eus.* l. c. 7, 7 sqq.), sed, cum apud Dionysium, successorem Sixti (258—268) accusaretur haeresis, ad eundem epistulas misit (*Eus.* l. c. 7, 26, 1), quae rationem suae fidei redderent [17].

528. Testimonio ecclesiae romanae et alexandrinae addi potest *Cypriani* sententia, episcopi Carthaginis et ecclesiae africanae metropolitae (248/9—258), martyris in persecutione valeriana. Quidnam senserit de romani episcopi primatu, verbis ipsius Cypriani dici vix poterit, cum in eius scriptis inveniantur et dicta, quae hunc primatum agnoscunt, et alia, quae ostendere videntur

Cyprianum, permotum fortasse aliis considerationibus, huius primatus ambitum non plene semper perspexisse.

Cyprianus enim ut „episcopus catholicus" *unitatem* imprimis *Ecclesiae universalis* commendat; quam defendit contra schisma Novatiani in libro suo *„De catholicae Ecclesiae unitate"*, comparans „unitatis sacramentum" et „vinculum concordiae inseparabiliter cohaerentis" cum tunica Domini, quae neque divisa neque scissa sit (7; *CV* ed. *Hartel* I 215). Principium unitatis sunt episcopi, tum in sua quisque ecclesia particulari, tum „episcopatus unus et indivisus", „cuius a singulis in solidum pars tenetur" (5; l. c. 213 sqq.). *Ratio* autem atque *origo unitatis* est *Petrus,* super quem Dominus aedificavit Ecclesiam (Matth. 16, 18 sqq.); ut scilicet „unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit" (4. *K* 266). De quorum verborum sensu non est una omnium sententia, quia nempe Cyprianus simul effert „parem potestatem", quam omnes apostoli receperint, „pari consortio praediti et honoris et potestatis". Exsistit quidem lectio quaedam varians istius capitis, quae clare primatum Petri enuntiat: „Et quamvis apostolis omnibus parem tribuat potestatem, unam tamen cathedram constituit et unitatis originem atque rationem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri quod Petrus, sed primatus Petro datur . . ." Sunt qui admittant ipsum Cyprianum esse auctorem utriusque formae, ita quidem, ut haec altera lectio destinata fuerit lectoribus romanis, prior membris ecclesiae carthaginiensis [18].

Quaestio haec, si ex ipso textu solvi nequit, ex aliis iam Cypriani scriptis, atque imprimis ex eiusdem epistulis decidenda erit. Quidnam igitur ex epistulis Cypriani de primatu Romani Pontificis? „Dominus noster . . . episcopi honorem et ecclesiae suae rationem disponens . . . dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus . . . Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur" (epist. 33, 1; ed. *Hartel* II 566). Eandem plane considerationem profert in epistula 43 (*K* 275): „Deus unus est et Christus unus et una Ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata . . . nemo filios Ecclesiae de Ecclesia tollat. Pereant sibi soli qui perire voluerunt, extra Ecclesiam soli remaneant qui de Ecclesia recesserunt. soli cum episcopis non sint qui contra episcopos rebellarunt . . ." In quibus textibus ratio primatus Petri et eius cathedra pugnant quodammodo cum potestate episcoporum.

529. Utraque epistula scripta erat ad membra ecclesiae carthaginiensis; in litteris autem, quas Cornelio dirigit, quibus nimirum explicat, curnam presbyteri et diaconi ecclesiae hadrumetinae epistulam suam, quam Romam scripserint, direxerint non Cornelio episcopo, sed presbyteris et diaconis ecclesiae romanae, haec habet: „Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, nos scimus hortatos esse, ut ecclesiae catholicae matricem et radicem agnoscerent ac tenerent." Insuper monuit episcopos suae provinciae, „ut te (Cornelium) universi collegae nostri et communicationem tuam, i. e. catholicae ecclesiae unitatem pariter et caritatem, probarent firmiter ac tenerent" (48, 3; ed. *Hartel* II 607). Optime fortasse epistula, quam scripsit Cornelio, ut iste sibi caveat a fraudibus haereticorum, qui Carthagine Romam navigarint, Cypriani sententiam illustrat ancipitem. De condicione episcopi haec docet: „Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata, quam quando sacerdoti Dei non obtemperatur nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur" (59, 5; ed. *Hartel* II 671 sq.). Dein narrat Privatum venisse Carthaginem, veterem haereticum, qui iam ante multos annos condemnatus sit a nonaginta episcopis, immo etiam notatus litteris severissimis Fabiani et Donati, „antecessorum nostrorum" (59, 10; l. c. 677). Fabianus erat praecessor Cornelii in sede romana (236—250), Donatus episcopus carthaginiensis. Effatum hoc Cypriani ostendit igitur et exercitium primatus et sensum Cypriani. Qui etiam clarius manifestatur paulo post, quando videlicet Cyprianus condicionem sedis romanae egregie depingit, attamen simul aliquantulum restringere videtur: Haeretici enim, exomologesim sui criminis recusantes, „adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum" (59, 14; *K* 294). Dein autem ita pergit: „Nam cum statutum sit ab omnibus nobis et aequum sit pariter ac iustum, ut uniuscuiusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos, quibus praesumus, non circumcursare nec episcoporum concordiam cohaerentem . . . conlidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint" (59, 14; cf. 66, 8)[19].

530. Cornelium, qui in exsilio mortuus est, sequebatur Lucius, ipse quoque relegatione multatus. Mox vero reversus in ecclesiam suam (epist. 61; ed. *Hartel* II 695 sqq.) mortuus est (254); quem excepit Stephanus (254—257). Et prima quidem epistula, quam Cyprianus Stephano fratri scripsit, haud obscure testatur Cyprianum eum considerare episcopum se maiorem atque pleniore potestate instructum, immo verum ipsi primatum adscribere. Res erat haec: Faustinus episcopus lugdunensis et Cypriano et Stephano scripserat de Marciani episcopi arelatensis „haeretica prae-

sumptione", qua scilicet, vestigia Novatiani secutus, lapsis paenitentibus pacem et reconciliationem denegaverit (epist. 68, 1; l. c. 744). „Quapropter (ait Cyprianus) facere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Gallia constitutos, ne ultra Marcianum . . . collegio nostro insultare patiantur . . ." (68, 2). „Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae, quibus abstento Marciano alius in loco eius substituatur . . ." (68, 3). Marcianus „nec sic agat, quasi ipse iudicaverit de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab universis sacerdotibus iudicatus" (68, 4; l. c. 748). „Servandus est enim antecessorum nostrorum, beatorum martyrum Cornelii et Lucii (episcoporum romanorum), honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater carissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es. . . . Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere et cui scribere debeamus" (68, 5; l. c. 748 sq.). Licet haec verba Cypriani non omne tollant dubium de ambitu, quem adscribat auctoritati episcopi romani, indicant tamen quandam iuris praerogativam, quae Stephano, neque vero alii episcopo neque ipsi Cypriano competat.

Paulo post idem Cyprianus de causa simili non simili plane modo iudicat. Cum etenim Basilides et Martialis, episcopi hispani, „libellis idololatriae conmaculati" (epist. 67, 1; ed. *Hartel* II 735), ab episcopo romano Stephano, rei veritatis ignaro, obtinuerint, ut in episcopatum reponerentur (67, 5), Cyprianus quidem iuri Stephani non derogat, monet tamen ecclesias, „ne vos cum profanis et maculatis sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis" (67, 9; l. c. 743), quoniam veri episcopi non sunt (67, 6). — Ex qua narratione constat non solum episcopos recurrisse ad sedem romanam, sed etiam ipsum Cyprianum hoc ius supremum episcopi romani agnoscere: consequentiam quidem huius iuris, forte sub influxu controversiae iamiam exortae de rebaptizandis haereticis, non omnino perspexit.

531. Epistulae 69—75 agunt de quaestione illa, quae Cyprianum fere separavit a centro unitatis sacerdotalis et a cathedra Petri, de rebaptizandis nempe haereticis. Et in epistula quidem 71 ex anno 254 (?) iam indicat discrepantiam quandam, quae in hac quaestione intercedit inter se et episcopum romanum. „Non est autem de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut adroganter adsumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari

a novellis et posteris sibi potius oportere; . . . sed consilium veritatis admisit et rationi legitimae, quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis et concordiae et patientiae tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quae aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ista potius nostra ducamus" (71, 3; l. c. 773)[20]. Nulla proinde negatio auctoritatis episcopi romani hisce verbis continetur, licet manifestent firmam persuasionem Cypriani suam de rebaptizandis haereticis sententiam esse veram. Neque epistula 72, quae continet votum Concilii Carthaginiensis a Cypriano coacti, sese Stephano opponit. Quod votum communicat cum episcopo romano eo quod „magis pertineat et ad sacerdotalem auctoritatem et ad ecclesiae catholicae unitatem pariter et dignitatem" (72, 1; l. c. 775). „Ceterum scimus (ita concludit Cyprianus) quosdam quod semel inbiberint, nolle deponere nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo quaedam propria, quae apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, quando habeat in ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque praepositus, rationem sui actus Domino redditurus" (72, 3; l. c. 778). Eandem libertatem sentiendi attribuit episcopis in sequenti epistula (73, 26; l. c. 798), licet manifestum ipsi sit, „ubi et per quos remissa peccatorum dari possit, quae in baptismo scilicet datur. Nam Petro primum Dominus, super quem aedificavit ecclesiam et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur, quod ille solvisset. . . . Unde intellegimus non nisi in ecclesia praepositis et evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare . . ." (73, 7; l. c. 783). „Proinde frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo maior sit veritate aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Sancto Spiritu revelatum" (73, 13; l. c. 787).

In quibus verbis diversitas quidem sententiarum, nulla vero impugnantia Stephani observari licet. Aliter in epistula sequenti (74); rationem ipse Cyprianus indicat in eius exordio. Stephanus etenim rescripserat Cypriano: „Si qui ergo a quacumque haeresi venient ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in paenitentiam . . ." (74, 1; l. c. 799). Exemplum huius epistulae romanae Cyprianus miserat Pompeio, episcopo cuidam, addens haec: „quo lecto magis ac magis eius (Stephani) errorem denotabis, qui haereticorum causam contra christianos et contra ecclesiam Dei adserere conatur. Nam inter cetera vel superba vel ad rem non pertinentia vel sibi ipsi contraria, quae imperite atque improvide scripsit, etiam illud adiunxit . . ." (l. c.). Et in fine suam praxim hisce inculcat: „Observatur itaque a nobis et tenetur, frater carissime, explorata et perspecta veritate, ut omnes, qui ex quacumque haeresi ad ecclesiam convertuntur, ecclesiae unico et legitimo baptismo baptizentur, exceptis his, qui baptizati in ecclesia prius fuerant et sic ad haereticos transierant" (74, 12; l. c. 809)[21].

532. Haec sunt quidem verba Cypriani indignabundi; at neque iratus negat primatum episcopi romani, utpote tunc temporis in

Ecclesia cognitus et universaliter agnitus. *Firmilianus* enim, episcopus Caesareae Cappadociae, qui in hac controversia ex partibus Cypriani erat, cum ab episcopo carthaginiensi decretum Stephani accepisset, in responso sane limites „iustae indignationis" longe transgressus, tamen testatur Stephanum ut successorem Petri primatum gerere atque vi huius auctoritatis quaestionem de rebaptizandis haereticis diremisse: „Atque ego in hac parte iuste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod, qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. . . . Nec intellegit offuscari a se et quodammodo aboleri christianae petrae veritatem, qui sic prodit et deserit unitatem. . . . Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se praedicat . . ." (inter epist. *Cypr.* 75, 17; l. c. 821; cf. 75, 5 sqq. *K* 308 sq.).

Paulo post, exorta persecutione Valeriani, Romae Stephanus moritur (257), Cyprianus vero, primo relegatus, insequenti anno martyrium gloriosum subit (14 Sept. 258). Ultimae eius epistulae hanc persecutionem respiciunt, consolantes et confirmantes fideles atque corroborantes. Sixtum, episcopum romanum, in coemeterio interfectum esse cum quattuor diaconis (epist. 80, 1; l. c. 840); se ipsum exspectare sententiam proconsulis (epist. 81; l. c. 841 sq.). „Incolumes vos, fratres carissimi, Dominus Iesus in ecclesia sua permanere faciat et conservare dignetur!" En ultima verba „episcopi catholici", quae comprehendunt ideam huius sancti viri et martyris summam [22].

533. Testimoniis, quae hucusque allata sunt, addere alia, quae ostendant medio saeculo III a romanis episcopis exercitum fuisse primatum opus esse vix videtur. Ipse enim Cyprianus testis nobis est episcopos romanos sui temporis exercuisse auctoritatem universalem: et *Fabianum* (epist. 59, 10; l. c. 677) et *Stephanum* (Ep. 74, 1; l. c. 799) atque etiam *Cornelium*. Tempore enim huius episcopi Novatum Romam petiisse idem Cyprianus refert: „Plane quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma praecedere, illic (Novatus) maiora et graviora commisit. Qui istic adversus ecclesiam diaconum (Felicissimum) fecerat, illic episcopum (Novatianum) fecit" (52, 2; l. c. 618). De Novatiani iam schismate ipse Cornelius scribit Fabio episcopo antiocheno (apud *Eus.*, Hist. eccl. 6, 43, 7 sqq. *K* 254 sqq.).

Neque solum intra Ecclesiam agnitus erat primatus, sed etiam *extra eam* noverunt episcopum romanum prae aliis gaudere auctoritate eaque

universali. *Decii* imperatoris verba, quae contra Cornelium intrepidum proferebat, Cyprianus servavit, multo nempe patientius et tolerabilius se audire „levari adversus se aemulum principem, quam constitui Romae Dei sacerdotem" (ep. 55, 9; *K* 279)[23]. *Aurelianus* imperator (270—275) porro litem, quae erat inter Domnum, episcopum legitimum Antiochiae, et Paulum Samosatenum de domo ecclesiae, decidit in favorem Domni, iis nimirum praecipiens tradi ecclesiam, „quibus Italici christianae religionis antistites et Romanus episcopus scriberent epistulas" (apud *Eus.*, Hist. eccl. 7, 30, 19; *K* 443).

Consensum vero *christianorum* de ipsius episcopi romani potestate praeclare exprimit auctor ignotus libelli *„Adversus aleatores"* qui inscribitur: „Et quoniam in nobis — loquitur ex persona episcopi romani — divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit et vicariam Domini sedem caelesti dignatione ordinavit et originem authentici apostolatus, super quem Christus fundavit Ecclesiam, in superiore (antecessore) nostro portamus, accepta simul potestate solvendi ac ligandi et curatione peccata dimittendi: salutari doctrina admonemur, ne, dum delinquentibus assidue ignoscimus, ipsi cum iis pariter torqueamur" (*K* 310; cf. n. 504).

2. Argumentum.

534. Quorum testimoniorum ut valor rite perpendatur et recte aestimetur, considerari sane debet temporis et religionis christianae condicio. Primis scilicet temporibus Ecclesiae primatus non tantopere debuit urgere sui exercitium et agnitionem; nam apostoli Iesu Christi, licet non pari ac Petrus potestate praediti, utebantur tamen iurisdictione extensive universali atque gaudebant infallibilitate personali. Atque etiam tempore apostolis posteriore auctoritas apostolica tum in superstite Ioanne evangelista tum in discipulis apostolorum, velut in Clemente et Ignatio et Polycarpo, erat talis ac tanta, ut sufficeret ad debellandas haereses et evitanda schismata. Procedentibus autem temporibus, crescente numero fidelium et ecclesiarum, auctoritas universalis et centralis, primatus scilicet, eiusque exercitium magis necessarium evasit, ut unitas servaretur tum doctrinae tum disciplinae. Nil autem mirum, quod ipsum hoc exercitium impugnationes primatus provocabat, vel quia ratio primatus non plene perspiceretur (Polycrates, Cyprianus), vel quia rationes personales ab eius agnitione avocabant (Hippolytus), vel quia aliqui deficientes ab Ecclesia eius hierarchiam et omnem potestatem iuridicam reiecerunt (Tertullianus). Attamen hi ipsi adversarii qui videntur primatus, eundem valuisse suo tempore testantur, ut supra ostendimus, atque ipsa sua impugnatione id tantum effecerunt, ut primatus origo clarius et plenius eius ratio appareret.

Non ergo omnia testimonia allata omnem probant rationem primatus episcopi romani; conferunt tamen, singula forte singula momenta, alia alia, quibus appareat inde ab initio religionis christianae et Ecclesiae viguisse firmam persuasionem: episcopum romanum esse successorem Petri in primatu, quem ipse Dominus Simoni tradidit. Quod ut constet, testimonia allata debent probare episcopis romanis adscribi iurisdictionem veram universalem in Ecclesia, quae nitatur in verbis Christi, quibus Petro promisit et contulit primatum.

535. *Conspectus* procedit per gradus:

(1) Idea Ecclesiae universalis eiusque *unitatis* erat praevalens inter christianos inde ab aevo apostolorum: Didache, I Clementis Romani epistula ad Corinthios, epistulae Ignatii martyris, Iustini apologia, Irenaei et Tertulliani necnon Cypriani effata egregia.

(2) Ratio huius unitatis eiusque origo et centrum est *ecclesia romana,* illa sola; nam alia numquam commemoratur: I Clementis et Ignatii epistulae, Pastor Hermae, Hegesippi, Irenaei, Cypriani dicta. Ex epistulis 81, quae in collectione „epistularum Cypriani" coadunatae sunt, partim scilicet a Cypriano partim ad eum scriptae, 25 sunt romanae: 17 nempe ad ecclesiam romanam, 8 ab eadem directae[24]. Totum porro commercium epistulare et personale praedicat praerogativam huius ecclesiae romanae.

(3) Ecclesia romana eiusque episcopus *exercet* primatum, qui ab Ecclesia *agnoscitur:* huc spectant argumenta ex „successione" episcoporum romanorum, computationes secundum eosdem. Clemens, Eleutherus, Victor, Fabianus, Zephyrinus, Callistus, Cornelius, Stephanus exercent primatum. Ipsae impugnationes (Polycratis, Tertulliani, Hippolyti, Cypriani) praebent argumenta primatus.

(4) Tandem, si quaeratur, in quonam sit *fundamentum* huius iurisdictionis, fontes categorice excludunt qualemcumque rationem politicam vel oeconomicam et socialem, et efferunt unice condicionem *religiosam* ecclesiae romanae et petrinae, relationem quam habeat in Ecclesia ad ceteras ecclesias particulares, ad originem suam, i. e. *Petrum eiusque primatum.* Neque alia consideratio saeculo II et III possibilis videri possit; illi enim, cui Ecclesia est „corpus Christi" atque a Spiritu Dei vivificata, cui episcopatus est originis divinae et institutionis apostolicae, suprema auctoritas ecclesiastica non aliunde derivari quit nisi a Christo et ex Christi voluntate.

II. Argumentum illativum.

536. 1. Christus primatum instituit ut Ecclesiae suae fundamentum perenne, i. e. tamquam supremam eius auctoritatem.

monarchicam scilicet, quae ipsius vices in terris gereret. Iamvero haec Christi absoluta voluntas, utpote legati atque adeo ipsius Filii Dei voluntas, frustrari nequit. Ergo in Ecclesia semper exsistat oportet et exsistet primas, qui (1) muneris sui sibi conscius sit, i. e. primatum sibi vindicet et data occasione exerceat; (2) ab Ecclesia ut talis cognoscatur et agnoscatur. Et haec quidem inferuntur ex iis, quae vel probata supponimus (Christum esse Legatum Dei) vel in antecedentibus probavimus (promissionem primatus eiusque collationem, quae Petro facta sit eiusque successoribus, utpote perpetuam); restat igitur, ut ostendatur solum episcopum romanum sibi adscripsisse primatum et ab Ecclesia agnitum fuisse.

2. Sufficit sane, ut eluceat ex testimoniis historicis ecclesiam romanam sibi attribuisse primatum, aliam autem ecclesiam numquam simile quid sibi arripuisse, ut eo ipso constet episcopum romanum esse eum, qui ex voluntate Christi primatum in Ecclesia gerat. Series vero testium continua et consensus universalis, sicut in argumento historico, non requiritur. Idem dicendum est de agnitione romani episcopi ut primatis ex parte Ecclesiae.

Episcopos autem romanos *sibi adscripsisse* primatum patet ex testimoniis allatis Clementis, Eleutheri, Victoris, Zephyrini, Callisti, Fabiani, Cornelii, Stephani, aliorum. *Agnitio* porro eorundem in Ecclesia elucet ex omnibus aliis testimoniis, inde ab evangeliis, quae describunt rationem primatus perpetui (Matth. et Io.), a Clemente et Ignatio, usque ad Hippolytum et Cyprianum et Firmilianum et ipsos imperatores romanos. Quibus testibus alii addi possunt temporum subsequentium, sive scriptores ecclesiastici, velut Optatus Milevitanus (*K* 583), Hilarius, Augustinus, Hieronymus, quorum, si placet, effata videsis in Enchiridio Patristico (ed. *Rouët;* cf. Index systematicus n. 58 sq.). Quorum vocibus singulis accedunt consonantes declarationes conciliorum, ut e. g. Sardicensis (anni 343/4; *D* 3004 sq.); Ephesini (a. 431; *D* 112) aliorumque usque ad definitionem Concilii Vaticani (a. 1869/70; *D* 1821 sqq.). Licet haec concilia in theologia demum dogmatica adduci soleant ut argumenta, possunt nihilominus etiam huic considerationi historicae inservire, ex quibus nimirum constet, quae fuerit constans semper et unanimis Ecclesiae sententia de primatu Romani Pontificis. Sub ista iam ratione liceat paucis adumbrare, quidnam Concilium Vaticanum definiverit, quo videlicet clarius appareat, quaenam sit idea primatus nunc in Ecclesia vigens[25].

Scholion 1. **Quidnam Concilium Vaticanum de primatu definiverit.**

537. In *prooemio* (*D* 1821) patres circumscribunt finem Ecclesiae, qua nempe Christus „salutiferum redemptionis opus perenne rederet". Hinc suae Ecclesiae dedit pastores, episcopos scilicet, ut apostolorum successores in unum collegium collectos; cuius unitatis „principium ac visibile fundamentum" in Petro instituit.

Caput iam primum (*D* 1822 sq.) agit de primatus *institutione* et dirigitur contra triplicem errorem, nimirum (1) eorum, qui negant divinam primatus institutionem; hinc Vaticanum: „primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse"; (2) eorum, qui affirmant apostolorum collegio vel (3) ipsi Ecclesiae primatum esse datum, cuius nomine Petrus ipsum illum acceperit tamquam potestatem ministerialem; hinc Vaticanum: „*Unum* enim Simonem . . . allocutus et Dominus: ‚Beatus es . . .' (Matth. 16, 17—19). Atque *uni* Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile dicens: ‚Pasce agnos meos! Pasce oves meas!'" Excluduntur igitur episcopalismus et democratia ecclesiastica.

Caput secundum (*D* 1824 sq.) asserit primatus *perpetuitatem,* ita quidem ut (1) affirmetur in genere Petrum habere successores, cum primatus „in perpetuam salutem et perenne bonum Ecclesiae" a Domino institutus sit; (2) vero successores Petri in primatu diserte exhibeantur, romani scilicet episcopi. Neque vero conexum inter sedem ecclesiae particularis romanae et primatum universalem esse iuris divini patres definire voluisse antea expositum est (cf. n. 509).

Caput tertium (*D* 1826 sqq.) enucleat *indolem ac vim* primatus Romani Pontificis. Et primum quidem, praemissis fontibus ex quibus primatus clare appareat, ex Sacra nimirum Scriptura dictisque tum Pontificum Romanorum tum conciliorum oecumenicorum, innovataque definitione Concilii Florentini (*D* 1826), explicatur *ratio* primatus. Describitur ut auctoritas *suprema,* „principatus ordinariae potestatis", ut *ordinaria,* i. e. muneri annexa (in oppositione ad delegatam, quae nomine alterius exercetur) neque in casu extraordinario dumtaxat, sed semper exercenda; ut *immediata,* i. e. „quae exerceri potest sine adhibito medio necessario" et hinc non ad solos pastores et *his mediantibus* ad singulas oves attingat, sed immediate se ad omnes et singulos fideles extendat. Hinc est „vere *episcopalis*", simul scilicet ordinaria et simul immediata iurisdictio, potestas vere regendi, non solummodo

inspiciendi vel dirigendi. Romanus itaque Pontifex ea omnia in singulis dioecesibus agere valet, quae ipse ecclesiae particularis episcopus ut talis agere potest.

538. Neque tamen hisce derogatur *iuribus episcoporum* (*D* 1828); nam episcopi ut apostolorum successores atque „positi a Spiritu Sancto" singuli singulos assignatos sibi greges ut veri eorum pastores pascunt et regunt, sed utique sub auctoritate suprema Romani Pontificis. Potestas igitur episcopalis alio modo exercetur a primate, alio modo ab episcopo locali, non scilicet ut auctoritates coordinatae sed subordinatae.

Ex tali ac tanta, suprema scilicet, potestate Romani Pontificis in Ecclesia et in Ecclesiam universam sponte fluit ius, ut ipse *libere* possit *communicare* cum omnibus Ecclesiae pastoribus et singulis etiam fidelibus, libere inquam, i. e. independenter a placito quovis alius potestatis, imprimis saecularis (*D* 1829).

Plena quoque independentia Romano Pontifici competit intra Ecclesiam, ita ut tribunal altius atque maior quaedam auctoritas in Ecclesia non habeatur; hinc omnes causae ad ipsum tamquam ad *„iudicem supremum fidelium"* deferri possunt; hinc etiam *appellatio* ad instantiam altiorem *impossibilis* est. Neque ipsum concilium oecumenicum Romano Pontifice est maius; nam primas etiam episcoporum collectorum est caput atque ut talis solus concilium convocare, eidem praeesse, illud suspendere vel dissolvere, eiusque decreta confirmare potest (*D* 1830; cf. *CIC* 222, 2; 1556: „Prima sedes a nemine iudicatur").

Quibus explicationibus adiungitur *canon*: „Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam iurisdictionis potestatem in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles: anathema sit" (*D* 1831)[26].

Scholion 2. De condicionibus historicis ecclesiae romanae.

539. Opinantur nunc omnes fere theologi et historici non-catholici *condiciones* politicas, oeconomicas, commerciales, brevi *naturales urbis Romae,* utpote capitis imperii, evexisse ecclesiam romanam ad auctoritatem et dignitatem primatialem, qua gaudet saltem sub finem saeculi II et initium saeculi III. At vero, licet hae condiciones ex parte contribuerint ad magnitudinem ecclesiae

romanae particularis, primatum tamen eius fundare non potuerunt, cum quia neque ipsam ideam primatus neque primatum romanum prae aliis ecclesiis aeque magnis explicant, tum maxime quia fontes omnes aliam rationem atque aliud fundamentum huius primatus proponunt, scilicet religiosum et christianum, episcopos nempe romanos in Petro accepisse primatum ab ipso Christo. Quae iam, si placet, paucis explicemus.

1. *Magnitudinem* quidem et vigorem *ecclesiae romanae* iam agnovit *Paulus* in sua epistula, quam Romanis scripsit; praedicavit *Ignatius* in inscriptione suae epistulae (*K* 25); supposuit *Clemens,* ipse episcopus romanus, cum Corinthios reprehenderet ob seditionem atque eorum fidem repararet, ut ait Irenaeus (Adv. haer. 3, 3, 3). Plures medio fere saeculo II fuisse Romae conventus christianos discimus ex *Actis Iustini* (c. 3); neque divites ecclesiae defuisse testatur *Pastor Hermae. Dionysius* Corinthius elevat beneficentiam et caritatem christianam huius ecclesiae, quam exercet et circa fratres et erga ecclesias plurimas (apud *Eus.,* Hist. eccl. 4, 23, 10; *K* 61). Ex *Hippolyti* Philosophumenis (9, 12, 3; *K* 230), plenius etiam ex epistula *Cornelii* ad Fabium, episcopum antiochenum (apud *Eus.,* Hist. eccl. 6, 43, 11; *K* 255) constat organisatio ecclesiae romanae. Circa annum 250 hanc ecclesiam habuisse 46 presbyteros, 7 diaconos, totidem subdiaconos; 42 acolythos, 52 exorcistas, lectores, ostiarios, cum „immenso ac paene innumerabili populo". Neque omitti debet Romam undique convenire homines omnis generis, Romam quaerere omnes religiones, cultus, superstitiones (*Tacitus,* Ann. 15, 44; *K* 34), Iudaeis minime exclusis[27]. Erat quippe caput imperii, ne dixeris mundi.

Hinc nil mirum, ita illi argumentantur, quod sicut ceterae etiam christiana religio inde fere a suis primordiis id sectata sit, ut Romae conderet coetum, qui affluentibus christianis ex omni mundi parte mox creverit et numero membrorum et divitiis et fama et auctoritate, brevi influxum quendam exercuerit in alias ecclesias propinquas et dissitas, sive consilio sive subsidiis sive certa quadam auctoritate, quam ecclesia romana a capite imperii mutuata sit. Quam deinde nativus ille vigor romanus prudenter et fortiter exercens corroboraverit ac tandem, fundamentum biblicum (Matth. 16, 16 sqq.) ipsi substruens, iuridicam et religiosam reddiderit. Itaque primatum ortum esse ecclesiae romanae eiusque episcopi[28].

540. 2. Iamvero haec assertio caret probatione; nam desideratur idipsum, quod praeprimis probandum est: scilicet primatum iurisdictionis ex hisce sese factis paulatim evolvisse. Magnitudo,

divitiae, organisatio ecclesiae romanae in neutram partem adduci possunt. Influxus vero et auctoritas, quibus haec ecclesia de facto gaudebat, utrum fuerint origo primatus an vero eiusdem sequela, in quaestione est; immo, perpensis condicionibus religionis christianae primitivae, non possunt dici nisi sequelae primatus iuridici.

Et primum quidem iure quaeritur, undenam *idea primatus,* quae in nulla alia religione istius temporis invenitur, neque in illis, quae, sicut christiana, Romam profectae inde maiorem se influxum acquirere posse exspectabant. Synagogae Iudaeorum romanae nulla praerogativa erant praeditae; Sion et post eius destructionem Iamniae erant sedes organisationis Iudaeorum, quae, si fuerit centralis, nihilominus primatialis dici nequit. De cultibus vero ethnicis nil simile fertur.

Porro, unde idea primatus *romani?* Numquid condiciones huius urbis naturales tantopere favebant romanae ecclesiae, prae aliis ecclesiis, Antiochiae puta vel Alexandriae vel etiam Ephesi? Consideratione sane digna est quaestio, quaenam emolumenta ecclesia *antiochena,* urbis primae Syriae, habuerit prae romana. Erat enimvero ecclesia Petri et Pauli sicut romana, erat prima ecclesia ethnica, laudata prae aliis ob dona et merita, ob suos prophetas et doctores, inter quos Paulus et Barnabas; erat centrum praedicationis evangelicae paulinae, qui illuc a suis expeditionibus revertebatur; erat per suos apostolos Paulum et Barnabam tutela et munimentum libertatis christianae contra pharisaeos, qui omnes christianos cogebant sub iugum Legis mosaicae (Act. 15). Ad has iam rationes religiosas accedunt aliae haud spernendae, situs nimirum excellens forte prae omnibus aliis civitatibus imperii romani. Urbs numerosissima, opulentissima, frequentatissima, emporium fuisse dicenda est tum provinciae Syriae regionumque adiacentium tum regni parthici, cuius habitantes bilingues ipsi quidem ut plurimum loquebantur linguam hellenisticam, callebant vero etiam linguam aramaicam (syriacam), qua suburbia iam Antiochiae utebantur sicut provincia Syria omnesque regiones orientem versus. Itaque in confiniis sita partium orientalium aramaicarum et partium occidentalium hellenisticarum, imperii romani et regni parthici, condiciones apprime opportunas praebere potuit propagandae religionis christianae, quae et ipsa in terra orta est, quae simili prorsus rerum condicione utebatur [29]. Cur igitur ecclesiae antiochenae praefertur romana?

541. *Ratio* repetenda est vel ex indole religionis christianae vel ex disertis christianorum testimoniis, si adsint. Et indoles quidem

religionis christianae erat *religiosa* atque adeo exclusive religiosa, quae omnem admixtionem profanam, sive socialem sive politicam, a limine exclusit. Idea videlicet praevalens saeculi I et II erat *apostolicitas* et doctrinae et omnis auctoritatis atque omnis institutionis ecclesiasticae. Idem ergo dicendum erit de primatu. Id quod confirmatur disertis testimoniis, quae inde a Clemente et Ignatio asserunt Petrum et Paulum fundasse hanc ecclesiam, ab Irenaeo contendunt episcopos romanos esse successores Petri apostoli, a fine vero saeculi II Petri et eius successorum auctoritatem derivant ex verbis Domini (Matth. 16, 13 sqq. Io. 21. 15 sqq.)[30].

Primatus proinde, sicut episcopatus, inde ab initio organice „corpori Christi", organismo Ecclesiae vivo, insertus erat; ita consensus fert christianorum temporis postapostolici. Organicum etiam fuit eius exercitium, organici omnes eius actus, quibus tempore progrediente clarius et frequentius sese manifestabat; organica agnitio illa, qua Ecclesia eum formaliter et explicite considerabat ut fundamentum suum, ita quidem, ut primatus factus sit tessera Ecclesiae catholicae: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia Christi.* —

542. NOTAE. **1** De sententiis variis theologorum cf. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. I, n. 500 sqq.; *I. B. Franzelin,* De Ecclesia 200 sqq.; de sensu canonis Concilii Vaticani: *Th. Granderath,* Constit. dogm. ss. oecum. Conc. Vatic. (Friburgi 1892) 140 sqq., textus 144; cf. etiam propositionem in Syllabo damnatam 35: *D* 1735. — **2** De episcopalismo cf. *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia II 10 sqq. — **3** Ita e. g. *A. v. Harnack*,* Die Mission II⁴ 800 sqq., I⁴ 487 sqq.; *idem,* Dogmengesch. I⁴ (Tübingen 1909) 480 sqq.; *idem,* Analecta zur ältesten Gesch. des Christentums in Rom (Texte u. Unters. XXVIII, 2. Heft [1905]). — **4** *F. X. Funk,* Patres apostolici I² (1901) XLI sqq. — **5** De Clementis epistulae vi et auctoritate optime *H. Bruders,* Die Verfassung der Kirche 41 sqq. 130 sqq. — **6** *F. X. Funk* l. c. 252. Ad textus ibidem allatos addi potest Clementis Alex., Quis dives salv. 42 (*MSG* IX, 649; *CB* ed. *Stählin* III 189) . . . τῆς ἐκκλησίας, ἧς προκαθέξη . . .; *idem,* Kirchengesch. Abhandl. u. Unters. I (1897) 1 sqq. — **7** Fragmentum primum publicatum a *W. Wright* in Journ. of Sacr. Lit. (1866), dein ab *E. Nestle*,* Marginalien u. Materialien. Einiges über Zahl und Namen der Weisen aus dem Morgenland (Tübingen 1893) 72 sq. Scripserunt de eo praeterea *A. Hilgenfeld** in Zeitschr. für wiss. Theol. XXXVIII (1895) 447 sqq.; *I. Belser* in Theol. Quartalschr. LXXX (Tübingen 1898) 198; *idem,* Einleitung in das N. T. § 7; *A. Harnack*,* Chronologie II 126; *Th. Zahn*,* Einleitung in das N. T. II¹ 267. Scriptum dicitur „im innern Persien und aufbewahrt unter den Denkwürdigkeiten ihrer (Persarum) Könige, wo aufgeschrieben und bewahrt ist die Geschichte der Legionen der Hethiter (cf. Num. 24, 24: LXX Κιτιαίων) und die Erzählung von diesem Stern, daß sie möchte aufbewahrt werden"; — sequuntur circa 16 lineae rasae; deinde adiungitur determinatio temporis: — „(dreihundert und) elf (aer. Seleucid.: anno 1 a. Chr.) im zweiten Jahr des Kommens unsers Erlösers, unter dem Konsulat von Caesar und Capito (anno 12 p. Chr.), im Monat Kanun II (= Ianuarii) kamen diese Magier

von Osten und beteten an unsern Herrn im Bethlehem der Könige. Und im Jahre 430 (aer. Seleuc.; anno 118/119), unter der Regierung des Hadrian Caesar (117—138), im Konsulat des Severus und Fulgus (L. Catilius Severus et T. Aurelius Fulvus Boionius Arrius Antonius usque ad finem Maii 120), unter dem *Episkopat des Xystus, Bischofs der Stadt Rom* (115—125?), erhob sich diese Angelegenheit in (den Gedanken von) Männern, bekannt mit den hl. Büchern; und durch die Mühen der großen Männer von verschiedenen Orten wurde diese Geschichte vorgesucht und gefunden und geschrieben in der Sprache derer, welche diese Sorge trugen." — **8** De Marcione eiusque organisatione universali ad instar scilicet Ecclesiae catholicae cf. *Batiffol-Seppelt,* Urkirche a. Katholizismus 238—246; *A. v. Harnack*,* Marcion. Das Evangelium vom fremden Gott (Texte u. Unters. XLV [1921]) 241 sq., contendit Marcionem ideam organisationis universalis creasse, atque Ecclesiam catholicam contra Marcionis organisationem catholicam tandem evasisse. Cf. Stimmen der Zeit CIII (1922) 19 sqq. — **9** De Symbolo apostolico cf. *O. Bardenhewer,* Gesch. der altkirchl. Lit. I^2 82 sqq.; *E. Vacandard* in Dict. apologét. I (1911) 272 sqq. (s. v. Origines du symbole des apôtres); cf. *R. Seeberg** in Zeitschr. für Kirchengesch. XL (1922) 1 sqq.; *H. Lietzmann** in Zeitschr. für neutest. Wissensch. XXI (1922) 1 sqq., XXII (1923) 259 sqq. — **10** De canone N. T. cf. *E. Jacquier,* Le nouveau Testament dans l'église chrét. 2 voll. (²Paris 1911); *Th. Zahn*,* Gesch. des neutest. Kanons (Erlangen-Leipzig 1888—1892); *idem,* Grundriß der Gesch. des neutest. Kanons (Leipzig 1901); *Batiffol-Seppelt* l. c. 243 sq. — **11** *O. Bardenhewer* l. c. I^2 435 sqq. 494 sqq., II^2 636 sqq., III 582; *A. v. Harnack*,* Die Mission I^4 382 sqq. — **12** *C. P. Caspari*,* Quellen zur Gesch. des Taufsymbols und der Glaubensregel III (Christiania 1875) 309 sqq. (de haereticis Romam venientibus); 335 sqq. (de doctoribus orthodoxis); quem excerpsit *A. v. Harnack** l. c. I^4 381 sqq. — **13** *A. Harnack*,* Chronologie I 164 sqq. — **14** De testimonio Irenaei cf. quae infra dicenda sunt, cum agitur de infallibilitate Rom. Pontificis (n. 771—773). — **15** „Edictum" peremptorium esse *Callisti* censent e. g. *O. Bardenhewer* l. c. II^2 423; *Batiffol-Seppelt* l. c. 296 sqq.; Zephyrini vel Callisti: *G. Esser* in Theolog. Revue XVII (1918) 398 sqq.; episcopi carthaginiensis: *K. Adam,* Das sog. Bußedikt des Papstes Kallistus (München 1917); *K. Preysing* consentit cum Adam, quatenus contendit nec Callistum nec Zephyrinum esse auctorem huius edicti: Zeitschrift für kath. Theol. XLIII (1919) 358 sqq.; *Hugo Koch** contendit Callistum esse auctorem decreti, sed negat ullum ex Tertulliani verbis posse adduci ut argumentum pro primatu episcopi romani: Kallist und Tertullian (Sitzungsberichte der Akad. der Wissensch., Heidelberg [1919, 22] 1920). — **16** De testimonio Hippolyti cf. *K. Preysing* in Zeitschr. für kath. Theol. XLI (1917) 595 sqq. (Decreta Zephyrini et Callisti ab Hippolyto relata esse publica); ibid. XLII (1918) 177 sqq. (De relatione Hippolyti ad Ecclesiam); ibid. XLIII (1919) 358 sqq. (De relatione inter edictum ab Hippolyto relatum et edictum Tertulliani [De pud. 1]); *A. v. Harnack*,* Die älteste uns im Wortlaut bekannte dogmatische Erklärung eines römischen Bischofs (Sitzungsber. der Akad. der Wiss. 1923 VII [Berlin 1923] 51—57, cum quibus cf. quae scripsi in Zeitschr. für kath. Theol. XLVIII [1924] 314—322). — **17** De Origene cf. *Batiffol-Seppelt* l. c. 333 sqq.; *O. Bardenhewer* l. c. II^2 105 sqq. (de Origene), 203 sqq. 216 sqq, (de Dionysio Alexandrino). — **18** *J. Chapman* in Revue Bénédictine XIX (1902) 246 sqq. 357 sqq.; XX (1903) 26 sqq.; *Batiffol-Seppelt* l. c. 374 sqq. paulo aliter; admittit quidem hypothesim duplicis recensionis et editionis libri, qui tamen scriptus sit pro christianis romanis contra schisma Novatiani; postea vero, ut nimirum liber aliis etiam ecclesiis inservire possit, textus specifice romanos paululum

mitigatos esse. — **19** Ex epistula 55 desumuntur a *H. Koch** aliqua ex argumentis praecipuis, quibus probare contendit Cyprianum defendisse omnimodam independentiam et autonomiam episcoporum („Manente concordiae vinculo et permanente catholicae ecclesiae individuo sacramento, actum suum disponit et dirigit unusquisque episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus", 55, 21; ed. *Hartel* II 639), reiecisse primatum episcopi romani („Episcopatum autem tenere non posset [Novatianus], etiamsi episcopus prius factus a coepiscoporum suorum corpore et ab ecclesiae unitate descisceret . . .; episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem", 55, 24; l. c. 643). *H. Koch**, Cyprian und der röm. Primat (Texte u. Unters. XXXV, 1 [1910] 55 83); cf. *I. Ernst*, Cyprian und das Papsttum (Mainz 1911) 91 sqq. 107 sqq. — **20** De hoc textu cf. *I. Ernst* l. c. 20 sqq. — **21** Cum hisce verbis conferantur illa, quae exhibentur in „sententiis episcoporum" Synodi Carthaginiensis anni 256 ut votum Cypriani (ed. *Hartel* I 461), atque etiam exordium (435 sq.). — **22** Ex bibliographia haec afferantur opera: *B. Poschmann*, Die Sichtbarkeit der Kirche nach der Lehre des hl. Cyprian (Forschungen zur christl. Literatur- u. Dogmengesch. VIII, 3 [Paderborn 1908]); liber *H. Koch** l. c., multa provocavit responsa (cf. *Th. Špačil* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXVI [1912] 374 sqq.; XXXVII [1913] 604 sqq.), e quibus eminent *I. Ernst* l. c. (n. 19); *C. Kneller* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXV (1911) 253 sqq. 674 sqq.; XXXVI (1912) 280 sqq.; XL (1916) 676 sqq.; *idem*, Der hl. Cyprian und die Kennzeichen der Kirche (Erg.-Heft zu den Stimmen aus Maria-Laach CXV [Freiburg 1914] 33 sqq); *A. Adam* in Tüb. Theol. Quartalschr. XCIV (1912) 99 sqq. 203 sqq.; *A. d'Alès*, La théologie de s. Cyprien (Paris 1921). — Cf. insuper *Batiffol-Seppelt* l. c. 339 sqq.; *A. M. Koeniger*, „Prima sedes a nemine iudicatur", in Festgabe Albert Ehrhard (1922) 273 sqq. — **23** Edictum Gallieni (apud *Eus.*, Hist. eccl. 7, 13; *K* 323, qui nominat primo loco Dionysium, videtur intellegere Dionysium Alexandrinum (247/48—264/5) potius quam Dionysium Romanum (259—268). — Textus plurimos ad primatum Rom. Pontificis qui spectant collegit *G. Rauschen*, Textus antenicaeni ad primatum romanum spectantes (Florilegium Patristicum IX), Bonnae 1914. — Alium, contrarium finem prosequitur *C. Mirbt**, Quellen zur Gesch. des Papsttums und des röm. Katholizismus, [3]Tübingen u. Leipzig 1924. — **24** Cf. *O. Bardenhewer* l. c. II[2] 489 sq. — **25** Forma praescriptiva argumentum hoc profert *I. Ottiger*, De Ecclesia 805 sqq. — **26** *Th. Granderath*, Constit. dogm. ss. oecum. Conc. Vatic. 210 sqq. — **27** *A. Bludau*, Die Juden Roms im ersten christl. Jahrhundert (Katholik LXXXIII [1903 I] 113 sqq. 193 sqq.); *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes III[4] 57 sqq.; *J. Juster**, Les juifs dans l'empire Romain I (1914) 180 sqq.; *A. v. Harnack**, Die Mission I[4] 5 sqq. — **28** Cf. not. 3; responsum v. *Batiffol-Seppelt* l. c. 235 sqq. — **29** Cf. *H. Dieckmann*, Antiochien, ein Mittelpunkt urchristl. Missionstätigkeit (Aachen 1920). — **30** Materiam congesserunt *H. Bruders* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXIV (1910) 659 sqq.; XXXV (1911) 79 sqq. 292 sqq. 464 sqq. 690 sqq.; *K. Adam* in Tüb. Theol. Quartalschr. XCIV (1912) 99 sqq. 203 sqq.

Appendix. De sententiis protestantium ad Ecclesiam quod attinet.

543. Quoniam in assertionibus praecedentibus potius in genere indicatae sunt *opiniones protestantium* variae circa Christi Ecclesiam, in hoc appendice sententias quasdam, ob influxum quem

vel exercuerunt vel etiam nunc exercent praecipuas, paucis adumbrare iuvabit. Quae tamen adumbrationes non praetendunt omnia et singula elementa afferre, sed conantur, quantum fieri poterit, ea dumtaxat delineare, quibus velut *principiis integra systemata* fulciuntur et constituuntur, idque ut plurimum verbis ipsorum auctorum, quo scilicet magis arceatur periculum, ne quid alienum a mente auctorum in describendis eorum opinionibus intrudatur.

Neque vero in animo est singula systemata eorumque rationes eo sensu recensere, ut, quae a tramite veritatis et sanae interpretationis aberrare nobis videantur, diserte exhibeamus, exceptis forsan paucis notis criticis, prout scilicet occasio fert. De cetero ipsa explicatio textuum et fontium, in assertis antecedentibus data, excludit opiniones adversas atque earum rationes refutat. Ipsa vero nostra doctrina hoc conspectu variarum opinionum contrariarum non parum accipit lucis et confirmationis.

Initium sumimus ab ea sententia, quam evolvit et protulit *Luther* (1483—1546), quippe qui maximum influxum in efformandos conceptus Ecclesiae, hodie inter theologos protestantes vigentes, exercuit. Tanta enim eius auctoritas multis videtur, ut illis sit instar argumenti peremptorii atque veluti fundamentum inconcussum. Huic deinde sententiae a Luther propositae alias quasdam adiungimus, theologorum tum conservativorum tum liberalium recentiorum, imprimis eorum, qui duces fere a multis habentur.

A. Quidnam Luther de Ecclesia Christi docuerit.

544. Licet asseri nequeat Luther sententiam suam ab haereticis temporis antecedentis mutuatum esse, ea tamen aetate vixit, qua conceptus liberiores et erronei de Ecclesia, longe lateque sparsi haud difficulter infecerunt eum, qui sicut Luther ex ideis suis praeconceptis iura Ecclesiae divina negare cogebatur. Pronum itaque est atque consentaneum ex hisce ideis falsis (I) eas brevi conspectu exhibere, quas ipsa Ecclesia notavit et reiecit; dein (II) transeamus ad descriptionem doctrinae, quam Luther defendit, ita quidem, ut (1) videamus ansam huius systematis, porro (2) eius evolutionem, (3) documenta quaedam principalia.

I. Sententiae quaedam erroneae ab Ecclesia damnatae ante Luther.

545. 1) Contra *waldenses,* qui ex conceptu perfectionis christianae (paupertatis) exaggeratae et male intellectae pervenerunt ad negandam hierarchiam et cultum Ecclesiae catholicae, „professio fidei", ad veritatem redeuntibus praescripta, haec edicit: „Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam non haereticorum, sed sanctam Romanam catholicam et apostolicam, extra quam

neminem salvari credimus" (*D* 423). Porro: „Ordines vero ecclesiasticos et omne, quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fidelitur veneramur" (*D* 426). Et haec quidem ex epistula *Innocentii III* (18. Dec. 1208); *Concilium* vero *Lateranense IV* (1215) definivit contra eosdem haereticos aliosque: „Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus. . . . Et hoc utique sacramentum (altaris) nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit apostolis eorumque successoribus Iesus Christus" (*D* 430). Romana deinde Ecclesia dicitur „disponente Domino cunctorum fidelium mater et magistra" (*D* 433), quae unice missionem canonicam ad praedicandum verbum Dei dare possit (*D* 434).

2) Similes errores damnati sunt a *Concilio Viennensi* (1311 ad 1312), scilicet *beguardorum* et *beguinarum*. Ipsi enim „perfectos" ad eum gradum libertatis christianae pervenisse voluerunt, ut legibus Ecclesiae neutiquam obligarentur, „quia (ut asserunt), ubi spiritus Domini, ibi libertas" (*D* 473). Paulo post *Ioannes XXII* reiecit errores *fraticellorum* (1 Ian. 1317), qui scilicet . . . „impie sentiunt, sacramenta Ecclesiae veneranda contemnunt et in gloriosum Ecclesiae Romanae primatum . . . . impingunt . . ." (*D* 484). „Primus itaque error . . . duas fingit ecclesias, unam carnalem, divitiis pressam . . . sceleribus maculatam, cui romanum praesulem aliosque inferiores praelatos dominari asserunt; aliam spiritualem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam, in qua ipsi soli eorumque complices continentur. . . ." (*D* 485). „Secundus error . . . venerabiles Ecclesiae sacerdotes aliosque ministros sic iurisdictionis et ordinis clamitat auctoritate desertos, ut nec sententias ferre nec sacramenta conficere nec subiectum populum instruere valeant vel docere. . . ." (*D* 486). „Quintus error sic istorum hominum mentes obcaecat, ut Evangelium Christi in se solis hoc in tempore asserant esse completum, quod hactenus (ut ipsi somniant) obtectum fuerat, immo prorsus exstinctum. . . . (*D* 489).

3) His erroribus, secundum formam potius negativis et destructivis, alii successerunt, qui organisationi hierarchicae Ecclesiae substituere conabantur democraticam, derivantes nimirum potestatem Ecclesiae ab universitate fidelium, modo democratico. Ita *Marsilius Patavinus* (et *Ioannes de Ianduno*) negat hierarchiam iurisdictionis et ordinis. Christum nullum caput Ecclesiae suae dimisisse nec vicarium suum Petrum fecisse (*D* 496); sacerdotes omnes esse paris potestatis. Super omnes vero esse impera-

torem, tamquam mandatarium plebis christianae. Quos errores *Ioannes XXII* ut haereticos damnavit (23 Oct. 1327).

546. 4) *Wiclif* inter praecursores Luther principales habetur, pluraque docet, quae apud Luther recurrunt. Ecclesia, haec est idea eius fundamentalis, consistit ex solis praedestinatis ad gloriam; praesciti (ad infernum) ab ea excluduntur. Hinc, „si Papa sit praescitus et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare" (*D* 588). Immo Papa nullus iam est post Urbanum VI, „sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis" (*D* 589). Ulterius progrediens vocat Ecclesiam Romanam „synagogam satanae" (*D* 617), ipsum Summum Pontificem cum clericis haereticos, propter bona temporalia, quae possident (*D* 616), immo antichristum: „Excommunicatio Papae vel cuiuscumque praelati non est timenda, quia est censura antichristi" (*D* 610). Una est atque unica auctoritas, nimirum Sacrae Scripturae.

Quos errores damnavit *Concilium Constantiense* sessione VIII (4 Mai 1415); idem vero Concilium in sessione XV (6 Iulii 1415) reiecit errores *Ioannis Hus*, triginta scilicet articulos, maximam partem Ecclesiam spectantes. „Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas" (*D* 627); haec propositio iam indicat dependentiam, quae intercedit inter sententiam Wiclif et Hus. „Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae et quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter" (*D* 647). Hinc „praesciti non sunt partes Ecclesiae...." (*D* 629), neque umquam fieri vel esse possunt, etsi per aliquod tempus fuerint in statu gratiae; praedestinatus autem „semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis" (*D* 631). Consequenter negatur omnis hierarchia, omnisque eius potestas et auctoritas, nisi fuerit in statu gratiae, id quod absque revelatione constare nequeat; logice inde deducitur impossibilitas cuiuscumque auctoritatis ecclesiasticae. Ita intellegitur propositio sequens: „Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput romanae ecclesiae particularis" (*D* 636). Primatus negatur; nam unum caput Ecclesiae est Christus; ideo Petrus „non est nec fuit caput Ecclesiae sanctae catholicae" (*D* 633), sed „papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio et institutio a Caesaris potentia emanavit" (*D* 635); multo minus „Papa vel praelatus malus et praescitus" ... est vere praelatus, sed „vere fur et latro" (*D* 648). „Oboedientia ecclesiastica est oboedientia secundum

adinventionem sacerdotum Ecclesiae praeter expressam auctoritatem Scripturae" (*D* 641); immo „Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali" (*D* 656). Patet hac sententia omnem auctoritatem plane everti et civilem et religiosam. Pariter autem cum iurisdictione negatur hierarchia ordinis; nullam etenim esse differentiam inter episcopos et sacerdotes—presbyteros. Unicam deinde auctoritatem esse Scripturam, cuius sensum praedestinatis Spiritus Sanctus aperire dicitur. Inde nullum iam magisterium ecclesiasticum, sed *individualismus* et *subiectivismus*. Sensus propositionum, quas *Hus* statuit, clare etiam elucet ex *interrogationibus*, quae wiclifitis et hussitis erant proponendae (secundum Bullam *„Inter cunctas"* 22 Febr. 1418; *D* 657 sq.).

547. 5) Forma quaedam particularis, qua Ecclesiae indoles hierarchica atque imprimis primatus negabatur, erat *„conciliarismus"*, error iam pridem inter quosdam theologos repens, qui nimirum asserit concilium universale esse Romano Pontifice superius, ita ut de sententia Papae appellatio fieri possit ad concilium oecumenicum tamquam tribunal ecclesiasticum altius. Quem errorem damnavit *Pius II* in Bulla *„Exsecrabilis"* (de die 18 Ian. 1459); inolevisse abusum, ait Pius II, „ut a Romano Pontifice, Iesu Christi vicario ... nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicii, sed commissi evasione peccati ad futurum concilium provocare praesumant.... Volentes igitur hoc pestiferum virus a Christi Ecclesia procul repellere ... huiusmodi provocationes damnamus et tamquam erroneas et detestabiles reprobamus" (*D* 717).

Sixtus IV, qui sicut *Iulius II* hanc damnationem confirmavit, praeterea inter errores *Petri de Osma* in Bulla *„Licet ea"* (de die 9 Augusti 1478) illum notavit, qui docuit Ecclesiam urbis Romae errare posse (*D* 730), neque Papam dispensare posse „in statutis universalis Ecclesiae" (*D* 731). Paucis decenniis post *Concilium Lateranense V* sessione XI (de die 19 Decembris 1516) iterum definivit, „solum Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere...." (*D* 740).

Eodem tempore *Luther* ideam fundamentalem suae doctrinae se invenisse sibi videbatur in epistula ad Romanos, quam interpretatus est anno 1515/16; anno 1517 defendit 95 theses de indulgentiis. Quae vero in evolutione sui systematis docet de Ecclesiae indole et auctoritate, omnia et singula iam anticipata erant in erroribus ab Ecclesia damnatis, superius recensitis [1].

II. Doctrina quam proposuit Luther.

548. 1. *Ansa* huius doctrinae. — Et *ansa* quidem doctrinae, quam Luther de Ecclesiae natura et munere et organisatione paulatim evolvit, *non* est infectio ex parte alicuius erroris vel theoriae erroneae, antea iam reiectae ab Ecclesia, *multo minus* inquisitio scientifica in rationes, quibus theologice probatur Ecclesiam Romanam catholicam esse veram Christi Ecclesiam. *Neque* historice fontes vel textus examinavit, qui verba Christi de sua Ecclesia [2], vel sententiam Pauli aliorumque apostolorum, vel consensum primaevae Ecclesiae continent; consideratio enim historica prorsus abest a mente Luther. Quin potius ansa omnis negationis et defectionis ab Ecclesia fuit doctrina de iustificatione, quam, ut influxum depressionis psychicae evaderet, efformaverat atque ex verbis Pauli ad Romanos se probare posse sibi persuaserat: evangelium „virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco. Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem; sicut scriptum est: Iustus autem ex fide vivit" (1, 16 sq.). Opera bona hominis, ita interpretatur apostolum, nil valent neque ulla eius cooperatio; iustitia propria est arrogantia humana coram Deo; iustificatio autem hominis est in eo ut sibi merita Christi acquirat eaque sibi imputet, et hoc quidem fide, fiduciali nimirum, quae efficit certitudinem salutis absolutam; sola igitur fide homines salvantur.

Hanc doctrinam esse Ecclesiae dogmatibus contrariam Luther scivit, neque sperare potuit fore ut Ecclesia umquam ab his dogmatibus recederet. Hinc ex duobus alterutrum eligere debuit, nempe aut renuntiare propriae doctrinae de sola fide, aut renuntiare Ecclesiae seque ab ea separare eamque impugnare. Qua erat indole elegit defectionem potius ab Ecclesia quam a propria sententia, atque hoc solo iam facto indicavit spiritum, quo ipse, quo religio quam initiavit, in posterum duceretur, spiritum individualismi et subiectivismi contra auctoritatem legitimam Ecclesiae [3].

549. 2. *Evolutio* doctrinae. — Consideranda erunt haec: (a) sententia, quam Luther tenuit ante defectionem a doctrina Ecclesiae; deinde (b) destructio huius doctrinae catholicae; denique (c) nova organisationis forma, quam hierarchiae substituit.

a) In praelectionibus de epistula ad Romanos, quas habuit annis 1515/16 (ed. *Ficker* 1908) [4], *agnoscit hierarchiam* Ecclesiae catholicae eiusque *auctoritatem doctrinalem*. „Hoc est telum fortissimum, quo percutiuntur haeretici, quia sine testimonio Dei vel authoritatis a Deo confirmatae, sed proprio motu, specie pietatis erecti,

praedicant.... Et tamen audent dicere: Nos salvabimur ... nos credimus ... praedicamus. Sed hoc dicere non possunt: Nos praedicamus, quia missi sumus. Hic, hic iacent! Et hic est tota vis et salus, sine quo cetera falsa sunt, licet, an falsa sint, non cogitent". Ecclesiam quidem verum evangelium praedicare; haereticorum autem evangelium „monstret, ubi sit ante promissum et a quo.... Sed horum illi nil solliciti stulte dicunt: Nos veritatem habemus!... Quasi hoc satis sit ex Deo esse, quia ipsis ita ex Deo videatur esse!... Sic ergo authoritas ecclesiae instituta, ut nunc adhuc romana tenet ecclesia" [4]. Eaedem autem praelectiones non solum clare ostendunt initia suae doctrinae de sola fide iustificante, sed etiam persuasionem Ecclesiam esse depravatam, inde a Papa et ab episcopis, qui scilicet sint „seducti et seducentes populum Christi a vera cultura Dei". Ex altera parte sibi adscribit missionem apostolicam, qua possit et debeat libere omnibus annuntiare scelera, etiam summa auctoritate in Ecclesia praeditis; imprimis autem, nullo respectu habito decisionum Ecclesiae, suo iudicio theologico suaeque intellegentiae nimis fidens, practice subiectivismum profitetur contra auctoritatem a Christo in sua Ecclesia statutam. Hinc nil mirum, quod agnitio huius auctoritatis ecclesiasticae, in his interpretationibus saltem theoretice expressa, mox penitus interierit, in discrimine scilicet inter doctrinam Ecclesiae et opiniones proprias.

550. b) *Destructio hierarchiae ecclesiasticae.* — Viam destructionis Luther magnis gradibus percurrit. Anno 1518 *Augustae Vindelicorum detrectavit oboedientiam* cardinali *Caietano,* qui postulaverat retractationem aliquarum propositionum; Luther respondet se nil posse retractare, nisi probatum sit esse contra Scripturam, sanctos Patres, decisiones Pontificum, vel contra sanam rationem; simul *appellavit ad Papam melius informandum.* Sed eodem fere tempore iam secum statuerat se *appellaturum ad concilium* universale, si Papa suam sententiam damnaret, id quod die 28 Novembris eiusdem anni fecit. Die deinde 11 Decembris 1518 scripsit amico cuidam se suspicari Romanum Pontificem esse *antichristum.*

Anno sequente, in *disputatione Lipsiae* habita (27 Iunii usque ad 14 Iulii 1519) ulterius progrediens *omnem auctoritatem doctrinalem Ecclesiae* reiecit. *Concilia* posse *errare,* sicut Constantiense re vera erraverit. Caute interim formulam elegit non adeo claram: „Concilium aliquando errasse, *praesertim* in iis, quae non sunt fidei" [6]; sed cum asserat inter sententias a Concilio Constantiensi damnatas Ioannis Hus fuisse verissimas, elucet, quomodo assertionem suam ipse intellexerit. Clarius idem manifestat in doc-

trina sua: *solam Scripturam,* respective subiectivam Scripturae intellegentiam, esse auctoritatem fidei. Opinionem cuiuslibet christiani plus valere quam Papae et concilii, si melioribus rationibus nitatur. Ipse Luther duobus annis post, *Wormatiae* cum degeret (mense Aprili 1521), ita edixit: „Nisi convictus fuero testimoniis scripturarum aut ratione evidente (non me subiciam); nam neque papae neque conciliis solis credo, cum constet eos et errasse saepius et sibi ipsis contradixisse; victus sum scripturis a me adductis et capta conscientia in verbis Dei“ [7]. Et quoniam scripturae non se ipsae interpretantur — Luther ipse confitetur „biblia esse haeresium librum“ — aliquod principium externum, auctoritative sensum scripturae explicans, accedat necesse est, scilicet Spiritus Sanctus, qui illuminet mentes suorum fidelium. Hinc intelleguntur verba, quae dirigit contra *Henricum* regem Angliae: „De doctrina cognoscere et iudicare pertinet ad omnes et singulos Christianos, et ita pertinet, ut anathema sit, qui hoc ius uno pilo laeserit.... Nunc autem (Christus) non solum ius, sed etiam praeceptum iudicandi statuit, ut haec sola auctoritas satis esse queat adversus omnium pontificum, omnium patrum, omnium conciliorum, omnium scholarum sententias“ [8] (*Contra regem Angliae.* 1522). Ita principium proclamavit *subiectivismi illimitati.*

Quibus praemissis intellegitur Bulla *„Exsurge Domine“ Leonis X* (de die 15 Iunii 1520), quae nimirum 41 propositiones *Martini Luther* ut haereticas respective erroneas, vel falsas vel scandalosas vel pias aures offensivas, captiosas damnavit, inter quas sequentes, quae ad Ecclesiam eiusque auctoritatem spectant: 25: „Romanus Pontifex, Petri successor, non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesias ab ipso Christo in beato Petro institutus. — 26: Verbum Christi ad Petrum (Matth. 16) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro. — 27: Certum est in manu Ecclesiae aut Papae prorsus non esse statuere articulos fidei, immo nec leges morum seu bonorum operum. — 28: Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. — 29: Via nobis facta est enervandi auctoritatem conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque concilio. — 30: Aliqui articuli Ioannis Hus condemnati in concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.“ (*D* 765—770).

551. c) *Organisatio novi coetus religiosi.* — Luther his suis principiis individualisticis et subiectivisticis propugnavit „anarchiam ecclesiasticam" *(Paulsen)* atque, ut ipsi protestantes asserunt, rebellionem contra Ecclesiam catholicam *(Kawerau, Harnack)*[9]. Immo secundum eosdem theologos protestantes liberales ipse sibi viam interclusit, qua ad aedificandam novam ecclesiam pervenire potuit; pugnant enim inter se individualismus et auctoritas socialis, subiectivismus et auctoritas doctrinalis qualiscumque. Nihilominus Luther, necessitate practica edoctus, debuit Ecclesiae catholicae aliquam organisationem religiosam opponere, ne scilicet motus, quem ipse excitavit, transgrediens omnes limites totum ordinem et religiosum et socialem everteret. Ex hac persuasione orti sunt varii conatus fundandi propriam ecclesiam seu organisationem religiosam, quae scilicet confirmaret vel saltem conservaret illas fidei veritates illosque mores vivendi, quos Luther retinendos esse censuit.

Initio quidem nec ipse cogitasse videtur de statuenda *nova* ecclesia; sufficere putabat, ut ope *potestatis saecularis* ex Ecclesia omnia eicerentur, quae suae doctrinae (lutheranae) adversarentur. Sed cum haec exspectatio falleret, alia via incedendum esse sibi persuasit; praedicatione evangelii efformandas esse *communitates christianas,* licet initio parvas, vero tamen spiritu evangelico imbutas, quae, inter se independentes, singulae sibi praepositos eligerent ad normam Scripturae, laicos puta homines, modo democratico ab universitate fidelium deputatos. Hi vicissim eligant „episcopum" territorialem cum „visitatoribus", qui regant vitam religiosam totius terrae, tamquam mandatarii omnium eiusdem terrae fidelium. Hoc fere erat consilium, quod Luther concepit versus annum 1523.

Sed christiani novae doctrinae adhaerentes haec consilia lutherana exsequi non valuerunt; et imprimis quidem, quia alieni erant a spiritu evangelico. Itaque Luther potius *colligere* studuit *„christianos veros germanosque",* illos videlicet, qui evangelium intellegerent; evangelium enim, ita Luther, non omnibus patet neque omnibus accommodatum est. Haec igitur ecclesia — „esotericam" eam nominat *Grisar*[10], — congregat in se omnia fere membra ecclesiae, quae secundum Luther est *invisibilis.* Ex altera autem parte alii plurimi christiani, qui saltem nomine tenus sunt fideles Christi, nequeunt excludi ex ecclesia; hinc *duae* fere *organisationes* distinguendae erunt: et altera quidem *externa,* quae circumcludit omnes, vulgum; altera autem *interna* et invisibilis, quae constat ex „christianis".

Quid autem de *ecclesia visibili,* de eius *organisatione,* deque eius *auctoritate?* Quis *colliget* eius membra? Quis christianos

adiget ad eandem *doctrinam* eundemque *modum vivendi* sequendum? Quis eam praeservat ab anarchia religiosa, quam non pauci ex asseclis Luther ex eius principiis derivarunt? Reiecta auctoritate Ecclesiae catholicae non remanet nisi *auctoritas civilis,* cui Luther initio aliqua dumtaxat iura concessit in administrandis certis rebus externis, postea autem gubernationem „ecclesiae" plane commisit. Princeps nimirum saecularis tamquam „membrum praecipuum ecclesiae" iurisdictionem in ecclesia exercet, quam ipsa ecclesia exercere nequit; nam *omne ius,* ut saeculare quid, *arceri ab ecclesia,* quae sola praedicatione homines reddat bonos. Mox a principe *superintendentes* nominabantur, qui omnia regerent, vitam religiosam et doctrinalem, cultum et disciplinam quae spectabant. Demum (1539) introducebantur, consentiente Luther, *„consistoria"*, quibus iurisdictio conferebatur a principe, et quae fere ad instar erant potestatis episcopalis Ecclesiae catholicae. Per haec consistoria deinceps ecclesia tota subiecta fuit gubernio civili[11].

552. Quaestio sane spinosa manet solvenda: utrum scilicet ecclesia secundum Luther fuerit *visibilis an invisibilis.* Consentiunt nunc plurimi auctores in eo ut agnoscant Luther hanc quaestionem non clare decidisse, seu in eius idea ecclesiae inesse quandam contradictionem. Persuasio enim eius intima fuisse videtur ecclesiam esse de essentia sua *internam, invisibilem;* „tota est in spiritu et res omnino spiritualis; nemo ergo nosse poterit, ubi sit ulla eius pars in toto orbe". „Quis ecclesiam nobis monstrabit, quum sit occulta in Spiritu et solum credatur? Sicut dicimus: Credo ecclesiam sanctam"[12]. Haec interna *sanctitas* est vinculum uniens vera ecclesiae membra. Et licet membra ecclesiae *formentur* per praedicationem evangelii et administrationem sacramentorum, i. e. per actus externos et visibiles, licet igitur *certa quaedam elementa* sint *visibilia,* ipsa tamen ecclesia, utpote sancta et consistens ex fidelibus sanctis, natura sua manet invisibilis.

Hi autem fideles et sancti etiam *externe inter se coniunguntur,* vinculo nempe eiusdem praedicationis et persuasionis et usu eorundem sacramentorum. Immo *omnes,* qui externe saltem adhaerent religioni christianae, formant *coetum* aliquem, quem ecclesiam vocare fas erit, cum inter eius membra certe sint etiam veri illi christiani. Haec porro *ecclesia* dici debet *visibilis,* quae dignosci potest ut vera certis notis. Nam sicut in scholis theologicis catholicis notae verae Ecclesiae Christi enumerari solebant, ipse quoque Luther tales *notas* proposuit, septem scilicet: verbum

Dei, sacramentum baptismi, altaris, claves ad remittenda peccata (per fidem), munera ecclesiastica, oratio, demum omnis generis tribulatio, persecutio, mala etc. Postea hae notae ad duas reducuntur, scilicet (1) ad puram doctrinam et (2) recta sacramenta.

553. *Quomodo* autem se habent *inter se* ecclesia *visibilis* et *invisibilis?* Dicunt quidem ecclesias duas sese inter se habere *sicut animam et corpus; sed* haec comparatio locum habere nequit, quia ecclesia invisibilis nullum influxum exercet in visibilem; conectuntur enim inter se eo quod utraque oritur ex iisdem principiis, scilicet praedicatione verbi et administratione sacramentorum. Illo autem sensu, quo theologia catholica loquitur de „anima" et „corpore" Ecclesiae (cf. infra n. 958 sqq.), in systemate Luther sermo esse nequit. — Alia adhibetur comparatio, scilicet ecclesias duas sese inter se habere sicut *circulos concentricos,* quia idem centrum habent [13]. *Sed* hac comparatione relatio ipsa inter duos circulos minime explicatur. — Alii deinde praeferunt alium modum loquendi, scilicet de ecclesia *stricte* et *late dicta. At* quaeri potest, num ecclesia visibilis sensu vero talis nominari possit, cum ei desit essentia ecclesiae, quae secundum Luther sit sancta et solum fide percipi possit.

Melius itaque alii confitentur, etiam protestantes, Luther hanc *quaestionem non solvisse* [14]. Neque ex suis principiis solvi potest. Hinc *evolutio* illa varia et multifaria, quam in sequentibus theologis videbimus; hinc imprimis sententia illa, quae, fructus horum principiorum genuinus, reiciens omnem organisationem externam, profitetur religionem *non-ecclesiasticam* („kirchenloses Christentum"), et pari gressu *non-dogmaticam* („dogmenloses Christentum"). Hinc deiectio religionis christianae ad unam ex formis religionis nobilioribus, forte etiam ad formam relative perfectissimam religionis, quae autem alias formas, etiam perfectiores, nullatenus excludat.

III. Documenta aliqua ex libris symbolicis protestantium.

554. 1. Confessio Augustana, scripta (1530) a *Melanchthon,* approbata a *Luther,* non quidem ab initio ut declaratio authentica (symbolica) novae religionis considerata est; postea autem (inde ab anno 1555) de facto ut talis universalem auctoritatem inter lutheranos nacta, in collectionem symbolorum admittebatur. Articulus eius VII *De Ecclesia* ita habet: „Item docent, quod una sancta ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem ecclesia congregatio sanctorum, in qua evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta. Et ad veram unitatem ecclesiae satis est consentire de doctrina evangelii et administratione

sacramentorum. Nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus: *Una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium* cet." — In *articulo,* deinde sequenti, *VIII,* quaeritur: *„Quid sit Ecclesia?"* Responsum est hoc: „Quamquam ecclesia proprie sit congregatio sanctorum et vere credentium, tamen, quum in hac vita multi hypocritae et mali admixti sint, licet uti sacramentis, quae per malos administrantur, iuxta vocem Christi: Sedent scribae et pharisaei in cathedra Moysis cet. Et sacramenta et verbum propter ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur." — *Articulo* porro *XIV* agit *„De Ordine Ecclesiastico"* et ait: „De ordine ecclesiastico docent, quod nemo debeat in ecclesia publice docere aut sacramenta administrare, nisi rite vocatus." Haec denique verba explicantur ex opposita sententia, quam *Confessio* damnat ut abusum. *Articulo* enim *XXVIII* agit de *abusu VII,* scilicet *De Potestate Ecclesiastica.* „Sic autem sentiunt (novatores) potestatem clavium (in quantum contradistinguitur a potestate gladii) seu potestatem episcoporum iuxta evangelium potestatem esse seu mandatum Dei praedicandi evangelii, remittendi et retinendi peccata et administrandi sacramenta (Io. 20, 21 sqq. Marc. 16, 15). Haec potestas tantum exercetur docendo seu praedicando verbum et porrigendo sacramenta vel multis vel singulis iuxta vocationem. . . . Haec non possunt contingere nisi per ministerium verbi et sacramentorum, sicut Paulus dicit (Rom. 1, 16). . . . Porro secundum evangelium seu, ut loquuntur, de iure divino, nulla iurisdictio competit episcopis ut episcopis, h. e. his, quibus est commissum ministerium verbi et sacramentorum, nisi remittere peccata, item cognoscere doctrinam, et doctrinam ab evangelio dissentientem reiicere, et impios, quorum nota est impietas, excludere a communione ecclesiae, sine vi humana, sub verbo. Hic necessario et de iure divino debent eis ecclesiae praestare obedientiam, iuxta illud Luc. 10, 16: Qui vos audit, me audit. Verum quum aliquid contra evangelium docent aut statuunt, tunc habent ecclesiae mandatum Dei, quod obedientiam prohibet (Matth. 7, 15. Gal. 1, 8. 2 Cor. 13, 8)." De *„traditionibus"* (i. e. de exercitio potestatis iurisdictionis ecclesiasticae) haec docet idem articulus: „quod liceat episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in ecclesia, non ut per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiae, ut iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, quum sine offensione aliorum violant. Sic Paulus (1 Cor. 11, 5 sq.; 14, 30). . . . Talis est observatio diei dominici, paschatis, pentecostis et similium feriarum et rituum. . . ." [15]

Catholici responderunt scripto illo, quod postea *„Confutatio Confessionis Augustanae"* vocatum est; contra ipsum Melanchthon scripsit *„Apologiam Confessionis Augustanae"* (mense Sept. 1530), quae anno 1531 simul cum Confessione litteris impressa et postmodum cum ea inter libros symbolicos lutheranos agnita est. Agit in Art. VII et VIII *De Ecclesia,* in art. XV (VIII) *De Traditionibus Humanis in Ecclesia,* quoad rem idem affirmans ac *Confessio,* quoad formam autem singulas discrepantias a doctrina catholica magis efferens [16].

555. 2. In *Catechismo maiore,* quem Luther composuit anno 1529 et qui admissus est inter libros symbolicos lutheranos, Luther in explicando symbolo apostolico haec scripsit: „Sanctam christianorum ecclesiam communionem sanctorum fides nominat. Utrumque enim idem coniunctim significat. . . . Huius autem appendicis haec summa est: Credo in terris esse quandam sanctorum congregationem et communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno capite Christo, per Spiritum Sanctum convocatam, in una fide, eodem sensu et sententia, multiplicibus dotibus exornatam, in amore tamen unanimem et per omnia concordem, sine sectis et schismatibus. Horum me quoque partem et membrum esse constanter credo, omnium bonorum, quaecumque habent, participem et municipem, Spiritus Sancti opera eo perductum, iisdem uno corpore unitum, per hoc, quod verbum Dei audierim atque etiamnum audio, quod principium est in hanc communionem ingrediendi.“ [17]

Quibus citatis unum documentum addere liceat, quod, cum de *primatu Romani Pontificis* agat, deque sententia, quam Luther de eo habuerit, cum porro transierit et ipsum in collectionem librorum symbolicorum sicque ex parte explicet aversionem primatus longe inter protestantes divulgatam, speciali consideratione dignum videri possit.

Cum enim a *Paulo III* concilium universale convocatum esset Mantuae habendum (2 Iunii 1537), *Luther,* iubente Ioanne Friderico, electore Saxoniae, ea compilavit, quae ut propriam doctrinam tenere conscientia obligatum sese sentiret. „*Articuli christianae doctrinae,* qui a nostris concilio, si quod vel Mantuae vel alibi congregandum fuisset, exhibendi fuerant, indicantes, quid recipere vel concedere possemus et quid non“, in oppido *Schmalkalden* a lutheranis admissi sunt atque inde vocati „*Articuli Smalcaldici*“. In parte III agunt capite XII *De Ecclesia,* et XV *De Humanis Traditionibus,* simili modo ac documenta iam citata; in parte vero II articulus (IV) *De Papatu* docet, „quod papa non sit iure divino seu secundum verbum Dei caput totius christianitatis (hoc enim nomen uni et soli Iesu Christo debetur), sed tantum episcopus et pastor ecclesiae, quae est Romae. . . . Hinc sequitur, omnia, quae papa ex tam arrogante, temeraria, mendace, blasphema et furto arrepta potestate suscepit et fecit, et adhuc facit, fuisse et esse mere diabolica acta et instituta . . . ad perditionem totius sanctae ecclesiae catholicae seu christianae . . . et ad destructionem primi et praecipui articuli de redemptione facta per Iesum Christum. . . . Haec doctrina praeclare ostendit, papam esse ipsum verum antichristum, qui supra et contra Christum sese extulit et evexit, quandoquidem christianos non vult esse salvos sine sua potestate, quae tamen nihil est et a Deo nec ordinata nec mandata est.“ [18]

Et haec quidem documenta sufficiant; ostendunt nimirum non solum sententiam, quam Luther excoluit, transiisse in libros symbolicos lutheranorum, sed simul explicant, quonam modo sententiae tam variae de ecclesiae natura et indole et potestate oriri potuerint, quae quidem ex altera parte quaedam admittant ut inconcussa, ob unicam videlicet auctoritatem lutheranam, ex

altera parte, innixae in principiis, quae idem Luther contra Ecclesiam promulgavit, processerunt usque ad negationem completam omnis ecclesiae omnisque religionis supernaturalis.

B. Sententiae quaedam recentiores, inter protestantes vigentes, de Christi Ecclesia.

Ex plurimis opinionibus, tempore recentiore propositis, eas eligimus, quae ad designandas scholas aptae videntur esse, ita quidem ut (I) partem conservativam, dein (II) varias sententias ab auctoribus liberalibus enuntiatas delineemus.

I. Sententia conservativa.

556. Exponitur opinio, quam *J. Köstlin* (1826—1902) modo compendioso proposuit[18] atque rationibus ex Scriptura depromptis probare studet. Postquam de *voce* ecclesiae disseruit atque sensum, quo in libris N^i T^i adhibetur, determinavit (communitas eorum, qui credunt in Iesum ut in Messiam atque in Christo sunt Deo sacrati; 317), quaerit, *num Christus voluerit ecclesiam fundare.* Et ad hanc quidem quaestionem respondet affirmando: Christum annuntiasse *Regnum Dei* tamquam *statum vitae* coelitus a Deo datum et hinc ipsum indole caelesti praeditum virtute divina in genere humano instituendum, qui in se continet beatitudinem (der von Gott und dem Himmel stammende, himmlisch geartete, durch göttliche Kräfte in der Menschheit und Welt herzustellende, die Seligkeit in sich schließende Lebensstand; 317). Hoc igitur statu, obiective inter eos et in iis exsistente qui sese addicunt Regno Dei, primum iam vinculum aliquod constituitur inter membra Regni; aliud est *sequela Christi,* qua non solum cum Iesu sed etiam inter se coniungebantur. Accedunt denique inimicitiae et *odium ex parte „mundi“,* quae Christi discipulos arcte inter se ligare debuerunt. Hinc nil mirum, quod *EvMatth.* duo verba Christi referat, quae de Ecclesia Christi loquuntur (16, 18; 18, 17 sq.).

Cur autem Christus de sua Ecclesia non plura docuit — ceteri nempe loci, qui afferri solent ad probandam indolem externam Regni Dei, ut parabolae, nil probant (317 sq.) —, cur non clarius locutus est? Quia Christus videtur exspectasse, ut asseclae eius sua sponte, ex persuasione nempe communi se esse membra Regni Dei atque ut talia eiusdem propugnatores, sese adunaturi essent in communitatem etiam externam, cuius formam tamen, utpote minime essentialem, ipse Christus praescribere noluit (Wir müssen es daraus erklären, daß er erwartete und wollte, die von ihm und um ihn her versammelten Jünger sollten eben als solche im Bewußtsein und Drang innerer Gemeinschaft und im

Streben, sein Reich zu behaupten und für dasselbe weiter zu wirken, von selbst auch äußerlich zu einer Gemeinde sich gestalten, ohne daß doch bestimmte äußere gesetzliche Ordnungen zum Wesen derselben und zum Bestand des Gottesreiches in ihr gehört hätten und so von ihm vorzuschreiben gewesen wären; 318).

557. *Nulla* igitur *organisatio* Ecclesiae *a Christo instituta;* nullus primatus, nulla auctoritas apostolatus. Verba, quae Christus ad Simonem dirigit (Matth. 16), praedicant ipsum quidem Petrum (non eius fidem); sed Simon vocatur *Petrus* non eo sensu, quo Christus ipse solus est fundamentum suae Ecclesiae, sed *sensu* mere *historico,* quatenus prima communitas (ecclesia) praedicatione Petri aedificata est (Aufgebaut wurde aber die Gemeinde in ihrem Ursprung, wie die Apostelgeschichte erzählt, wesentlich auf der Predigt und Wirksamkeit eben dieses gottbegabten Felsenmannes. . . . Mit einem fortgesetzten Regiment in der Gemeinde und Regenten, die darin weiterhin dem Petrus nachfolgen sollten, hat sie nichts zu tun; 319). *Apostoli* vero sunt vi nominis imprimis *praecones evangelii* et, ut ab ipso Christo missi, specialis auctoritatis; at non licet eis vindicare iura propria, quae aliis Christi discipulis non competant (Aber wir erhalten keine bestimmte, statutarische Abgrenzung zwischen ihnen, die dabei auch unter sich noch an Gaben und Beruf verschieden erscheinen, und zwischen andern Jüngern, die etwa doch auch noch mit besondern Gaben ausgerüstet werden sollten; 319). Idem valet de hierarchia ordinis; omne vestigium, ita *Köstlin, sacerdotii* ad instar ordinis levitici V^{is} T^{i} deest (Für Analogien mit dem statutarisch geordneten Priestertum des Alten Bundes haben Iesu Aussagen über seine Gemeinde, seine Jüngerschaft, sein Reich keine Stelle; 319). Hinc potuit coetus christianus initio coniunctus manere cum organisatione externa Israel atque institutionibus V^{is} T^{i}, donec, progrediente evolutione, separatio natura sua efficeretur; ergo secundum Christum essentia Ecclesiae nullo modo ligatur cum certa quadam forma constitutiva (Dogmatisch entnimmt hieraus der evangelische Protestantismus mit Recht, daß das Wesen der Kirche an keinerlei derartige Formen unbedingt gebunden werden dürfe; 320).

558. *Relatio* porro, quae intercedit inter *Regnum Dei* et *Ecclesiam,* ita a *Köstlin* determinatur, ut Regnum Dei consideretur tamquam conceptus amplior magisque extensus; sed de facto omnes homines, qui vere sunt membra Ecclesiae, huius Regni Dei participes sunt, et omnes, qui velint esse membra Regni Dei, debent sese associare Ecclesiae. Vera autem *membra* Regni Dei et Ecclesiae non sunt nisi ii, qui cum Christo capite

coniuncti sunt, seu *sancti* (322). Quonam igitur modo *ecclesiae empiricae,* quae nimirum etiam peccatores inter sua membra continent, vera Ecclesia esse possunt? Respondet *Köstlin* indolem sanctitatis non quidem convenire organismo ut tali, sicut in V^{e} T^{o}; nam in N^{o} T^{o} *singulos* esse in Christo sanctificatos; sed distinguendum esse inter peccatores, qui cum Christo coniuncti esse volunt, et illos, quos Paulus vocet *„vasa in contumeliam“* (2 Tim. 2, 20), qui exciderunt e gratia (Gal. 5, 4), comburendi ut palmites excisi e vite (Io. 15, 6). Hos quidem a Paulo minime intra membra Ecclesiae adnumeratos esse (Wir haben hier in Betreff derjenigen, welche einmal in ihrem Lebensmittelpunkt und Grundcharakter durch Christus in die Gottesgemeinschaft eingegangen sind, zu antworten, daß sie eben hiermit trotz der ihnen noch anhaftenden Sünden den Charakter jener Heiligkeit haben. Von solchen aber, welche Gefäßen der Unehre gleichen, darf man nicht etwa . . . behaupten, sie seien für Paulus doch vermöge ihres Getauftseins noch Heilige und wirkliche Glieder Iesu Christi. . . . Wir müssen vielmehr sagen, daß Paulus [von ihnen] . . . abgesehen und die Gemeinde Christi nach denjenigen Bestandteilen, in welchen sie ihrem wahren Wesen nach bestehe, bezeichnet habe; 322 sq.).

Ita singulae communitates christianae, independentes altera ab altera nulloque vinculo nisi sola caritate inter se coniunctae (324), vi charismatum, aliquibus membris coelitus datorum, sese ipsae regebant *absque ullo munere ecclesiastico;* ne angelos quidem, qui in *Apocalypsi* Ioannis commemorantur, fuisse vel episcopos vel praepositos qualescumque; apud *Patres* demum qui *Apostolici* vocantur prima vestigia deprehendi, quae indicent depravationem ideae Ecclesiae (In den Anfängen jener Entwickelung — zum Alten Katholizismus — ist bei den sogenannten apostolischen Vätern die Lehre von der Kirche zunächst noch eine Verschiedenheit der Richtungen, aber allgemein schon eine Trübung jenes ursprünglichen neutestamentlichen Geistes wahrzunehmen; 326). Ita ortam esse Ecclesiam *catholicam.* Postea autem, per *waldenses* (334), *Wiclif, Hus* atque imprimis per *Luther,* idea ecclesiae reformata atque ad normas evangelicas reducta esse dicitur (336 sq.).

559. Similem considerationem Ecclesiae, occasione controversiarum, quae agebantur de constituenda ecclesia protestantica in Germania, proposuit *Chr. Bürckstümmer* [20].

Indagat etenim in *relationem,* quae secundum libros N^{i} T^{i} habeatur inter *communitatem* (Gemeinde), *sacerdotium* (allgemeines Priestertum) et *munus sociale* (Amt). Primaria est communitas seu ecclesia, quae est illa unio discipulorum, quos Christus ad se vocaverat, confirmata et donata effusione Spiritus Sancti, insuper autem missione aliqua ipsius Christi, ut scilicet praedicet nomen suum et administret baptismum et agat coenam dominicam. In *Actibus* apostolorum promiscue adhibentur *„ecclesia“* et *„discipuli“* (Jüngerschaft und Gemeinde ist hier identisch;

605). Postea quidem Christus potius ut dominus (κύριος) agnoscebatur; sed haec vox non mutationem ullam indicat; solummodo relationem inter Christum et asseclas suos formulis mysticis exhibet, maxime ea, quae ecclesiam vocat *corpus Christi,* qui regit ecclesiam eamque vivificat. Ita christiani facti sunt *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* (1 Petri 2, 9; cf. Rom. 12, 1; Apoc. 1, 6; 5, 10; 20, 6), sicut in V^{e} T^{o} (Ex. 19, 6) sacerdotes inter israelitas, sicut Israel inter populos terrae, vocati scilicet ad intimam communionem cum Deo, ita christiani, sed omnes pari gradu (607/8). Cui gratiae correspondet ex parte christianorum devotio integra in servitium Christi eiusque Regni (So steht die Christenheit in der Welt in Lebensgemeinschaft mit Christus, mit einer Lebensaufgabe, seinen Namen zu verkündigen; 609).

560. Quid autem de *munere* in Ecclesia? Numquid *apostolatus* erat munus, sensu nostro, iuridico? Si considerantur apostoli qua *praecones* evangelii, non erant munere aliquo prae ceteris praediti; nam omnes christiani, modo charisma habuerint, potuerunt praedicare (Die Mission in jenen ersten Zeiten läßt sich ja gar nicht anders denken, als daß jeder Christ ein Missionar war. . . . Jedes Glied der Gemeinde, das die Gabe der Predigt hatte, durfte ohne weiteres predigen; 611). Si vero apostoli considerantur ut *dispensatores* gratiae, patet ex verbis Pauli (1 Cor. 1, 14) et Petri (Act. 10, 48) baptismum non ab ipsis administratum esse; coenam vero dominicam probabiliter patresfamilias celebrasse (611). Si denique apostoli considerantur ut *rectores* communitatis christianae, attendi debet ad textus, in quibus apostoli apparent ut mandatarii communitatis, sicut Barnabas (Act. 11, 22), Paulus et alii Antiochiam missi (15, 22; cf. Gal. 2, 11). Exsecutio poenae erat penes communitatem (Matth. 18, 15 sqq.). Idem dicendum erit de Paulo. Nam licet videatur ecclesias suas rexisse (cf. 1 Cor. 5, 3; Gal. 1, 8; 1 Cor. 16, 1 sq.; 4, 1; 7, 10; 14, 37), tamen nil agit auctoritative, sed vel procedit simul cum communitate (1 Cor. 5, 3 sq.), vel excludit mandatum strictum (2 Cor. 8, 8), vel ostendit totam vitam socialem fundari in charismatibus (1 Cor. 12), inter quae donum regiminis (12, 28) nitide distinguitur ab apostolatu (Also es läßt sich nicht beweisen, daß die Apostel in den ersten Gemeinden die Gnadenmittelverwaltung, die Kirchenleitung als Amt geführt hätten; 612). Unum illud erat apostolis proprium, quod scilicet viderint ipsum Christum, *autopsia* (Act. 1, 21 sq. 1 Io. 1, 1. Gal. 1, 12. 1 Cor. 15, 8. 2 Cor. 5, 16); hinc sunt fundamentum, super quod aedificata est Ecclesia (Eph. 2, 20); hinc distinguuntur ab omnibus aliis christianis. Sed minime inde fluit auctoritas monarchica apostolorum; nam haec soli Iesu competit (613 sq.).

Unde igitur *munera ecclesiastica?* Munus exercere potest ille, qui accipit *charisma;* atqui charisma est *donum divinum* (Act. 6, 3. 1 Cor. 12. Eph. 4, 11). Ergo qualitas est coelitus data; *exercitium* autem huius charismatis tradebatur vel ab apostolo (Act. 14, 23. Tit. 1, 5) vel a communitate vel ab utroque simul, ab apostolis nimirum cooperante ecclesia (Act. 6, 6), vel ex propria ordinatione (1 Cor. 16, 15). *Quaenam* fuerint munera, quinam eorum *ordo*, non clare ex fontibus erui potest; principalis autem auctoritatis fuisse videntur munera doctrinalia (617 sqq.). Tempore subsequente *episcopi* maiorem auctoritatem nacti sunt, partim ex eo quod sibi arripuerint munus docendi, partim ex deficiente charismate, donec reformatores redierint ad normas N^i T^i (619 sq.).

561. Theoria a *Bürckstümmer* propugnata prope accedit ad illam, quam supra (n. 387) ut *charismaticam* novimus a *Sohm* excultam esse. Et re quidem vera; si quis, reiciens hierarchiam ecclesiasticam, retinere studet indolem Ecclesiae supernaturalem eiusque originem divinam, debet, sicut ipsam communitatem christianam, ita etiam munera huic organisationi necessaria aliquo modo reducere ad Christum, auctorem Ecclesiae, sive ad Christum, qui formas essentiales constitutionis Ecclesiae ipse determinarit, sive ad Christum glorificatum, qui Spiritu Sancto regit Ecclesiam suam, donis videlicet suis divinis, quae Paulus vocat et *charismata,* quatenus sunt data a Deo, et *ministeria,* quatenus sunt data in bonum commune Ecclesiae. Nos quidem haec dona minime negamus; asserimus autem insuper Christum iam tempore vitae curam egisse suae Ecclesiae, quam nimirum non modo instituit ipse, sed etiam constituit ut societatem hierarchicam. Qui vero hanc constitutionem hierarchicam a Christo factam esse negaverit, debet non solum verbis Christi vim inferre eosque detorquere ad sensum ipsis prorsus alienum, sed etiam admittere Spiritum Dei mox post decessum apostolorum dereliquisse Ecclesiam Christi — in diserta oppositione ad ipsius Christi verba (Matth. 16, 18; 28, 20; cf. *Ass. 8,* n. 205 sqq.; *Ass. 15,* n. 378 sqq.), Ecclesiamque suam constitutionem penitus mutasse, sive id factum esse dicitur per epistulam *Clementis* ad Corinthios (ita *Sohm*)[21], sive paulatim per Patres apostolicos (ita e. g. *Köstlin,* alii) et generatim evolutione quadam naturali Ecclesiae Christi. Hac deinde evolutione et depravatione Ecclesiae supposita, de origine diversorum munerum, quae de facto in Ecclesia antiqua exsistunt (primatus et episcopatus imprimis), opiniones maxime inter se differentes proferuntur, quas autem omnes et singulas recensere longum est[22].

II. Sententiae liberales.

562. Usitata est inter auctores protestantes designatio Ecclesiae catholicae tamquam *„religionis auctoritatis“*, cui opponitur *„religio libertatis“* vel etiam *„religio spiritus“*, quae in protestantismo verificetur. *Auguste Sabatier* (1839—1901) discrimen fundamentale

ponit in eo quod religio auctoritatis sequatur *„methodum auctoritatis“* (in Ecclesia scilicet catholica auctoritatem revelationis et Ecclesiae, cui „scholastici“ protestantici substituissent auctoritatem Scripturae), religio vero spiritus *experientiam,* quae scilicet inducit hominem, ut iudicet de aliqua doctrina secundum eius valorem internum (la méthode expérimentale moderne nous met en contact immédiat avec la réalité et nous apprend à ne juger une doctrine que d'après sa valeur intrinsèque, manifestée directement à l'esprit par le degré même de son évidence; 2)[23]. Christum fuisse, ita plurimi theologi protestantes liberales, auctorem religionis spiritus (443 sqq.). Ipsum enim, ita *Sabatier,* tamquam axioma proposuisse aequalitatem fraternam et independentiam spiritualem christianorum, fundatam in relatione ad Patrem caelestem (Matth. 20, 25 sqq.; 23, 8 sqq.); ita Christum damnasse ipsum principium hierarchiae religiosae (Ce qu'il attaque et condamne, c'est le principe même de la hiérarchie religieuse qui . . . divisait les hommes en deux classes, en mettant la conscience des uns sous la tutelle des autres; 444).

Ipsum Christum nullam sibi tribuisse auctoritatem nisi illam, quae insit ipsi doctrinae quam protulerit, seu operi quod exsecutus sit (l'autorité de Jésus, c'est l'autorité des choses qu'il enseigne et de l'œuvre divine qu'il accomplit dans les cœurs; 448). Proponit videlicet veritates divinas, quae ipsi in conscientia revelatae sunt (i. e. quas ipse expertus est) sicque eas hominibus imponit, vel potius: ita ipsae sese veritates hominibus imponunt valore suo et auctoritate sua interna (les vérités divines qui lui ont été révélées dans sa conscience, il les propose, et, en les proposant, il les impose, ou plutôt, elles s'imposent par leur propre vertu; 449). Hanc autem auctoritatem exercet Christus in alios homines, quatenus propriam experientiam iis communicat, elargiendo iis quodammodo propriam conscientiam (Cette conscience de Jésus renferme et réalise pour nous le lien spirituel et moral, l'union absolue entre l'âme humaine et Dieu, en sorte que, lorsque cette conscience devient la nôtre, nous nous sentons dans la religion parfaite, dans le rapport normal et éternel avec Dieu; 456). Hinc *„esse christianum“* proprie nil aliud est nisi denuo vivere vitam Christi, denuo experiri experientiam Christi internam, qua sensit praesentiam Dei ut Patris seseque Deo coniunctum relatione filiali (Être chrétien, en dernière analyse et pour descendre jusqu'à la première racine du christianisme, ce n'est pas recevoir une notion de Dieu ou même une doctrine abstraite de son amour paternel, c'est revivre intérieurement la vie intérieure, la vie spirituelle du Christ, et, par l'union de notre cœur au sien, sentir en nous la présence d'un Père et la réalité de notre rapport filial avec lui, tout comme le Christ sentait cette présence et ce rapport en lui; 456). Proprium igitur obiectum fidei, quam in Iesum Christum habemus, non est ipse Christus, sed revelatio Patris in ipso et per ipsum facta (457).

Quare removenda et reicienda est omnis *auctoritas externa,* omnis hierarchia religiosa, retinenda vero unica *auctoritas sanctitatis et amoris,* qua nimirum sola Christus praeditus erat, auctoritas denique *Spiritus* (C'est là l'autorité dont Jésus a été revêtu et dont il veut que soient revêtus ses disciples . . . c'est l'autorité de l'Esprit; 458).

Iam patet ex hisce principiis omnem *ecclesiam,* i. e. omnem organisationem externam plane *alienam esse a mente Christi*[24], seu, ut ait *A. Harnack* (cf. n. 386), omne vinculum inter Iesum et Ecclesiam esse dissectum; Ecclesiam vero esse fructum evolutionis naturalis, quae elementa diversi generis, christiana, iudaica, ethnica congesserit atque ex iis Ecclesiam catholicam efformaverit. Hanc vero evolutionem, quomodo ex ipsis fontibus ab *Harnack* derivetur, paucis, si placet, adumbremus.

563. Principium, ex quo *Harnack* procedit, est idem, quod enuntiavit *Sabatier:* Christus, experientiam suam religiosam hominibus communicando, factus est auctor religionis christianae, quae pro obiecto fidei et cultus non habet ipsum Christum, sed solum Deum Patrem (Nicht der Sohn, sondern allein der Vater gehört in das Evangelium, wie es Jesus verkündigt hat, hinein[25]. *Ecclesiam* deinde *catholicam* esse efformationem syncretisticam, cuius *essentia* in eo sit ut (1) fides transformata sit in doctrinam revelatam simulque philosophicam, quae ut apostolica traditur, ut (2) aequiparata sit ecclesia *empirica* (iuridica et episcopalis) cum vera Ecclesia Christi (Die Umschmelzung des christlichen Glaubens zu einer geoffenbarten, aus geschichtlichen und ideellen Elementen bestehenden philosophisch-hellenischen Lehre, die als apostolisch prädiziert und durch heilige Weihen, durch die Autorität und durch den Gedanken überliefert wird, sowie die Gleichsetzung der empirischen, von dem „apostolischen" Episkopate geleiteten Kirche als Rechtskörper mit der Kirche Christi bezeichnen das Wesen des Katholizismus; 184)[26].

Iam videamus *elementa,* quae secundum *Harnack* cooperatione sua produxerint Ecclesiam eiusque organisationem. Sunt autem tria: scilicet auctoritas pneumatica (charismatica; die Autorität der Geistesträger als λαλοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, Apostel, Propheten und Lehrer); auctoritas dein patriarchalis (die Autorität der „Alten" gegenüber den „Jungen"); denique auctoritas administrativa, quae vi muneris et (democraticae) deputationis exercetur (die Administrations- und Exekutivgewalt gewählter Beamten . . . in der Dienstleistung und Verwaltung und sehr früh auch im Kultus; 33). Omnes tres classes fundari quidem in „charismatibus"; sed sensu proprio charismaticos non esse nisi illos, quibus commissa

est praedicatio verbi; ceteris datum esse aliquod donum ad fungendum munere suo.

564. 1. *Auctoritas pneumatica.* — Charismata et eorum organa (Geistträger) pertinent ad Ecclesiam universalem seu ad illam confraternitatem (Bruderbund; 4), quae spiritu Dei regitur, quae Christum pro pastore et episcopo habet, quae aedificatur verbo Dei, maxime per apostolos (prophetas, doctores) praedicato. Tota proinde Ecclesia, quippe cui ut tali omnia charismata data sunt, est „democratia pneumatica" (pneumatische Demokratie; 37); ipsa primario regitur *ut tota* ab hoc spiritu divino; ecclesiae vero *particulares* et locales eatenus, quatenus sunt effectus et manifestationes et imagines Ecclesiae totalis (jede einzelne [Gemeinde ist der Gesamtkirche] geschlossenes Abbild und ihre Auswirkung; 35), in qua et per quam subsistunt (der Gesamtkirche enhypostatisch eingefügt; 69).

Charismata principalia sunt *doctrinalia,* quae competunt *„triadi"* cuidam, scilicet *apostolis, prophetis, doctoribus* (18 sq. 38 sqq.). Hae „personae charismaticae" (Charismatische Personen sind sie alle, d. h. ihr Beruf ruht auf einer Geistesmitteilung, die für sie ein stetiger Besitz ist, und gilt ideell der ganzen Kirche; 19) vocantur non a communitate, sed a Deo immediate (Mission I[4] 347 sq.)[27]; earum porro distinctio in tres gradus est pervetusta atque in primaeva Ecclesia communiter agnita (ibid. 348). — *Textus,* qui hanc assertionem probent, sunt hi: (1) λαλοῦντες τὸν λόγον, i. e. probabiliter haec *trias,* nominantur in Didache 4, 1; 11, 3 sq.; 13; 15, 1 sq.; Hebr. 13, 7 17 24; 1 Clem. 1, 3; 21, 6; Act. 15, 22 32; accedit Pastor Hermae; (2) diserte *tres gradus* exhibentur 1 Cor. 12, 28; Act. 13, 1; Eph. 4, 11 (simul cum evangelistis et pastoribus); (3) *apostoli* et *doctores:* Pastor Hermae Sim. IX et (simul cum episcopis et diaconis) Vis. III; 1 Tim. 2, 7; 2 Tim. 1, 11; (4) *apostoli et prophetae:* Matth. 10, 41; Apoc. 18, 20 (2, 2 20); Eph. 2, 20; 3, 5; Did. 11, 3; (5) *prophetae et doctores:* Act. 13, 1 (2 Petri 2, 1); Did. 13, 1 2; 14, 1 sq. (Mission I[4] 355 nota 1)[28]. Inde concludit *Harnack* in ecclesiis antiquissimis praedicatores verbi Dei summum gradum auctoritatis occupasse, sed neque a communitate electos neque ullo actu humano munus suum accepisse; nam homines pneumaticos solummodo mandatum divinum immediatum exsecutos esse (Mission I[4] 353). Unde patet *nullum ius nullumque munus* stricte dictum cum hisce charismatibus coniunctum esse; ipsum quoque Paulum, licet sit pater et paedagogus suarum ecclesiarum, licet eis imponat ordinem a se statutum, tamen non esse nisi „mandatarium Ecclesiae pneumaticae" (sozusagen als Mandatar der pneumatischen Gesamtgemeinde; Kirchenverfassung 40).

565. 2. *Auctoritas patriarchalis.* — *Origo* huius auctoritatis est naturalis, ex discrimine inter seniores et iuniores, presbyteros (πρεσβύτεροι) et neoteros (νεώτεροι). Seniores vero sunt vel aetate

provecti, vel primitiae alicuius ecclesiae, ii videlicet, qui ut primi evangelio adhaeserunt, vel etiam illi, qui bene meriti erant de ecclesia aliqua ac propterea digni quibus reverentia vel gratitudo deberetur (Von Anfang an war für das innere Leben der Lokalgemeinden der natürliche Unterschied von Presbyteri und Neoteri maßgebend; zu ersteren gehörten auch alle, deren Verdienste Ehrerbietung und Dank erheischten; 64 sq), Munus presbyterorum — improprie tale, quia deerat omne ius — erat educatio moralis et disciplinaris (33).

566. 3. *Auctoritas administrativa.* — Prope ad auctoritatem presbyterorum accedit auctoritas administrativa eorum, qui ad munus aliquod obeundum *eligebantur* (gewählte Gemeindebeamte; 33). Deficientibus scilicet senioribus vel primitiis aptis, ex christianis aliqui instituebantur vel ab apostolo vel a Spiritu per prophetas aut per communitatem voluntatem suam manifestante, qui mox etiam *„presbyteri"* vocabantur, sed a *senioribus* eo distinguebantur quod erant instituti et electi; occurrunt alia quoque nomina, ut *pastores* vel *praepositi* (προϊστάμενοι). Eorum auctoritas erat potissimum in exemplo, quod ecclesiae dabant (1 Petri 5). i. e. *non proprie iuridica* (Ihre Gewalt sollte ganz wesentlich auf ihrem Vorbild beruhen [1 Pt 5], war also nicht eigentlich rechtlicher Natur; 65); *functiones* vero, quas implere debuerunt, non erant doctrinales — nam hae charismaticis (pneumatophoris) reservatae erant —, sed *omnis alia diaconia* (worauf sich nur irgend Pflege, Zucht und Vorsteherschaft beziehen kann; 66), imprimis autem *diaconia sensu arctiore,* i. e. cura pauperum et ministerium in conventibus celebrandis; ex his deinde diaconiis derivata esse nomina *„episcopi"* et *„diaconi"*, ita quidem ut nomen prius conveniret illis, qui prae ceteris diaconis praecellebant ut duces (ἡγούμενοι), reliqui vero diaconi reducerentur ad statum ministrorum (ausführende aber nicht führende Beamte; 66), mox non iam ut presbyteri considerarentur et nominarentur (Der „Diakon" wurde wirklich nur ein Dienender, während er anfangs höher gestanden haben muß; 66). Postquam decursu temporum etiam munus *doctrinale* transiit ad episcopos, quia nempe charismata paulatim disparuerunt atque episcopi locum obtinuerunt „triadis" (apostolorum, prophetarum, doctorum), via strata erat ad episcopatum monarchicum.

Et in tota hac evolutione *ius* stricte dictum *desideratur;* introducitur demum circa finem saeculi I, quando nimirum ut primum iuris divini testimonium occurrit epistula *Clementis* ad Corinthios. Clemens enim ordinem, qui de facto exsistebat, re-

ducit ad typum V^is T^i et ad mandatum apostolicum, atque ita ei vindicat characterem muneris iuridici (Sie [die Ordnung] erhält dadurch den Charakter des Rechts, des geistlichen und sozusagen des profanen zugleich; 68).

567. Ex evolutione hucusque delineata explicatur porro *ortus episcopatus monarchici* et *primatus* universalis.

Et de *origine* quidem *episcopatus* monarchici testimonia diserta deesse dicuntur; hinc ad hypotheses confugiendum esse (70). Varia etenim ministeria socialia communitatis requirebant aliquem, qui iis nomine coetus universalis fungeretur; ita aliquis praesse debuit collegio presbyterorum, celebrandis conventibus eucharisticis, commercio epistulari, doctrinae integre conservandae (70 sq.). Sic explicantur catalogi episcopales antiquissimi, qui nequeunt esse pura fraus (eine freche Fälschung, die auch gar nicht hätte gelingen können, wenn nicht von frühen Zeiten an im Presbyterkollegium so mancher Gemeinden einer als primus inter pares hervorgetreten wäre; 72). Cum denique accesserit recordatio apostoli, qui olim ecclesiam fundaverat, recordatio ipsius Christi, qui unum erat caput unusque episcopus Ecclesiae universalis, haud difficulter intellegitur etiam ecclesiam localem monarchice constitui (die Erinnerung an das, was einst der Stifter, der Missionar (Apostel), ihnen gewesen war und was man ähnlich festzuhalten wünschen mußte ... sowie ... die erstrebte Analogie mit der Gesamtkirche, die an Christus ihr Haupt und ihren bischöflichen Monarchen besaß; 72 sq.). Haec omnia demum sanciebantur idea *successionis apostolicae* episcoporum. Haec nimirum idea successionis isti tempori fuit familiaris et communis; imprimis auctoritas considerabatur tamquam successione tradita vel tradenda: ita constitutio imperii romani, ita scholae philosophicae Graecorum, ita religio iudaica V^is T^i. Ita nunc quoque in Ecclesia christiana, primum in tradenda doctrina, postmodum in tradendis muneribus (Vorstellungen von Successionen waren in jener Epoche der Kultur etwas ganz Geläufiges, und zwar in der Form mystischer Vorstellungen und als Rechtsfiktionen. . . . Alles Autoritative stellte sich damals in Successionen dar, die die materielle Prüfung des von der Autorität Gewollten unnötig machten und verboten; 87). Haec iam idea, episcopis adhibita, evexit ipsos super ceteros presbyteros ad monarchiam intra ecclesias suas particulares (Die Vorstellung von der apostolischen Qualität der Bischöfe hatte die notwendige Folge, daß die alte und zum Teil richtige Überlieferung, die Apostel hätten die kirchlichen Beamten eingesetzt, sich nun so

spezialisierte, die Apostel [bezw. immer ein Apostel] hätten in den einzelnen Gemeinden die Bischöfe eingesetzt; 91). Sic ortos esse catalogos episcoporum singularum ecclesiarum.

Tempore posteriore singulas ecclesias alicuius *provinciae* sese coadunasse in coetus maiores *(metropolitanos)*, ex quorum deinde coniunctione ortus sit *primatus* ecclesiae romanae eiusque episcopi (110 sqq.).

568. Hanc evolutionem in *fontibus* se invenisse *Harnack* sibi videtur, quamquam concedit textus non diserte et clare eam enuntiare (Vor allem aber läßt sich an den wichtigsten Stellen nicht ausmachen, ob es sich lediglich um regelmäßige freie Leistungen oder schon um Amtsfunktionen handelt [so z. B. 1 Thess. 5, 12 f.]; 45). Et haec quidem valent de fontibus *primaevae aetatis,* usque ad annum 70; ex *decemiis subsequentibus,* usque fere ad annum 140, censet haec in fontibus contineri: *1 Petri* et *Iacobi* nominare presbyteros eos, qui fuerint officiales (Amtsträger); *Hebr.* 13, 17 pastores responsabiles (verantwortungsvolle Hirten; 47); In *Apoc.* „angeli" quidem non sunt episcopi, sed *Ioannes* est „superintendens" ecclesiarum (48); *epistulae Ioannis* similem condicionem auctoris describunt; *EvJo.* 21, 15 sqq. comparandum est cum Matth. 16, 18; epistulae porro *pastorales* exhibent Timotheum et Titum tamquam vicarios ipsius apostoli; episcopi aequiparantur presbyteris, nisi (quod ipsi *Harnack* probabilius videtur) hi loci fuerint interpolati; tunc designant episcopos monarchicos (49—51). In epistula *Clementis* non esse sermonem de episcopo monarchico sed de collegio presbyterorum, neque de successione eorum apostolica, sed tantummodo de eorum institutione per apostolos facta (51—54); episcopus monarchicus, speciatim pro ecclesia romana, excludi dicitur in *Pastore Hermae,* qui designet collegium presbyterorum, quod praesit uni ecclesiae, quae fuerit Romae (54—57); *Didache* est documentum transitus ordinis pneumatici ad munus stricte dictum (57—59); epistula denique *Polycarpi* peremptorie, argumento ex silentio nempe, negari episcopum monarchicum Philippis fuisse; solos enim presbyteros nominari eosque numero plurali. Quid vero de ipsius Polycarpi episcopatu smyrnaeo?

Haec quaestio sane non est tam facile solvenda, quoniam testis huius episcopatus est *Ignatius* (Das geschichtliche Problem, das sich daraus [ex episcopatu descripto in litteris Ignatii] ergibt, ist groß und schwer zu lösen; 60). Solutio vero, quam *Harnack* proponit, est haec: De facto quidem episcopus monarchicus praeest ecclesiae particulari; sed *theoria,* quam Ignatius adnectit, ostendit huic episcopatui *qualitates iuridicas* non competere; nam Ignatius considerat ecclesiam particularem tamquam manifestationem Ecclesiae universalis (die Einzelgemeinde Projektion der Gesamtgemeinde; 61). Hinc episcopus dicitur vices gerere Dei. Sed inde nil sequi (Diese Behauptung besagt rechtlich gar nichts; sie würde etwas — und zwar viel — besagen, wenn es vom Bischof hieße, er stünde an Stelle der Apostel und setze ihr Amt fort. Allein das sagt Ignatius nicht. Was er sagt, ist zwar nicht einfach Rhetorik — denn es liegt

ihm die alte Konzeption des Ineinander von Gesamt- und Lokalgemeinde zugrunde —, ist aber eine Betrachtung, aus der sich rechtliche Kompetenzen nicht ergeben; 61 sq.). Accedit dein altera instantia, scilicet dubium aliquod, num in ecclesiis Asiae eadem organisationis forma viguerit, quam Ignatius novit ex ecclesia sua antiochena (Was er zu seiner Freude auch dort durchgeführt sah, war, daß einer, der den Namen „Bischof" führte [ob nur er?], den Gottesdienst leitete, Daran hat er mit seinen Ermahnungen und Spekulationen angeknüpft; 62).

Et haec quidem de theoria et de methodo, quam adhibet *Harnack*, sufficiant; interpretatio, quam applicat ad epistulas ignatianas, talis est, quae ostendit totam theoriam, cui inservire debet, longe aberrare a tramite veritatis[29].

569. Eidem auctori, A. v. Harnack, dedicavit *Hans v. Soden* duo opuscula[30], in quibus se originem Ecclesiae catholicae describere asserit secundum persuasionem inter theologos protestantes criticos nunc communiter vigentem (II 5). Et re quidem vera plurima, quae affert, in theoria, quam modo delineavimus (a *v. Harnack* statuta), iam continentur, videlicet et principia naturalistica, e quibus constructio tota procedit, et multae etiam explicationes et hypotheses, quibus singulae institutiones earumque origo et evolutio exponuntur. Sufficit igitur ut ea indicemus, quibus a v. Harnack differre videtur; quae sunt fere haec. Et primum quidem *v. Soden* magis insistere videtur in indole *apocalyptica* (eschatologica) tum ipsius Christi (I 46 sq.), tum Ecclesiae (I 121) et totius religionis christianae primitivae, cuius prima *documenta* fuerint *apocalypses* (I 66 sqq.). *Munera* deinde *ecclesiastica* distinguit *charismatica* (triadem doctrinalem, sicut v. Harnack; I 123 sqq.), ut talia personalia (a Spiritu determinatis personis data) et universalia (destinata Ecclesiae universali), quae constituunt Ecclesiam ut *aristocratiam pneumaticam* (Die scheinbare Demokratie der urchristlichen Kirche wird dadurch zu einer pneumatischen Aristokratie, aus der sich beim Schwinden des Geistes die Hierarchie des Katholizismus entwickeln konnte; I 123); hac quidem suppositione *v. Soden* propius accedit ad *Sohm* eiusque systema charismaticum et aristocraticum, cui *v. Harnack* opponit „democratiam pneumaticam" (cf. n. 564). His muneribus charismaticis adduntur *clerica*, potius impersonalia, quae ab alio in alium transferri possunt, et localia, quae paulatim superant charismatica (I 125 sqq.). *Organa* horum munerum clericorum sunt *presbyteri, episcopi, diaconi*, qui vel ab charismaticis instituebantur vel a communitate eligebantur. Et haec fere erat condicio periodi primae, usque ad annos circiter 120/130.

570. *Secunda periodus*, usque ad tertium fere decennium saeculi III (220/230), vocatur a v. Soden *aetas hellenistica*, in qua nimirum religio christiana sibi adaptaverit elementa plurima ex cultura graeco-romana (II 12 sqq.). Evolutio organisationis ecclesiasticae eo designari, quod singulae ecclesiae regantur ab *episcopis monarchicis*, praeditis quidem iurisdictione, non autem ordine sacro, quo constituitur sacerdos, qui solus

valide conferre possit sacramenta (II 73). Hoc tempore *episcopus romanus* conatur quidem iura primatialia exercere, sed non agnoscitur ut primas (II 75).

Tertia denique *periodo,* usque ad tempus constantinianum (320/330), Ecclesia primitiva facta est *„catholica“,* i. e. uniformis simul et universalis (altkatholisch; II 12 sq. 79 sqq.). Organisatio ecclesiastica ad finem perducitur; ad munera iam pridem exsistentia (episcopatus, presbyteratus, diaconatus) accedunt alia, subordinata. Sed primatum romani episcopi ne hoc quidem saeculo III agnitum esse (Mit dem Primatsanspruch ist der römische Bischof auch im 3. Jahrhundert noch nicht durchgedrungen; II 108).

Ex evolutione ita adumbrata deducit *v. Soden* non esse redeundum ad religionem et aetatem christianam primaevam, in qua scilicet iam latebant germina catholicismi, sed ad ipsum Iesum eiusque religionem seu experientiam religiosam (Wir sind des Gottes gewiß, der der Vater Iesu Christi ist, und zwar nicht nur, weil Iesus ihn so darstellte, sondern entscheidend, weil er sich an Iesus so bewährte; II 122). —

571. NOTAE. — **1** De singulis haeresibus cf. e. g. *Hergenröther-Kirsch,* Handbuch der allg. Kirchengesch. (Freiburg 1911—1917), II[5] (1913) 543 sqq. *(cathari* et *albigenses)*; 553 sqq. *(waldenses)*; III[5] (1915) 127 *(impugnatio primatus)*, 173 sqq. *(Wiclif)*, 181 *(Hus)*, 364 sqq. *(Protestantismus).* Ex protestantibus e. g. *R. Seeberg**, Lehrbuch der Dogmengesch. IV, 1 ([2/3] Leipzig 1917). De sententiis nunc inter theologos Orientis separati vigentibus cf. *Th. Spáčil,* Conceptus et doctrina de Ecclesia iuxta theologiam Orientis separati (Orientalia christiana II. 2, Romae 1924). Cf. *Jon Michalcescu**, Die Bekenntnisse und die wichtigsten Glaubenszeugnisse der griechisch-oriental. Kirche, Leipzig 1904. — **2** *F. Gillmann,* Zur scholastischen Auslegung von Matth. 16, 18 (Archiv für kathol. Kirchenrecht CIV [1924] 41—53), ostendit interpretationem illam, quae sub petra intellegit non Petrum sed Christum loquentem de se ipso, tempore quo Luther vixit haud paucos fautores habuisse, unde apparet: „daß Luther keineswegs stets durchaus neue Aufstellungen machte, sondern vielmehr vielfach längst vertretene und weit verbreitete Anschauungen wiederholte“ (p. 53). — **3** De Luther cf. praeter *Hergenröther-Kirsch* l. c. III[5] 367 sqq. (ubi bibliographia), imprimis *H. Grisar,* Luther (Freiburg 1911—1912), qui exponit ideas Luther de Ecclesia earumque origine locis deinceps allegandis. — Ex auctoribus protestantibus de idea ecclesiastica Luther scripserunt e. g. *K. Müller**, Kirche, Gemeinde und Obrigkeit nach Luther, Tübingen 1910; *R. Seeberg** l. c. IV, 1, 1 sqq.: Die Entstehung des protestantischen Lehrbegriffs. Die Anfänge Luthers. — De *ansa* doctrinae Luther: *Grisar* l. c. I 92. — **4** De commentario in epistulam ad Romanos cf. *Grisar* l. c. I 146 sqq. — **5** Textus citatus e *Grisar* l. c. I 182 nota 2. — **6** Ibid. II 700. — **7** Ibid., ubi etiam verba contra *Henricum* Angliae regem adducuntur, quibus *Luther* praedicat evangelium tamquam „unius maiestatis aeternae verbum . . .; Dei verbum est super omnia“. — **8** Apud *Grisar* l. c. II 719, nota 2. — **9** „Wittenberg war der Herd der Revolutionsbewegung in Deutschland. . . . Revolution ist der wirklich bezeichnende Ausdruck.“ Ita *Paulsen** (*Grisar* l. c. II 11). *A. Harnack** vero ait: „Der Protestantismus ist nicht nur Reformation, sondern auch Revolution gewesen. Rechtlich betrachtet durfte das ganze Kirchenwesen, gegen das sich Luther auflehnte, vollen Gehorsam beanspruchen. . . . Als Luther die päpstliche Bannbulle ver-

brannte, vollzog er unzweifelhaft einen revolutionären Akt — revolutionär nicht in dem schlimmen Sinn, in welchem es sich um die Auflehnung gegen die Rechtsordnung handelt, die zugleich sittliche Ordnung ist . . .“ (Das Wesen des Christentums. Akad. Ausgabe [Leipzig 1902] 173). — **10** *Grisar* l. c. II 19. — **11** Ibid. 16 sqq. — **12** Ibid. III 769 nota 4. Hoc loco (767 sqq.) *Grisar* agit de idea Ecclesiae, quam sibi efformavit Luther (Luthers unsichtbare Kirche, ihre Entstehung und erste Geschichte). — **13** *R. Seeberg** l. c. IV a 289; cf. 293. — **14** Varias sententias recenset *Grisar* l. c. II 11 sqq. *(Paulsen*, Troeltsch*)*, III 770 sqq. *(Stahl*, Rothe*, de Lagarde*, Köstlin*).* — *R. Seeberg** l. c. IV, 1, 299: „Es ist bei Luther ein ungelöstes Problem geblieben, wie die Kirche äußere Form und Ordnung annehmen könne, ohne um ihr Wesen zu kommen. . . . Luther hat das Problem einer Rechtsordnung der evangelischen Kirche nicht gelöst.“ — **15** *Müller-Kolde**, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche ([11] Gütersloh 1912) 40 42 63 sq. 67. — Interpretationem art. VII et VIII cf. *F. Meyer** in periodico protestanticoconservativo Allg. Evangel.-Lutherische Kirchenzeitung LIII (1920) 402 sqq. 420 sqq. 442 sqq.: Ecclesiam *empiricam* (quae ut historica de facto exsistit) tendit sese assimilare Ecclesiae *ideali* (congregationi sanctorum; „Eine empirische Kirche, die mit lauterem Willen reines Wort und Sakrament auf ihre Fahne schreibt und öffentlich ihrem Bekenntnis entsprechend zur Geltung bringt — das ist die Forderung von Artikel VII und VIII“ [p. 444]. - Similem doctrinam iampridem proposuit *K. v. Hase**, Handbuch der protestant. Polemik gegen die Römisch-Kathol. Kirche ([8] Leipzig 1907): „Ecclesiam scilicet protestanticam paulatim accedere ad Ecclesiam idealem“ (p. 1 sqq.). — **16** *Müller-Kolde** l. c. 152 sqq. 206 sqq. — **17** Ibid. 456 sqq. — **18** Ibid. 306 sqq. — **19** Art. „Kirche“ in Realencyklop. für protest. Theol. und Kirche X [3] (Leipzig 1901) 315 sqq. — **20** Amt, Gemeinde und allgemeines Priestertum in ihrem Verhältnis dargestellt auf neutestamentlicher Grundlage (Neue Kirchl. Zeitschrift XXXI [1920] 601 sqq.). — **21** Cf. n. 387; praeterea *St. v. Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats (Erg.-Heft zu den Stimmen aus Maria-Laach LXXVII, Freiburg 1900) 153 sqq.; *idem* in Zeitschr. für kathol. Theol. XXVII (1903) 62 sqq. 181 sqq.; *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche 18 sqq. — Ideam fundamentalem sui systematis, scilicet suppositum plane non probatum ius non posse esse divinum, videtur *R. Sohm** mutuatus esse a *Luther*; cf. n. 551. — **22** Plurimas sententias, quae decurrente saeculo XIX de Ecclesia propositae sunt, collegit, methodice composuit, critice recensuit *St. v. Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen; *idem* in Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 62 sqq. 181 sqq. — **23** *Auguste Sabatier**, Les religions d'autorité et la religion de l'esprit ([4] Paris) 1 sq. — **24** *Idem,* Esquisse d'une philosophie de la religion ([8] Paris) 216 sqq.; cf. *Y. de la Brière* s. v. „Église“ in Dict. apolog. I 1221 sqq. — **25** Das Wesen des Christentums 91. — **26** Entstehung und Entwicklung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechtes in den ersten zwei Jahrhunderten, Leipzig 1910. Ad hoc opus numeri remittunt, nisi aliud quid indicatur. *Abbrev.:* Kirchenverfassung. — **27** Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten, [4] Leipzig 1924. *Abbrev.:* Mission. - - **28** Haec testimoniorum enumeratio non probat munus doctrinale fuisse *charismaticum* (sensu strictiore) et hinc auctoritate destitutum; cf. quae dicta sunt de apostolatu eiusque indole iuridica *Ass. 9,* n. 269 sqq. et *Ass. 10,* n. 288 sqq.; neque dici potest esse completa, quoniam debuit omnes textus considerare, qui de docendo vel praedicando evangelio agunt, sive in epistulis sive in evangeliis; etiamsi *Harnack** forte plura dicta non agnoscat ut effata Christi, saltem sunt testimonia aetatis

primitivae Ecclesiae; ita e. g. *Matth. 23, 34*: „Ideo ecce ego mitto (ἀποστέλλω) ad vos prophetas et sapientes et scribas . . .", vel etiam *Matth. 13, 52* et alia similia. — **29** De theoria *Harnack** cf. *St. v. Dunin-Borkowski,* Die neueren Forschungen 98 sqq.; *idem* in Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 78 sqq. 193 sqq.; *Batiffol-Seppelt,* Urkirche u. Katholizismus XVIII sqq.; *Y. de la Brière* in Dict. apolog. I 1222 sqq.; *E. Metzner,* Die Verfassung der Kirche in den zwei ersten Jahrhunderten, unter besonderer Berücksichtigung der Schriften Harnacks, Danzig 1920; *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche 17 sqq. – **30** *Hans Freiherr v. Soden*,* Gesch. der christl. Kirche. I: Die Entstehung der christlichen Kirche. Voraussetzungen und Anfänge der kirchlichen Entwicklung des Christentums. II: Vom Urchristentum zum Katholizismus. Die frühkatholische Entwicklung der christlichen Kirche bis zum Konstantinischen Kirchenfrieden (Aus Natur und Geisteswelt [Leipzig 1919], 690/1); cf. Stimmen der Zeit CI (1921) 68 sqq.

CAPUT IV.

DE ECCLESIA CHRISTI NUNC EXSISTENTE.

572. 1. Inquisitio historica in Iesu Christi Ecclesiam in assertionibus praecedentibus usque ad illud tempus perducta est, quo consentientibus omnibus Ecclesia catholica, romano-catholica nempe, plene constituta et efformata erat, videlicet usque ad medium fere saeculum III. Postea autem haec Ecclesia mutationes, quae ad doctrinam vel ad eius formas constitutivas essentiales pertineant, non subiit; immo successio formalis in episcopatu romanae ecclesiae atque simul in primatu Ecclesiae universalis vinculo quodam continuo omnes Ecclesiae aetates inter se et cum aetate primitiva coniungit ideoque, modo Ecclesia primitiva fuerit Ecclesia Christi, cum vera Ecclesia Christi.

Et re quidem vera, si agatur de quaestione, *quaenam sit vera Christi Ecclesia* ex multis coetibus, qui hoc nomen sibi vindicare student, dubium esse nequaquam potest huius quaestionis solutionem inveniri in iis, quae de verae Ecclesiae institutione et indole ex fontibus primaevis deduximus; ex horum enim fontium vel fide negata vel diversa interpretatione *diversae* etiam *sententiae* de Ecclesia ortae *diversique* coetus christiani *(ecclesiae christianae)* nati sunt. Ii scilicet qui, *naturalistae* cum sint, negent omnem ordinem supernaturalem atque consequenter non solum Iesu Christi divinitatem et messianitatem et omnem legationem divinam proprie dictam, sed etiam ipsam institutionem Ecclesiae per Christum factam eiusque naturam supernaturalem, logice eo ducuntur ut reiciant omnem organisationem externam eorum, qui Christum sequuntur; hi proinde in hoc capite iam non considerantur ut adversarii, cum quibus litigandum sit.

Alii autem sunt, qui agnoscunt quidem Christum ut ducem suum ad Deum, evangelium ut eius verbum atque ut revelationem Dei, Ecclesiam Christi ut opus divinum, quod congregans Christi fideles eisdem communicet gratias redemptivas Christi Salvatoris; *at* in ipsa hac Ecclesia describenda a nobis discedunt et hinc proprios coetus formarunt, separatos ab Ecclesia romano-catholica. — Quid de his? quid igitur de variis ecclesiis protestantium? quid de ecclesiis schismaticis orientalium?

573. Quaestio ista non est nova, sed iam pridem agitata, ab illis scilicet temporibus, quibus prima schismata vel haereses Ecclesiae membra a corpore Ecclesiae dissecuerunt. Ecclesia enim Christi, memor semper suae missionis universalis, amore quodam peculiari prosequitur filios suos, qui, obcaecati domum paternam Ecclesiae relinquentes, hereditatem suam christianam dissiparunt. Munere ergo fungens boni pastoris quaerit oves errantes, ut eas ad unum ovile reducat. Quare conatur eis ostendere, quaenam sit *unica vera Ecclesia Christi,* quonam modo *ut talis cognosci* queat. Atque ex hoc studio ortus est tractatus *De notis Ecclesiae,* seu de signis, quibus vera Ecclesia Christi dignosci possit ab omni alio coetu, qui se quidem christianum vocat, at non est illa societas religiosa, quam ipse Christus instituit, cui opus suum salvificum continuandum, doctrinam suam revelatam conservandam et spargendam reliquit.

De hisce igitur notis verae Ecclesiae agemus; ne autem consideratio nostra nimis coartetur, modo quodam universaliore brevi saltem conspectu *vias* ostendere nobis in animo est, *quibus quis ad cognoscendam veram Ecclesiam Christi* eamque *agnoscendam* ut *unice veram religionem* pervenire possit; deinde vero ex viis indicandis duas paulo fusius signabimus, videlicet (1) *viam notarum* et (2) viam ad Ecclesiam, quae per se ipsa est *signum levatum in nationes* et ut tale omnes ad se invitat homines.

574. 2. *De viis,* quibus ad cognoscendam veram Ecclesiam perveniri potest. — Distingui possunt *via historica* simpliciter talis, via deinde *historico-illativa,* via demum *empirica* (seu theologica), quae procedit ex realitate et exsistentia et indole Ecclesiae romano-catholicae nunc exsistentis.

a) *Via historica.* — Et via quidem historica eandem methodum sequitur, quam secutae sunt quaestiones hucusque tractatae. Ostendit nempe Ecclesiam Christi, quae fuit sub Petri et ceterorum apostolorum directione, postmodum vero sub gubernatione episcopi romani tamquam successoris Petri et primatis, et episcoporum tamquam successorum apostolorum, successione continua eandem

permansisse: *primatialem* et *romanam* scilicet, successione episcopatus romani, cum quo coniunctus erat primatus universalis, et *episcopalem* (apostolicam) serie episcoporum, qui a Romano Pontifice instituti vel confirmati sub ipso partes Ecclesiae sibi commissas regebant.

Huius autem viae, sat longae et difficilis, *compendium* aliquod brevissimum habetur in sola *sedis romanae successione* continua, immo in eiusdem sedis romanae atque primatialis sola *exsistentia.* Illa etenim sola potest esse vera Christi Ecclesia, quae monarchice a successore Petri regitur; nam Christus hanc formam monarchicam ipse suae Ecclesiae dedit, et quidem ut eiusdem fundamentum inconcussum et necessarium. Ergo: ubi primatus, ibi Ecclesia Christi (cf. n. 512; 536). Haec sane *nota primatialis* — si ita loqui fas est — est clarissima, facillima, perspicacissima omnibus illis, qui Christi evangelium ut fontem genuinum, verba Christi ut revelationem divinam agnoscunt, et haec verba rite interpretantur. — Sed haec nota iam proxime accedit ad secundam viam, quam nominavimus, scilicet ad viam notarum; immo iam continetur in ipsa nota apostolicitatis.

b) *Via notarum verae Ecclesiae.* — Via haec vocari poterit *historico-illativa;* procedit enim *ex factis historicis,* e quibus *notas* infert, quae verae Ecclesiae eique soli convenire debent, ita ut ex his notis certo inveniri possit. Et fontes quidem historici describunt Ecclesiam, qualem Christus ipse fundavit; ex cuius descriptionis analysi quaedam *proprietates* Ecclesiae eruuntur, quae, si ut *signa* adhiberi possunt, notae vocantur atque ut tales viam aperiunt ad dignoscendam Ecclesiam veram.

c) *Tertia via* eatenus differt a praecedentibus, quod abstrahit a perscrutatione fontium historicorum religionis christianae et institutionis Ecclesiae per Christum factae. Considerat enim *Ecclesiam romano-catholicam,* quae hodie exsistit *inter alios plurimos coetus christianos,* e quibus tamen eminet atque a quibus essentialiter differt, sive eius *exsistentia* examinatur per tot saecula atque tanta discrimina conservata, sive eius *vita,* fructifera semper modo extraordinario atque miraculoso. Ipsa etenim Ecclesia est *miraculum continuum, opus divinum, religio* protectione Dei insignita et signis manifestis ut talis *probata.* Iamvero haec Ecclesia se dicit a Iesu Christo fundatam, organisatam, donis supernaturalibus et vere divinis exornatam esse. Ergo haec assertio, utpote a Deo ipso confirmata, vera sit oportet.

Et hae quidem sunt viae; iam ad singulas paulo amplius describendas accedamus. Et primum quidem agemus de notis Ecclesiae.

Quaestio 1. De via notarum, quibus vera Ecclesia Christi cognoscitur.

Inquisitio nostra, ut satisfacere possit fini intento, duo praestanda sibi proponere debet, scilicet ut (1) indaget, num Ecclesiae Christi aliquae notae conveniant, et quaenam hae sint; (2) deinde vero ostendere debet has notas convenire Ecclesiae romano-catholicae, eique soli, ut nimirum appareat ceteros coetus christianos nullatenus dici posse Christi ecclesias, quas scilicet ipse voluerit et instituerit.

ASSERTIO 22. Notae verae Ecclesiae Christi verificantur in sola Ecclesia romano-catholica.

575. 1. Ex iis quae hucusque disputata sunt de Ecclesia Christi protinus intellegitur, quaenam sit *vera Ecclesia Christi*, illa nimirum, quam ipse Iesus Christus ut Legatus et Filius Dei voluit instituere, quam deinde ipse instituit, cui ipse formam dedit monarchico-hierarchicam, quam universalem et perennem esse voluit, cui denique suam assistentiam promisit duraturam usque ad consummationem saeculi.

Romano-catholica de facto illa Ecclesia nominatur, quae hanc originem christianam atque hanc indolem hierarchicam sibi vindicat; quae exinde sese considerat ut unicam et hinc universalem Ecclesiam — unde vocatur *catholica* —; quae ut fundamentum suum considerat primatum Petro eiusque successoribus datum, qui sunt episcopi romani — unde vocatur *romano-catholica*. Nomen igitur ipsum iam exprimit sententiam, quam haec Ecclesia Christi de se habet.

576. 2. *Nota* definiri potest proprietas essentialis exclusiva manifestativa. Ut scilicet aliquid possit esse nota alicuius rei seu inducere in notitiam illius rei, debet certe aliquomodo cohaerere cum ista re, et quidem ut *proprium,* quod illi rei ut tali convenit et hinc semper cum ea coniungitur et in ea invenitur; hinc nota dicitur proprietas. Quae debet esse *essentialis,* i. e. tali modo cum ipsa re coniuncta, ut salva substantia abesse nequeat; ubicumque res invenitur, etiam haec proprietas habetur. Ut porro etiam inversio huius sententiae valeat, nempe: ubicumque proprietas invenitur, etiam ipsa res habetur, additur *exclusiva;* ita enim cavetur, ne eadem proprietas alii cuidam rei convenire possit. Quodsi aliqua proprietas uni soli rei conveniat, ex huius proprietatis exsistentia ilico infertur exsistentia ipsius rei. Ultima denique accedit determinatio: scilicet *manifestativa*. Nota enim est

in genere *signi,* quod ut tale cognitum inducit in cognitionem alterius rei. Inde requiritur insuper, ut proprietas, quam notam quis statuit, sit *prius cognita* quam ipsa res per notam cognoscenda, seu, generaliter loquendo, ut sit *facilius cognitu,* ut sit proprietas obvia facileque perspicienda, ope cuius quis (omnis homo) pervenire possit in cognitionem securam rei quaesitae. Si ipsa haec res quaesita fuerit *visibilis* et externa, sicut est Ecclesia utpote organisatio humana, patet notam debere esse proprietatem externam et externe manifestativam.

Nota sic intellecta vocatur *positiva,* quia nimirum ex eius exsistentia infertur rei quaesitae exsistentia et praesentia. A qua distinguere solent notam *negativam* improprie dictam, ex cuius nempe negatione seu absentia inferunt rem quaesitam non adesse, ut, si Ecclesia Christi fuerit monarchice constituta, certo omnes illi coetus, qui carent primatu, dici debent non esse vera Christi Ecclesia.

Notae porro distingui possunt *per se sufficientes (absolutae)*, quae scilicet per se solae sumptae sufficiunt atque ita plene verificant conceptum notae explicatum, et *per se non plene sufficientes (relativae)*, quae scilicet vim suam exercent potius in coniunctione cum aliis proprietatibus, cum quibus nexu necessario coniunctae sunt; velut unitas et catholicitas Ecclesiae, quas, ut constituant notas Ecclesiae, coniunctim adesse necesse est.

3. *Procedimus* in hac inquisitione ita ut ostendamus (I) Ecclesiae Christi verae quasdam notas convenire essentialiter et exclusive, quae reduci possunt ad quattuor, scilicet unitatem, catholicitatem, sanctitatem, apostolicitatem; (II) has notas inveniri in sola Ecclesia romano-catholica, quae proinde est unica vera Ecclesia Christi; (III) adnectitur brevis disquisitio de valore notarum [1].

I. Exsistunt notae verae Ecclesiae Christi, quae reduci possunt ad unitatem, catholicitatem, sanctitatem, apostolicitatem.

1. Variae sententiae.

577. a) Notas legitimas eos statuere non posse, qui non habent rectum conceptum Ecclesiae, probatione non indiget. Ita asseclae *ecclesiarum protestantium* vel *schismaticarum* generatim *alias notas* proponunt ac theologi catholici; et *illi* quidem definiunt Ecclesiam tamquam coetum invisibilem Christifidelium, sola fide cognoscendam, quae tamen verbo Dei et usu sacramentorum efformetur. Haec igitur *praedicatio verbi Dei puri* et *administratio sacramentorum recta* a protestantibus proponuntur tamquam notae verae Ecclesiae Christi (cf. n. 552), et quidem non a solis *luthe-*

ranis sed etiam ab asseclis *Calvini, Zwingli* atque ab *anglicanis*[2]. *Schismatici* autem orientales vel easdem ac catholici enumerant notas, quattuor scilicet illas modo exhibitas, vel sensu quodam latiore de notis loquentes asserunt caritatem universalem membrorum inter se et traditionem immobiliter conservatam et coniunctam cum regressu ad Ecclesiam antiquam esse notas Ecclesiae verae[3].

578. b) *Doctrina catholica* de notis Ecclesiae verae exculta est imprimis inde a saeculo XVI, quando nimirum novatores novum conceptum de Ecclesia spargebant et proprios coetus christianos condebant.

Possunt quidem quattuor illae notae Ecclesiae inveniri, saltem ut Ecclesiae proprietates, in scriptis Patrum et scriptorum ecclesiasticorum iam antiquorum: principium *unitatis* coniunctae cum *universalitate* (catholicitate) erat fundamentale inde a verbo Christi et epistulis apostolorum, imprimis Pauli (cf. n. 205 sqq. 378 sqq. 395 sqq. 535). Idem dicendum est de *apostolicitate* (n. 434 sqq. 458 sqq.) et de *sanctitate* (cf. infra n. 624 sqq. 925 sqq)[4]. Hinc symbolum *nicaeno-constantinopolitanum* (anni 381) has Ecclesiae proprietates effert: (Credimus) „et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam" (*D* 86); hoc quidem loco non est sermo de notis, sed de *proprietatibus,* quae Ecclesiae verae conveniunt, quae utique de facto simul rationem notae habent. *S. Thomas* — ut ex theologis magnis medii aevi hunc unum doctorem angelicum et communem in Ecclesia allegemus — quattuor Ecclesiae „condiciones" exhibet: „Quia est una, quia est sancta, quia est catholica, i. e. universalis, et quia est fortis et firma", fundata nimirum in Christo et per Christum in apostolis[5].

579. Tempore reformationis deinde plures vel pauciores notae statuebantur; sunt qui centum notas verae Ecclesiae accumularint[6]; alii contenti erant paucioribus, ut *B. Bellarminus,* qui quindecim notas describit.

Postquam reiecit notas septem a *Luther* statutas (c. 2), breviter perstringit *auctores catholicos,* qui de notis Ecclesiae egerint, ut tempore Patrum *Augustinum* et *Hieronymum,* ex coaetaneis suis *Driedonem, Petrum a Soto, Hosium, Sanderum, Michaelem Medina,* qui alii alias notas statuant. „Nos (pergit Beatus) *quindecim notas* proponemus, quae, si quis velit, poterunt aliquo modo revocari ad illas *quattuor,* quae communiter a recentioribus assignantur ex *Symbolo Constantinopolitano:* Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam" (c. 3). Deinde explicat capitibus sequentibus notas a se statutas; hae vero sunt: (1) „ipsum Catholicae Ecclesiae et Christianorum nomen"; (2) antiquitas; (3) duratio diuturna nec umquam

interrupta; (4) amplitudo sive multitudo et varietas credentium; (5) successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deducta usque ad nos; (6) conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua; (7) unio membrorum inter se et cum capite; (8) sanctitas doctrinae; (9) efficacia doctrinae, quae scilicet convertat animas; (10) sanctitas vitae auctorum sive primorum Patrum nostrae religionis; (11) gloria miraculorum, quae sunt necessaria ad novam fidem et sunt efficacia et sufficientia; (12) lumen propheticum; (13) confessio adversariorum pro Ecclesia; (14) infelix exitus seu finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant; (15) felicitas temporalis, divinitus iis collata, qui Ecclesiam defenderunt.

580. Nunc quidem doctrina de quattuor notis Ecclesiae Christi, quae sunt unitas, catholicitas, sanctitas, apostolicitas, est *communis inter theologos catholicos.* Quam doctrinam auctoritate Romani Pontificis confirmatam legimus in Encyclica, quam scripsit *Pius IX* ad episcopos Angliae (16 Sept. 1864) contra latitudinarismum quendam, qui voluit „tres videlicet christianas communiones romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare" (*D* 1685). „Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in Symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscitur: et quaelicet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret, ut ab iis nequeat seiungi; hinc fit ut, quae vere est et dicitur *catholica, unitatis* simul, *sanctitatis* et *apostolicae successionis* praerogativa debeat effulgere. Ecclesia igitur catholica *una* est unitate conspicua perfectaque orbis terrae et omnium gentium; ea profecto unitate, cuius principium, radix et origo indefectibilis est beati *Petri, apostolorum principis,* eiusque in cathedra romana successorum suprema auctoritas et potior principalitas. Nec alia est Ecclesia catholica nisi ea, quae super unum Petrum aedificata in unum conexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit" (*D* 1686). — Haec autem decisio nobis, qui in theologia fundamentali versamur, non est interim auctoritativa, sed *manifestativa,* quaenam nempe sit doctrina nunc in Ecclesia catholica vigens.

2. Recte statuuntur quattuor notae: unitatis, catholicitatis, sanctitatis, apostolicitatis.

581. Per se quidem quaestio, num *quattuor* notae sint neque vero plures vel pauciores, ad solvendum dubium de viis, quae ad veram Christi Ecclesiam ducunt, non est essentialis; per se enim *una* nota, essentialis si fuerit et exclusiva, plane sufficeret ad demonstrandam Ecclesiam Christi. Sed de facto, inspectis proprietatibus Ecclesiae atque earum indole significativa examinata, quattuor notae enumeratae sponte profluunt ex ipsa natura

Ecclesiae atque nexu interno et insolubili inter se coniunctae sunt, hac nimirum ratione: Ecclesia, considerata secundum suam essentiam *ut societas,* est necessario *una;* est enim unio moralis plurium, qui in hac societate invenire debent salutem animarum suarum; unde habetur Ecclesiae proprietas essentialis: *unitas*. Si deinde *causae* inspiciuntur, quae influunt in hanc societatem formandam, aliae proprietates apparent necessariae et Ecclesiae essentiales; scilicet ex causa *finali:* ex sanctificatione et instructione hominum, Ecclesia debet gaudere *sanctitate* et *auctoritate doctrinali* (infallibilitate). Causa deinde *efficiens* est Christus per apostolos suos; hinc Ecclesia est *christiana* et *apostolica.* Causa vero *materialis* sunt omnes homines omnium temporum, quibus Ecclesia est medium salutis necessarium; inde proveniunt Ecclesiae *universalitas* seu *catholicitas* (extensio localis), eius porro *perennitas* (extensio temporalis), eius *unicitas* et *necessitas.* Si porro consideratur causa *formalis* (seu quasi-formalis), vinculum scilicet, quod membra Ecclesiae inter se unit et ad finem communem obtinendum adigit, seu *auctoritas,* Ecclesia est *hierarchica* et quidem *monarchica;* unde habentur indoles *episcopalis* et *primatialis* Ecclesiae verae, simulque eius interna *unitas* sub una eademque auctoritate. Ultimo denique causa finalis (opus Christi redemptivum continuandum et hominibus communicandum) coniuncta cum causa efficiente, i. e. cum Ecclesiae auctore et institutore, Iesu Christo, efficit, ut Ecclesia sit *societas perfecta*[8].

Et hae quidem sunt *proprietates* ex essentia Ecclesiae manantes; at non omnes induere possunt indolem signi et *notae,* quae eius veritatem extrinsecus manifestet. *Perennitas* enim non est nota, neque *infallibilitas,* neque ratio societatis *perfectae,* neque Ecclesiae *necessitas,* neque *unicitas;* hisce namque omnibus proprietatibus deest ratio signi. Hierarchia porro et primatus coincidunt cum apostolicitate seu apostolica successione. Unde *manent* notae hae quattuor: unitas, catholicitas, sanctitas, apostolicitas. Sed iam quaeritur, *quonam sensu* hae proprietates sint et esse possint notae.

582. a) *Unitas.* — Unitas respicit Ecclesiam ut societatem, scilicet coniunctionem omnium membrorum inter se et cum principio unitatis seu cum auctoritate, proxime igitur indolem Ecclesiae internam, remote deinde etiam eiusdem separationem et distinctionem ab aliis societatibus et coetibus religiosis atque etiam christianis. Et haec quidem unitas *de iure* adest in Ecclesia Christi ex ipsius Christi, Ecclesiae auctoris, diserta voluntate, qui scilicet suam Ecclesiam (cf. *Ass. 12,* n. 328 sqq.) fundavit

super Simonem tamquam Petrum (*Ass. 14,* n. 362 sqq.); unde factum est, ut Ecclesia primitiva sese ut unitatem consideraverit (*Ass. 16,* n. 396 sqq.). Sed haec unitas, quae est de iure, nequit esse nota; accedat oportet unitas *de facto* in Ecclesia vigens, atque in iis praecipue, quae huius societatis sunt partes principales atque ita etiam vincula, scilicet in *cultu,* in *doctrina,* in *regimine.* Unus ergo atque idem cultus eademque media sanctificationis in usu esse debent apud omnia Ecclesiae membra („unum baptisma", ait *Paulus;* Eph. 4, 5); una eademque doctrina praedicari debet in omnibus ecclesiis particularibus, cui correspondet eadem fides („una fides"); una eademque auctoritas regere debet omnes, qui ad societatem pertinent, auctoritas universalis et centralis, quae in concreto est primatus Petri, successoribus eius transmissus. Ex hac iam primatus commemoratione elucet intima notarum inter se conexio, ita ut unitas haberi nequeat nisi sit apostolica.

Unicitas Ecclesiae secundum conceptum non coincidit cum eiusdem unitate, quatenus unicitas dicit relationem ad alios coetus christianos, qui forte praetendunt ex aequo se esse ecclesias Christi. Unicitas igitur negat pluralitatem ecclesiarum atque statuit Christum *unam* voluisse societatem suorum asseclarum, immo omnium hominum, qui omnes invitantur et obligantur, ut sese eidem Ecclesiae adunent. Unicitas igitur exsurgit tamquam sequela ex Ecclesiae universalitate coniuncta cum eiusdem unitate.

583. b) *Catholicitas.* — Catholicitas seu universalitas Ecclesiae explicite probata est ex verbis Christi in assertionibus praecedentibus (*Ass. 8,* n. 205 sqq.; *Ass. 15,* n. 378 sqq.; *Ass. 16,* n. 394 sqq.). Ex quibus constat Christum voluisse omnes homines ingredi suam Ecclesiam; et haec universalitas vocatur *iuris.* Sed haec universalitas nequit esse nota, quia ei deest ratio signi. *Nota* autem catholicitatis est in eo ut Ecclesia *de facto* diffusa sit per totum orbem terrarum, et quidem, si universalitas fuerit perfecta, in omnibus regionibus saltem maiorem incolarum partem complectatur. Sed haec catholicitas numquam hucusque habebatur, neque, num futura sit umquam, scimus. Illud autem certum est semper futurum esse ut coexsistat triticum cum zizaniis (Matth. 13, 36 sqq.), ut habeantur persecutiones (cf. Matth. 5, 11 sq.; 10, 17 sqq.; 24, 9 13 etc.). Universalitas igitur intellegenda est *moralis,* non physica; progrediente praedicatione evangelica, quam ipse Christus ut medium instituit propagandae suae religionis, bonus nuntius perveniet ad omnes gentes atque ex omnibus gentibus sibi asseclas excitabit, ita ut Ecclesia sit vere (localiter et geographice) universalis, i. e. in omnibus terrae partibus habeat sua membra.

Et haec quidem catholicitas vocatur *absoluta*; *relativa* sumitur ex relatione ad alios coetus christianos, quos numero fidelium superat. Sed in hac comparatione universalitatem et catholicitatem intellegi necesse est *formalem*, i. e. simul cum unitate; nam diversi coetus christiani, qui forte non conveniunt nisi in impugnanda eadem Ecclesia catholica, non ob id solum dici possunt constituere veram unitatem unamque societatem religiosam. Vera autem catholicitas, quae scilicet simul cum unitate perfecta coniungit universalitatem veram (licet moralem), est nota Ecclesiae Christi verae.

584. c) *Sanctitas.* — Ecclesiam debere esse sanctam sequitur ex eius fine et indole. Est enim religio, Regnum Dei mere religiosum (*Ass. 6*, n. 153 sqq.), quod successit V^{i} T^{o} ut eius impletio (*Ass. 7*, n. 167 sqq.), quod Christus sanguine suo redemptivo instituit et apostolis suis administrandum his in terris tradidit (n. 276 331 sq. 400). Hoc autem opus *sanctificationis* respicit ipsam animam, eiusque effectus per se non sunt visibiles; hinc nequeunt constituere notam Ecclesiae. *Media* tamen et *membra*, quibus haec media sanctificantia applicantur et prosunt, ita ut sancte vivant atque sanctitatem etiam extraordinariam manifestent, signa sunt clarissima et efficacissima verae Ecclesiae Christi. Et *media* quidem sanctificationis sunt: et ipsi ritus sacri (sacrificium et sacramenta), quae potissimum effectibus suis vim suam patefaciunt; et doctrina, quam quisque examinare et in propriae vitae ratione ut salutarem experiri potest; et regimen, cuius acta et decreta unice spectant vitam hominum sanctam, legibus et consiliis Christi consonam. Haec igitur media sanctificationis certum signum verae Ecclesiae constituunt; non minus autem *fructus* horum mediorum, *membra* scilicet Ecclesiae, in quantum ut talia vivunt, sive vita ordinaria, quam instituunt more christiano, sive aspirant ad virtutes altiores vel perfectiorem gradum, sive iam pervenerunt ad heroicitatem, quam admiramur in iis, quos *sanctos* vocare solemus. In hisce insuper saepe *facta* quaedam *divina* videre est, quae, utpote vires humanas transcendentia, divinitus patrata esse in testimonium sanctitatis vere eximiae admitti debet.

Ex ipsa essentia et natura Ecclesiae patet hanc ei notam sanctitatis convenire modo eminenti. Christus enim *vocavit* homines ad suam sequelam, i. e. ad imitandum exemplum suum sanctissimum; simul autem promisit ea omnia, quae ad talem vitam agendam sunt necessaria. Christus porro *invitavit* homines, qui „capere possint“ (Matth. 19, 12), ad adhibenda media quaedam efficacia,

quae tamquam *consilia* proponit; iamvero haec consilia atque haec invitatio, licet revereantur libertatem hominum, tamen frustrari nequeunt: semper igitur erunt in vera Ecclesia Christi, qui haec consilia sequantur. Christus denique, sicut ipse miracula in probationem suae legationis patravit, ita apostolis suis hanc virtutem charismaticam tribuit (cf. Matth. 10, 8; Marc. 16, 17 sq.), quae inde a prima die Ecclesiae plene constitutae apparuit (Act. 2, 1 sqq.), et istis quidem temporibus abundantia quadam mirabili (cf. 1 Cor. 12, 1 sqq.), neque umquam Ecclesiae deerit (Io. 7, 38. Marc. 16, 17 sq.).

585. d) *Apostolicitas.* — Apostolicitas est in eo quod Christus Ecclesiam suam super apostolos et maxime super Petrum fundavit, i. e. apostolis suis sua ipsius munera: sacerdotale, doctrinale, regale, in Ecclesia sua exercenda tradidit, cum ipse rediret in caelum. Ex voluntate igitur Christi positiva Ecclesia est essentialiter apostolica, ratione originis (*Ass. 9,* n. 249 sqq.; *Ass. 10,* n. 288 sqq.) et ratione munerum, quae exercet (n. 275 sq.), e quibus regimen speciatim consideratum est (*Ass. 11,* n. 313 sqq.: hierarchicum; *Ass. 14,* n. 362 sqq.: monarchicum).

At vero haec apostolicitas videtur esse qualitas iamdudum *praeterita* atque denominatio mere extrinseca, quae ratione notae fungi certe non valeat; an forte perdurat usque ad nostra tempora et per omnia tempora? — Perdurat, et haec perduratio est *successio apostolica,* seu transmissio muneris apostolici ad alios (n. 458 464), qui in Ecclesia iisdem muneribus (apostolicis) fungantur. Et haec iam successio apostolica est *nota* certissima et simul clarissima. Ubi enim successio apostolica, ibi Ecclesia apostolica, ibi Ecclesia Christi, ita ut, si constat aliquem coetum christianum esse apostolicum, eo ipso constet eum esse veram Ecclesiam Christi; fieri enim nequit, ut non simul exhibeat ceteras notas enumeratas: unitatis, catholicitatis, sanctitatis. Et cum haec successio apostolica quam evidentissime in *primatu* eluceat, hinc assertum fuit (n. 574) hunc primatum iam per se solum sufficere ad probandam veritatem Ecclesiae, in qua exsistat. „Simpliciter igitur dicere licet eam ecclesiam esse apostolicam, quae cum Petri cathedra debito modo coniungatur; nam qui a legitimo successore Petri mittitur, eo ipso cum apostolico collegio a Christo instituto coniungitur.“ [9]

586. Et haec quidem de notis earumque legitima formatione. *Notas a protestantibus statutas* carere fundamento vix demonstrandum videtur esse. Nam notae istae duae generatim a protestantibus allatae, recta scilicet (vel pura vel sincera) praedicatio verbi et recta administratio

sacramentorum, *deficiunt in ipsa ratione notae* seu signi. Cum enim neque praedicatio verbi nec administratio sacramentorum, mere materialiter sumptae, ut notae sufficiant, ratio signi est in utriusque sinceritate seu legitimitate. At facile apparet in ipso hoc conceptu *legitimitatis* vel *sinceritatis* latere elementum *relativum* et ambiguum, quod indiget ulteriore determinatione. Nam „sincera praedicatio veritatis (ait *B. Bellarminus* [10]) est nota communissima omnibus sectis, saltem opinione ipsarum"; sin autem addatur ad praedicationem *receptio* verbi Dei atque recta *fides*, „quis nosse potest (ait Bellarminus), ubi vere credatur verbum?" Neque *experientia interna* religiosa quidquam prodesse poterit, quia ipsa natura sua (quam ostendit experientia historica) est subiectiva et variabilis pro variis hominibus atque etiam pro variis temporibus et condicionibus eiusdem hominis.

II. Notae enumeratae verificantur in sola Ecclesia romano-catholica.

Assertio huius partis est duplex: *positiva*, quatenus affirmat notas quattuor, in priore parte statutas, convenire Ecclesiae romano-catholicae; *negativa* autem, quatenus simul negat has notas, omni verae Ecclesiae necessarias, in ceteris coetibus christianis inveniri. Et per se quidem pars positiva sufficit, qua Ecclesiae romanae vindicemus indolem unius verae Christi Ecclesiae. Ipsam probationem liceat paucis adumbrare potius quam ut eam fusius prosequamur. Abundant enim tractatus excellentes, qui hanc demonstrationem egregie excoluerunt [11].

587. 1. Pro *unitate* Ecclesiae romano-catholicae non opus est alia documenta et testimonia afferre, ac ipsa sibi Ecclesia in suo *Codice Iuris Canonici* paravit. Quem *Benedictus XV* die Pentecostes (27 Mai) 1917 promulgavit Constitutione „Providentissima Mater Ecclesia", atque decrevit vim legis habere a die 19 Maii (festo nimirum Pentecostes) anni 1918, pro universa Ecclesia, licet Orientalem non eodem modo respiciat ac Latinam Ecclesiam (*CIC* can. 1). Ipse vero *Codex* agit de *cultu* (de sacramentis *CIC* can. 731 sqq.; de cultu divino can. 1255 sqq.), de munere *doctrinali* seu de magisterio Ecclesiae (can. 1322 sqq.), de *regimine* Ecclesiae (can. 218 sqq.), ita ut hoc monumento *unitas* Ecclesiae plane incomparabilis eique semper apprime propria splendore novo eniteat. Liceat ex omnibus canonibus illum unum citare, qui circumscribit potestatem Romani Pontificis: „*Can. 218.* § 1. Romanus Pontifex, Beati Petri in primatu Successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent. § 2. Haec potestas est vere

episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens."

Hanc vero unitatem magnopere desiderari *in aliis coetibus* ipsorum et divisione in plurimas factiones et dissolutione interna abunde demonstratur. Hinc tendentiae illae, quae volunt consociare saltem asseclas eiusdem opinionis, velut lutheranae vel calvinistae, atque ita constituere aliquam saltem unitatem universalem; nam hoc ipsum probe agnoscunt: unitatem sine universalitate (seu catholicitate) nil posse demonstrare [12].

588. 2. *Universalitas* Ecclesiae romanae, quae iam suo nomine — *catholica* enim recte ab omnibus vocatur — hanc suam indolem praedicat, procedente evangelisatione eatenus saltem competit, quatenus nunc iam vix ulla regio inveniatur, quae non audierit bonum nuntium redemptionis, et paucae adhuc restent tribus, ad quas non saltem aliqui radii lucis christianae pervenerint. *Missio* autem quae vocatur, in dies progrediens suosque legatos et praecones evangelicos praemittens, tum verbo tum exemplo tum orationibus et sacrificiis innumeris animas indigenarum Christo lucrifacere satagit, ut eo citius omnes adducantur ad unum ovile Iesu Christi.

Numerus quidem christianorum, qui ad Ecclesiam romano-catholicam pertinent, est minor, quam ut caritas Christi, urgens et ardens in filiis Ecclesiae, ab opere arduo desistere possit. Ex circiter 1 700 000 000 hominibus numerantur circiter 680 000 000, qui se christianos vocant, inter quos circiter 300 000 000 sunt catholici. At hi omnes sunt uniti unitate illa mirabili, quam modo consideravimus, sub una nimirum auctoritate Romani Pontificis; in una fide, quam ut infallibiliter ab Ecclesia propositam omnes firmissime tenent; per usum eiusdem cultus: unius nempe sacrosancti sacrificii, quod idem in omnibus altaribus Deo offertur a Christo ipso per manus sui sacerdotis; per eadem media sanctificationis, quae iam a Paulo ut vincula unitatis universalis extolluntur (cf. n. 400); omnes enim *in unum corpus baptizati sumus* (1 Cor. 12, 13), et *quoniam* (est) *unus panis, unum corpus multi sumus* (10, 17), omnes, qui ut membra sanctae Ecclesiae participamus panem angelicum, corpus Domini, a Christo nobis per verba consecrationis paratum.

Talis catholicitas, quae simul perfectissima unitas est, *extra Ecclesiam* non habetur neque haberi potest; nam haec ipsa iam intima coniunctio est fructus assistentiae, quam Christus suae promisit Ecclesiae eique soli.

589. 3. *Sanctitatem* Ecclesiae praedicant saecula omnia, quae a primis christianis decurrerunt usque ad nostra tempora. Non

quidem negandum est inter Ecclesiae membra fuisse quae, oblita dignitatis suae christianae et obligationis huius dignitatis, neglectis mediis quae Ecclesia uberrime omnibus suis asseclis praebet, vitam egerint in Ecclesia quidem, sed non secundum morem Ecclesiae. Neque deerant pastores ecclesiastici, qui non solum non erant „forma gregis ex animo“ (1 Petri 5, 3), sed e contra suis ovibus scandalo facti eas secum in ruinam duxerunt, auctores scilicet vel schismatis vel haeresis vel vitae immoralis et pravae. Et hi quidem Ecclesiae matri vulnera gravissima intulerunt. Sed haec facta deploranda id solummodo ostendunt neque gratias in ipsa omnibus oblatas et datas ligare voluntatem hominis indeclinabiliter ad legem Dei. Simul autem patefaciunt spiritum Ecclesiae. Numquam enim Ecclesia, immemor officii sui, destitit ab increpando, puniendo, condemnando delicto. Maluit integras nationes sese separare ab Ecclesia, quam ut unam ex doctrinis sibi traditis proderet, quam ut scelus approbaret vel permitteret, quam ut cessaret a defensione veritatis et virtutis.

Ita factum est, ut religio christiana, duce Ecclesia, renovaret faciem terrae, gentes integras, populos non solum incultos — nam hi forte sunt evangelio propiores quam culti — sed depravatos atque ad ima depressos vitia, ita ut ex solo sterili efflorerent virtutes inauditae, sicut virginitas et castitas, sicut caritas christiana, amori proprio infensissima. Neque illi mirum hoc videbitur, qui perscrutatus sit doctrinam Ecclesiae, quam haurit ex ipsis fontibus antiquissimis, integris: verbis scilicet ipsius Christi et apostolorum eius; qui porro viderit cultum eius, sacrificium eucharisticum; qui perceperit sensum et finem et usum sacramentorum, imprimis paenitentiae et sanctissimae eucharistiae; qui denique ex conversatione cum catholicis et commercio cotidiano expertus sit amorem illum parem cum reverentia, qua prosequuntur pastores animae suae: sacerdotes, episcopos, Romanum Pontificem. Agnoscunt in eis etenim organa corporis Christi, cuius membra omnes catholici sunt, cum Christo coniuncta, ex quo omnis eorum auctoritas dimanat et omnis vis sanctificatoria. Fide igitur vivunt vera membra Ecclesiae Christi, quo duce Ecclesia peregrinatur in hac lacrimarum valle ad patriam, ad Dominum et Patrem caelestem.

590. *Deus* vicissim sua dona larga manu Ecclesiae eiusque filiis tribuit, *gratias* nimirum, quae vitae christianae sunt necessariae, et *charismata,* quae constituunt quodammodo nitorem eius caelestem. Et dona quidem maxime pretiosa sunt illi, quos Ecclesia suos *„sanctos“* vocare solet, quos recte considerat tamquam fructus

suos proprios, in quibus videlicet media, quae omnibus offert, ad pleniorem et uberiorem efficaciam pervenerunt[13]. Et materno quodam affectu, gaudio nimirum permota et gratitudine erga Christum suum sponsum, reverentia autem erga testes suae sanctitatis, eorum nomina collegit, ut sint posteris exemplo: agmina martyrum, virginum, confessorum, patrum et doctorum Ecclesiae, cum ipsis apostolis Domini atque eius sanctissima matre. Immo haud raro *iudicio* suo *sollemni* et definitivo per magistrum suum supremum, Romanum scilicet Pontificem, declarat aliquem ex suis filiis ad gradum sanctitatis heroicae pervenisse ideoque ut sanctum posse et debere considerari et coli. In ipso autem processu, qui talem actum praecedit, etiam de *miraculis* inquisitio habetur. „Praeter virtutum heroicitatem aut martyrium, ad beatificationem servi Dei requiruntur miracula eius intercessione patrata" (*CIC* can. 2116, § 1). „Ad canonizationem Beatorum, qui formaliter beatificati sunt, requiritur approbatio duorum miraculorum, quae supervenerint post formalem beatificationem" (can. 2138, § 1). Haec igitur facta et signa divina neque nunc desunt in Ecclesia romano-catholica, quibus scilicet demonstretur regi a Spiritu Dei, „qui operatur omnia in omnibus" (1 Cor. 12, 6).

591. Quid autem de *aliis coetibus christianis* dicendum sit, hoc loco explicare non expedit; imago enim Ecclesiae non indiget umbra, qua eius gloria clarius effulgeat[14]. Hoc unum dicere fas erit: nos non omnem negamus sanctitatem in eis, qui aliis coetibus adhaerent, sicut non negamus Deum eis elargiri gratias, atque aliqua media gratiae, proprie Ecclesiae tradita, de facto etiam apud eos, qui non pertinent ad Ecclesiam, in usu esse et fructus suos producere, puta sacramentum baptismi vel eucharistiae et ordinis apud sacerdotes schismaticos quidem vel haereticos, sed rite ordinatos. Sed negamus sanctitatem illam illo gradu, illis insignitam charismatibus in ullo coetu christiano alio inveniri, qua gaudet Ecclesia romano-catholica[15].

592. 4. De *apostolicitate* denique non est cur hoc loco longius agamus. Unica etenim Ecclesia romano-catholica ea omnia retinuit atque retinet, quae Christus *per apostolos* suos Ecclesiae suae dedit: media sanctificationis, doctrinam, regimen; episcopi enim sunt successores apostolorum (*Ass. 19,* n. 458 sqq.), Romanus vero Pontifex successor S. Petri tum in eius episcopatu romano, tum in eiusdem primatu universali (*Ass. 21,* n. 508 sqq.). Hoc iam solo facto ostenditur Ecclesia romana ut ecclesia apostolica et vera Christi Ecclesia, eo magis, quia omnes aliae ecclesiae ne agnoscunt quidem primatum a Christo institutum esse, atque consequenter organisationem monarchicam reiciunt.

III. De valore huius viae ad cognoscendam veram Christi Ecclesiam.

593. Negari nequit hanc viam, qua per notas pervenitur ad cognoscendam veram Ecclesiam Christi, nostris temporibus non tanti aestimari ac temporibus praecedentibus. Rationes vero, si inspiciantur, ad duas classes forte reduci poterunt. Et altera quidem classis fundatur *in ipsarum notarum indole*, quae scilicet non sat clare et determinate rationem notae, supra enucleatam, prae se ferant, saltem non aeque omnes. Altera autem classis difficultatum respicit potius *condiciones mutatas nostrae aetatis,* quae ad adversarios convincendos vel potius ad omnes qui foris sunt alliciendos novis uti debeat argumentis, adaptatis scilicet ad aliam mentis habitudinem; siquidem argumentum ex notis petitum supponit fundamentum commune saltem eatenus, ut uterque disputantium agnoscat et Christi et evangelii et Ecclesiae primitivae auctoritatem. Hoc autem fundamentum commune nunc non iam habetur apud plurimos, qui se protestantes vocant; hinc etiam methodus adhibenda iam alia sit oportet. Videamus, si placet, quid de hisce difficultatibus dicendum videatur, et universalius: quinam sit valor huius viae notarum verae Ecclesiae Christi, sive (1) singulae notae considerantur, sive (2) tota via ut methodus intellegitur.

594. 1. *De valore singularum notarum.* — Controversia quaedam est inter auctores catholicos, utrum singulae notae *seorsum spectatae* sufficiant, e quibus certo vera Ecclesia Christi cognosci queat, an vero omnes *simul sumptae* demum gignant hanc certitudinem. Et inter omnes quidem constat omnes notas simul sumptas soli Ecclesiae Christi verae competere neque in ullo alio coetu inveniri posse. Porro omnes conveniunt in eo ut asserant intimum nexum inter quattuor has notas, quippe quae natura sua profluant ex ipsa essentia Ecclesiae. Hunc imprimis nexum intimum affirmat *Encyclica* [16] supra (cf. n. 580) allata *Pii IX;* negat enim ullam ex hisce, vero et pleno sensu, verificari posse absque aliis, quia „quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret, ut ab eis nequeat seiungi". Applicatur autem haec doctrina ad notam catholicitatis; cum enim societas illa, quam condemnat decretum, condita ad procurandam christianam unitatem, supponeret tres memoratas christianas communiones (romano-catholicam, graeco-schismaticam, anglicanam) omnes simul Ecclesiam catholicam constituere, atque in id tenderet ut hae tres ecclesiae ad unum corpus efformandum tandem aliquando coirent, *Encyclica* insistit in vero et pleno conceptu catholicitatis, quae nimirum sit una

simul et sancta et apostolica successione insignita. Ex quibus verbis videtur sequi notam catholicitatis sumi necessario cum unitate simul, neque vero quamlibet catholicitatem seu diffusionem alicuius coetus christiani per orbem terrarum sufficere, ut inde vera Christi Ecclesia dignoscatur.

Et re quidem vera, et *unitas* et *catholicitas* simul considerandae sunt, ut possint notam constituere; hinc recte quis dixerit has duas notas *relativas*, quae nimirum relationem dicunt altera ad alteram et in hac coniunctione veram Ecclesiam Christi manifestant; *negativae* autem eaedem ne vocentur, quia forte hac designatione eorum valor nimis deprimitur.

595. Alio ex capite nota *sanctitatis* includit — similiter atque catholicitas; cf. n. 583 588 — aliquod elementum *relativum*. Nam cum, uti dictum est, gratia Dei etiam extra Ecclesiam operetur, eo scilicet fine ut omnes demum homines ad Ecclesiam et ad salutem, cuius medium est Ecclesia, adducat; cum porro media gratiae aliqua etiam extra Ecclesiam valide adhibeantur, scilicet (praeter orationem) e sacramentis baptismus qui ab omni homine, eucharistia et extrema unctio quae a sacerdote rite ordinato, confirmatio et ordo quae ab episcopo rite ordinato administrari possunt, hinc sanctitas, ut fructus horum mediorum, etiam extra Ecclesiam florebit, licet non eodem gradu neque eodem signata sigillo divino miraculorum sive moralium (sanctorum) sive aliorum, quae sunt facta divina. Ex altera parte fieri potest, ut sanctitas Ecclesiae pro tempore minus effulgeat, ita ut sit difficilius ex statu et condicione Ecclesiae tunc vigente ilico et certe pervenire ad agnoscendam praerogativam sanctitatis Ecclesiae, maxime si tempore perturbato homines clare iudicare aegre valent. Hinc auctores quidam loquuntur de *obscuratione*[17] quadam huius notae sanctitatis, quae natura sua diminuit eiusdem rationem signi et notae. Neque tamen ideo negant sanctitatem esse vere Ecclesiae propriam atque adeo exclusive propriam, si plena consideratur.

Quarta autem nota, *apostolicitas* nempe, per se sola sufficere videtur, quae demonstret vel ostendat Ecclesiam Christi veram. Atque huius notae forma concreta, primatus scilicet Romani Pontificis, est signum certissimum et facillimum pro eo, qui reliquerit verbis Christi sensum obvium[18]. Qui vero vel fidem evangeliorum (*Ass. 13,* n. 350 sqq.) vel verborum Christi interpretationem nostram (*Ass. 14,* n. 362 sqq.) neget, prius de his edocendus erit. Atque in hoc praecise altera quaedam et maior etiam difficultas continetur contra viam notarum; quam iam exponamus.

596. 2. *De valore viae notarum methodico.* — Inter auctores, qui theologiam fundamentalem tractant, aliqui *omittunt* notas Ecclesiae ut signa ad dignoscendam Ecclesiam idonea[19]; contendunt enim mutatis condicionibus *mutandam esse* etiam methodum, quae ad Ecclesiam Christi cognoscendam ducat, alii autem ex aliis considerationibus. Ratio praevalens est in eo ut ii, quibuscum nobis disputandum est, iam non teneant suppositum, ex quo doctrina de notis Ecclesiae procedat, scilicet supernaturalismum, qui agnoscat Christum ut Filium Dei et verba eius ut revelata, qui porro agnoscat evangelia aliosque libros N^i T^i et scripta Patrum ut fontes fide dignos, qui deinde agnoscat miracula ut signa divina. *Protestantes* quidem saeculi XVI, contra quos exculta est doctrina de notis, haec omnia retinuerant: nostris autem temporibus dissolutio interna protestantismi et negatio omnis indolis supernaturalis eo devenit, ut pro plurimis nulla iam auctoritas obiectiva exsistat. Quanam ergo via tales convinci poterunt de veritate Ecclesiae catholicae? Restant *duae viae;* et altera quidem *historica,* quam secuti sumus in assertionibus praecedentibus, utique non omnibus pervia, sed necessaria pro iis, qui sensu stricte scientifico rationem sibi reddunt de fundamento fidei eiusque praeambulis. Altera autem via iamdudum nota et ab ipsa Ecclesia diserte commendata est *empirica* illa, quam in assertione sequenti fusius exponemus, quae scilicet progreditur ex ipsius Ecclesiae catholicae, uti nunc est, exsistentia, efficacia, historia, quae ostenditur miraculum quoddam magnum et perpetuum. Haec via poterit illis, qui saltem Deum personalem admittunt atque possibilitatem miraculorum non negant, esse efficacissima.

597. Sed quid de *notis* Ecclesiae? Non carent magna utilitate. Imprimis enim, sicut tota theologia catholica, inserviunt *nobis, catholicis,* domesticis fidei, qui hac doctrina, inde a pluribus saeculis exculta, inducimur in pleniorem quandam cognitionem nostrae Ecclesiae. Deinde autem hae notae magnam partem *coincidunt* cum iis attributis et factis, quae constituunt argumentum *empiricum* (cf. verba *Conc. Vat.* sess. III, c. 3; *D* 1794; *Ass. 23*). Itaque duae hae methodi altera alteram iuvat et explicat, simul cum historica inquisitione, quam utraque adhibet. Ita verba *Concilii Vaticani* intellegi fas erit, quibus asserit Deum ut fides nostra esset obsequium rationi consentaneum voluisse, „cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias, quae . . . divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intellegen-

tiae accommodata" (*D* 1790). Quod ut facilius praestare possemus, Christus instituit Ecclesiam et „manifestis *notis* instruxit . . ." (*D* 1793). „Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent *omnia,* quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. *Quin etiam Ecclesia per se ipsa* . . . magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile" (*D* 1794)[20].

598. NOTAE. — **1** Doctrina de notis Ecclesiae in omnibus fere tractatibus *De Ecclesia* invenitur, e quibus cf. e. g. *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. I[6/7], n. 397 sqq.; *G. Wilmers,* De Christi Ecclesia 478—618; *J. V. de Groot,* Summa Apologetica de Ecclesia Catholica ([3]1906) 146–269; *I. Ottiger,* Theol. fund. II 495—1061; *A. Straub,* De Ecclesia Christi n. 1177 sqq. (II 589—909); *H. Felder,* Apologetica II 150—189; *I. Muncunill,* Tractatus de Christi Ecclesia (Barcinone 1914) 138—221; *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia II 17—114. — Alios auctores vide apud *Th. Spácil* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXIX (1915) 237 sqq. — **2** *M. d'Herbigny* l. c. II 18 sqq. *Zwingli** haec scribit: „Igitur de ecclesia sic sentimus. Ecclesiam in scripturis varie accipi. Pro electis istis qui Dei voluntate destinati sunt ad vitam aeternam. . . . Haec soli Deo est nota. . . . Sed nihilominus qui huius ecclesiae membra sunt, seipsos quidem, cum fidem habent, electos et primae huius Ecclesiae membra esse norunt, verum alia a se membra ignorant. . . . Sumitur iterum ecclesia universaliter, pro omnibus scilicet qui Christi nomine censentur, hoc est, qui Christo nomen dederunt, quorum bona pars Christum sensibiliter per confessionem aut sacramentorum participationem agnoscit, in pectore tamen ab illo vel abhorret vel ignorat. . . ." (*Ratio fidei* anni 1530); *E. F. K. Müller*,* Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche (Leipzig 1903) 84 sqq. — *Catechismus Genevensis* anni 1545 concedit ecclesiam quidem esse visibilem, „quam (Deus) nobis certis indiciis notisque descripsit"; communionem autem sanctorum nec cerni perpetuo oculis nec signis dignosci (*Müller** l. c. 126). Explicite deinde de notis Ecclesiae agit *Confessio helvetica posterior* (anni 1562): „. . . illam docemus veram esse ecclesiam, in qua signa vel notae inveniuntur ecclesiae verae, imprimis vero verbi Dei legitima vel syncera praedicatio. . . . Simul et participant sacramentis a Christo institutis. . . . Signis tamen commemoratis non ita arcte includimus ecclesiam, ut omnes illos extra ecclesiam esse doceamus, qui vel sacramenta non participant . . . vel in quibus aliquando deficit fides . . . vel in quibus infirmitates, vitia atque errores inveniuntur" (*Müller** l. c. 198). — *Anglicani* vero in *Articulis Anglicanis* (anni 1552 et 1563) ita habent: „Ecclesia Christi visibilis est coetus fidelium, in quo verbum Dei purum praedicatur, et sacramenta, quoad ea quae necessario exiguntur, iuxta Christi institutum recte administrantur" (Art. XX resp. XIX; *Müller** l. c. 512). — **3** Cf. *d'Herbigny* l. c., qui fusius has notas explicat et refutat. — **4** De doctrina Patrum cf. e. g. *I. Zahn,* Die apologet. Grundgedanken in der Literatur der ersten drei Jahrhunderte (Würzburg 1890) 81 sqq.; porro *I. Ottiger* l. c. 501 sqq.; *M. d'Herbigny* l. c. II 32. – De theologis temporis reformationis *Rob. Bellarmini* Controversias tom. II: De Conciliis et Ecclesia militante lib. 4 De notis Ecclesiae, qui (c. 2) exponit sententias adversariorum easque refutat, dein (c. 3) varias notas ab auctoribus catholicis statutas allegat. — **5** Opuscula. In symbol. art. 9. — **6** *Thomas Bozius* 24 libris agit *De signis Ecclesiae;* cf. *I. Ottiger* l. c. 502. — **7** Controversiarum t. II, l. 4, c. 2 sqq. — **8** Cf. *Chr. Pesch*

l. c. I $^{6/7}$ n. 400. — **9** Ibid. n. 403. — **10** L. c. c. 2. — **11** Cf. nota 1. — **12** De tendentiis unionis universalis seu oecumenicae inter protestantes cf. e. g. *E. Krebs,* Die Protestanten und wir. Einigendes und Trennendes (Der katholische Gedanke 4), München 1922. — **13** Cf. *Ch. Pesch* l. c. n. 423 sq.; *I. Ottiger* l. c. 970; idem praebet catalogum eorum, quos Ecclesia canonizavit (973 sqq.). — **14** *Ch. Pesch* l. c. n. 431 sqq.; *I. Ottiger* l. c. 985; ibid. blibliographia. — **15** Plura n. 595 et in assertione sequenti (n. 599 sqq.). — **16** *Acta S. Sedis* (1894/5) 65 sqq. — **17** Cf. quae scripsit *Th. Spáčil* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXVI (1912) 715 sqq. (Ist die Lehre von den Kennzeichen der Kirche zu ändern?). contra quem *Reg. Schultes* in *Divus Thomas* I (1914) 57 sqq., cui deinde respondit *Th. Spáčil* l. c. XXXIX (1915) 231 sqq. (Zur Lehre von den Merkmalen der Kirche); *R. Schultes* contendit in eodem commentario *I. Ottiger* et generatim auctores e Societate Iesu dereliquisse conceptum notae genuinum et traditionalem; ipse dein definit notas Ecclesiae ut qualitates et *facta* externa ex Ecclesiae essentia promanantia, quae a Christo tamquam notae suae Ecclesiae *promissa* sunt et hinc etiam ad cognoscendam veram Ecclesiam conducunt (*Divus Thomas* l. c. 71 sqq.; cf. 78). — **18** Contra hanc viam, sicut invenitur apud *Ottiger, Schultes* opponit illos, qui agnoscunt primatum Romani Pontificis, eo ipso etiam indolem et originem divinam Ecclesiae agnoscere (*Divus Thomas* l. c. 76). — Hoc utique verum est, et hinc praecise primatus exsistentia et agnitio in Ecclesia catholica est signum clarissimum pro eo, qui agnoscit Christum primatum instituisse perennem (non igitur ex primatu *Romani Pontificis* argumentum deducitur). Sed omnino verum est ipsius primatus institutionem per Christum factam esse demonstratione indigere. — **19** *Ph. Kneib,* Handb. der Apologetik, Paderborn 1912; cf. *Th. Spáčil* l. c. 237. — **20** Hanc viam commendat praeter *R. Schultes* (l. c. 81 sqq.) *E. Krebs,* Die Bedeutung der Kirche für den Glauben (Theologie u. Glaube XV [1923] 74 sqq.), qui quidem hoc argumentum optime excolit; at eum sequi non possum in eo quod fere reicere videtur methodum historicam, quia in ea lateat periculum, ne sensus protestanticus irrepat in mentes catholicas; argumentum vero *empiricum,* quod *catholicum* vocat (cum theologo moguntino *I. B. Heinrich*), etiam vel unice in theologia fundamentali adhibendum esse. Quae de hac re censeam, iam antea scripseram in Zeitschr. für kath. Theol. XLVI (1922) 613 sqq.

Quaestio 2. De via empirica.

599. 1. Haec via empirica, ex ipsa scilicet inspecta Ecclesia qualis nunc exsistit et qualis teste historia exstitit, differt a via notarum maxime eo, quod non libros sacros atque fontes primaevae Ecclesiae adhibet, e quibus Christi, Ecclesiae auctoris, exsistentiam, legationem divinam, doctrinam, institutionem Ecclesiae probet, sed his omnibus omissis ipsam Ecclesiam interrogat de sua natura et indole atque de modo, quo possit probare se esse religionem unice veram, utpote a Christo Filio Dei institutam.

Responsum Ecclesiae, ad quaestionem virtualiter duplicem, *duplex* sit necesse est; et primum quidem affirmare debet et probare se esse veram religionem a Deo institutam; haec probatio fieri nequit nisi sigillo divino miraculorum. Ecclesia igitur

romano-catholica miraculis ab ipso Deo insignita esse debet. Quam primum autem haec eius indoles supernaturalis probata fuerit, atque hinc ea, quae de se suaque origine divina asserit, vera esse ostensum fuerit, ulterius quaeri potest, quanam ratione quave revelatione et manifestatione divina orta sit, ut inde constet de modo, quo orta sit seu de eius origine. Iamvero Ecclesia romano-catholica testatur se esse ab ipso Christo, tamquam legato et Filio Dei, institutam; ergo haec eius assertio, utpote divinis signis comprobata ut vera, admittenda est. Ecclesia proinde catholica est illa, quam ipse Christus condidit ut religionem positivam, quae ut talis voluntatem Dei patefacit; ipsa iam ceteras quaestiones omnes, religionem quae spectant, solvet, imprimis illam, num omnes homines hanc religionem admittere, quidnam agere, credere, praestare debeant, ut huius religionis unicae membra fieri et manere possint.

600. 2. Ex his omnibus elementis modo enumeratis *probatione indiget* unum illud, quod asserit Ecclesiam *miraculis* tamquam signis divinis insignitam esse. De ceteris omnibus iam constat. Constat enim Ecclesiam romano-catholicam affirmare se esse *unicam veram Ecclesiam Christi;* constat porro Ecclesiam ipsum *Christum* considerare ut *legatum Dei* et consequenter institutionem Ecclesiae tamquam actum divinae revelationis et divinae voluntatis; constat deinde Ecclesiam propter hanc institutionem, per Christum factam, sese considerare tamquam *unicam* veram *religionem ab omnibus* hominibus amplectendam; constat denique Ecclesiam *provocare ad miracula* in suum favorem a Deo patrata, quibus haec asserta tamquam veridica comprobentur. *Restat* igitur, ut ostendat *facta* illa, ad quae tamquam ad miracula provocat, esse non solum *historica,* sed etiam eiusmodi, quae transcendant vires creatas et postulent necessario interventum Dei, extra et super ordinem naturae praestitum, i. e. habere naturam veri *miraculi.* Et in hoc miraculo demonstrando versari debet probatio huius viae empiricae.

601. 3. Hanc viam *praerogativis* aliquibus gaudere prae aliis viis indicatis, quibus ad cognoscendam veram Ecclesiam perveniatur, negari nequit; praeter eius nimirum *indolem compendiariam* atque relative saltem succinctam commendat hanc viam ipsa natura veritatum seu factorum, quae in demonstrationem adducuntur, ut quae non solum intellectum facile convincunt sed alias etiam facultates animae movent splendore vere divino, quo Ecclesia apparet[1]. Hinc nil mirum quod *ipsa Ecclesia*, sollemnissimo quo potest fieri modo, ad hoc argumentum suae veri-

tatis provocat, quo nempe „ipsa *velut signum levatum in nationes* (Is. 11, 12) et ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur"; hisce verbis Concilium Vaticanum complectitur utrumque argumentum, illud nimirum, quod ex *notis* Ecclesiae verae deducitur, et alterum, quod ex *ipsius Ecclesiae indole* petitum *empiricum* vocamus. „Quin etiam (ita *Vaticanum*) Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile" (sess. III, c. 3; *D* 1794). Ecclesia proinde ipsa clare indicavit (1) se se *considerare* ut *veram religionem* divinitus revelatam et hominibus impositam, et (2) se *provocare* ad ipsam suam exsistentiam et historiam tamquam ad *miraculum* magnum et perpetuum, quo ut vera religio ostendatur. Et hoc quidem non pro solis cultis et doctis, sed etiam pro rudibus pro eorum condicione. Nam „divina bonitas et sapientia (ita adnotant *theologi* ad *schema* huius capitis) in ordine providentiae supernaturali disposuit Ecclesiam catholicam iis insignem characteribus, ut in ea, citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam rudes habeant facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quae poterunt per disciplinas apologeticas distinctiore et ampliore explicatione confirmari; sed non potest rationibus oppositis induci prudens dubium ad illam certitudinem labefactandam."[2]

Ipsa haec verba *Concilii Vaticani* constituunt aptissime quidem textum assertionis sequentis, qua illud unum ostendere contendimus: Ecclesiam revera esse miraculum maximum perenne, compendium quoddam miraculorum et complexum motivorum, tanta luce fulgens, ut omnium in se oculos attrahat, mentes alliciat, intellectus convincat de veritate suae legationis et indolis divinae.

ASSERTIO 23. „Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile" (Conc. Vatic. sess. III, c. 3; *D* 1794).

602. Antequam ad probandam veritatem historicam et philosophicam huius miraculi accedamus, paucis explicare necesse est, quinam sit *sensus* propositionis atque eius partium.

1. Ecclesia consideratur *„per se ipsa"*, i. e. non secundum suam originem historica inquisitione demonstrandam, sed secundum suam

exsistentiam, concretam et historicam, quam nunc habet ut societas religiosa, quam item habuit teste historia saeculis praecedentibus. Quousque eius historia ascendat, quaenam eius fuerit origo, quisnam eius auctor, interim maneant quaestiones, postea decidendae ex testimonio ipsius Ecclesiae. Huius societatis religiosae enumerantur 4 (5) *qualitates,* nempe (1) admirabilis propagatio; (2) eximia sanctitas coniuncta cum inexhausta fecunditate; (3) catholica unitas; (4) invicta stabilitas. E quibus tres potius exsistentiam, una, secunda nimirum, potius activitatem et efficaciam spectare videntur.

603. 2. Ecclesia scilicet considerari potest vel (I) *ut exsistens* vel (II) ut agens.

Ecclesia (I) *ut exsistens* iterum duplici sub ratione se manifestat: in fieri vel in facto esse. Si consideratur *in fieri,* cernitur eius admirabilis propagatio (*prima* qualitas); si *in facto esse,* examinanda est ut societas, et quidem vel secundum rationes sibi ut tali *internas* vel secundum rationes externas. Ratio autem *interna* est unitas et firmitas, qua Ecclesia est societas veri nominis, superans autem omnes alias ratione huius unitatis perfectae neque umquam laesae. Ratio deinde *externa* est stabilitas, qua efficaciter resistit omni impetui, qui ab extra contendit destruere societatem atque eius vel organisationem (vincula socialia) solvere vel membra dissipare vel fundamentum iuridicum tollere; ita statuuntur qualitates *tertia* et *quarta.*

Si vero Ecclesia (II) consideratur *ut agens,* prout scilicet actibus membrorum suorum prosequitur finem, ad quem obtinendum homines sese coadunarunt vel coadunati sunt, Ecclesiae fecunditas inexhausta apparet: sive *qualitative,* qua scilicet fructus profert omnis generis, imprimis autem et proprie eximiae sanctitatis; sive *quantitative,* quatenus abundantia fructuum numquam exhauritur, neque ipsa umquam senescere poterit, sed semper iuvenescens iuvenescere facit omnes, quotquot eius salutiferos fructus percipiunt (cf. *Irenaeus,* Adv. haer. 3, 24, 1); haec iam mira fertilitas, haec iam eximia sanctitas constituit *secundam* ex enumeratis qualitatibus. Porro patet hanc divisionem inter Ecclesiam exsistentem et agentem non posse intellegi sensu tam absoluto, ut qualitates ita divisae sese penitus excludant aliae alias; nam propagatio et unitas et stabilitas certe inter fructus praeclaros ipsius Ecclesiae haberi possunt, qui eius vitam iugiter vigentem ostendunt; systematicae tamen inquisitioni haec divisio aliqua ratione prodesse poterit.

604. 3. *Considerabimus* igitur — hisce *divisio* assertionis indicatur —

I. Ecclesiam *exsistentem,* et quidem

a) *in fieri,* seu eius *propagationem admirabilem;*

b) *in facto esse,* seu eius unitatem et stabilitatem;

α) et *unitatem* quidem, quae verificat conceptum societatis perfectissimo modo, fine sociali quem sibi proponit, mediis quibus eum obtinendum curat; porro unione membrorum cum auctoritate centrali et inter se artissima. Omnia autem impedimenta huius unitatis, sive discidia et schismata quae obsunt societati ut tali, sive haereses quae destruere vel alterare vel minuere conantur depositum fidei et doctrinae ipsi Ecclesiae commissum et hinc adversantur fini ob quem haec societas condita est doctrinali et consequenter sanctificatorio, vincuntur hac unitate absoluta semperque conservata. Nam neque schismatici neque haeretici intra Ecclesiam manere possunt vel umquam poterant.

β) *stabilitatem* autem, quae numquam succubuit impugnationibus ab extra provenientibus. Quae impugnationes externae — de internis quae in ipso sinu Ecclesiae, ab eius scilicet membris, ortae sunt (1 Io. 2, 19), egimus sub α) — sunt duplicis potissimum generis. Aliae namque aggrediuntur Ecclesiam *ut est societas religiosa* et *doctrinalis,* et hinc utuntur armis imprimis spiritualibus: methodo scientifica, diffamatione, calumniis, conviciis. Ita factum est inde ab initio religionis et Ecclesiae christianae; legimus in scriptis apologetarum, quanta et qualia proferebantur contra christianos, utpote, sicut scribit *Tacitus* (Ann. 15, 44; *K* 34), „exitiabilis superstitionis" reos, „odio humani generis convictos". Aliae autem impugnationes Ecclesiae respiciunt *indolem socialem,* eius nimirum organisationem, quae constet ex hominibus, qui externe ut socii et membra Ecclesiae cognosci possunt. Inde via sternitur, etiam vi externa et coactione, proxime quidem membra Ecclesiae, in iis autem ipsam quoque Ecclesiam invadendi. Tales impugnationes vocari solent persecutiones; illi autem, qui eiusmodi persecutiones patienter et fideliter usque ad cruentam mortem passi sunt, martyres. Quorum testimonium, sanguinis scilicet, evadere potest miraculum morale. Hoc autem loco, quo nimirum agitur de stabilitate Ecclesiae, non tantopere constantia *personalis* singulorum martyrum consideratur quam firmitas *Ecclesiae,* quae nullis persecutionibus, neque longissimis neque durissimis et vehementissimis, umquam succubuit, licet in aliquibus regionibus et nationibus religio et Ecclesia impetu tempestatis fere eradicata sit.

Consideramus

605. II. Ecclesiam *agentem,* fructus scilicet Ecclesiae, qui eius vitam atque vigorem ostendant. Ecclesiae autem *fecunditas* omnimoda apparet

a) in persequendo et obtinendo suo fine proprio, scilicet sanctificationis. Ecclesia enim est *sancta*

α) in doctrina quam profert et praedicat, tum theoretica (in iis quae de Deo deque relatione hominis ad Deum docet) tum practica (vetans ima, postulans perfecta, suadens summa);

β) in mediis quae adhibet et suis membris adhibenda tradit, maxime in sacrificio, quod cotidie celebrat, dein in ritibus illis externis, quos efficaces esse non solum asserit sed etiam experientia comprobat; sacramentis enim ecclesiasticis christiani idonei fiunt, qui et vitam cotidianam christiano more, doctrinae sublimi consono, agere et actus vere heroicos patrare possint, qui nempe vires hominis sibi relicti superare dicendi sunt. Ad hos pertinent *martyria* seu testimonium sanguinis (de quo supra iam sermo fuit); ad hos vita integra vel magna vitae pars eorum, quos Ecclesia ut suos *„sanctos"* colit et veneratur, qui quidem hac vita sua constituunt miraculum morale. Cui accedunt alia *miracula* plurima, intellectualia et physica quae vocantur, patrata a Deo in favorem et testimonium Ecclesiae.

b) Quoniam autem exsistit naturalis quidam nexus inter exercitium religionis verae et *culturam* quae vocatur, hinc nil mirum quod Ecclesia iure potest gloriari de multis bonis ordinis naturalis, quae hominibus attulit. Ad quae non solum pertinent illa, quae sua sponte ex principiis religiosis promanant, ut e. g. pax socialis et nationalis, securitas publica et alia eiusmodi, sed etiam altiora quaedam, intellectualia, ut scientiae cultus artiumque, quarum se Ecclesia semper fautricem ostendit. Etiam sub hoc respectu Ecclesia facta est decurrentibus saeculis innumerarum gentium mater et magistra, quae filiis suis omnia bona, et aeterna et temporalia, ubertim distribuit, paravit, paranda curavit. Ultro autem fatemur in hisce bonis non esse ponendam vim specialem vel principalem, multo minus exclusivam, huius argumenti ex fecunditate Ecclesiae petiti; est etenim secundarium aliquod et accessorium elementum, quod salvo valore argumenti deesse potest.

606. 4. Quodsi quaeritur, *quomodo* hae qualitates seu haec facta *vim probativam* habeant, ostendendum est ea superare vires naturae et postulare interventum Dei immediatum. Hoc autem ostenditur ex disproportione inter causam seu medium (naturalia) et effectus, qui excedunt vim causae atque virtutem

naturalem. Et haec quidem disproportio facilius constabit, si agatur de miraculis *physicis* (per se sensibilibus), difficilius autem de miraculis ordinis *moralis,* quae potissimum hoc argumentum constituunt; multum enim pendet agnitio miraculi ab aestimatione, utrum aliquod factum revera excedat vires naturales hominis annon. Hinc argumentum nostrum, quoniam ex abundantia quadam superfluente facta maxime clara et ad convincendos animos idonea eligere poterit, considerabit vel singula evidentissima, vel complexum omnium, quae simul considerata, salva providentia divina, errorem excludunt. Hoc modo omnimodam certitudinem argumento vindicare studebimus.

Quibus praestitis constat testimonium Ecclesiae de se ipsa esse verum, utpote probatum signis divinis. Iamvero Ecclesia dicit se esse *originis supernaturalis* et *divinae,* quia scilicet fundata a Christo Legato et Filio Dei; se esse porro *unicam* et *universalem* omnibusque hominibus necessariam ad salutem aeternam. Omnes igitur *alii coetus christiani* nec sunt vera Christi Ecclesia nec vera a Deo omnibus hominibus imposita religio. Ita hoc argumentum, tametsi progreditur ex inspecta sola Ecclesia romano-catholica, eius tamen veritatem et absolutam et relativam, relate scilicet ad quascumque alias religiones, ostendit.

607. 5. Ex *historia huius argumenti* aliqua saltem afferre expedit, quibus eius nimirum usus, iam pridem in Ecclesia vigens, appareat.

Elementa huius argumenti iam *apologetis* et *scriptoribus ecclesiasticis primaevis* familiaria erant. *Vaticinia impleta* sive Veteris Testamenti sive Christi auctoris religionis christianae, *miracula* omnis generis patrata et a Christo et a christianis, deinde vero argumentum quod ex *exsistentia et historia ipsius Ecclesiae* petebatur, praeludunt huic nostro argumento atque eius ideam fundamentalem iam continent et exprimunt. „Unum duorum (ait *Augustinus*) incredibilium iam factum uidemus, ut, quod erat incredibile, crederet mundus.... Et ipse modus, quo mundus credidit, si consideretur, incredibilior inuenitur. Ineruditos liberalibus disciplinis et omnino, quantum ad istorum doctrinas adtinet, inpolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare huius saeculi paucissimos misit adque ita et ex omni genere tam multos pisces et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit." Enumeratis deinde miraculis ab apostolis patratis ita concludit: „Si uero per apostolos Christi ... ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam (resurrectionem scilicet Christi) terrarum

orbis sine ullis miraculis credidit“ [3]. Hinc idem sanctus Doctor in capite 8 eiusdem libri, agens de miraculis, quae ipsius tempore fiebant in Ecclesia, „quisquis (ait) adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit“ [4]. Similiter *ante Augustinum* scriptores christiani locuti sunt, provocantes vel ad mirabilem *propagationem,* quam tot tantaque obstacula impedire non valebant, vel ad *persecutiones* et *martyria,* quae veluti scintillae novos ignes accendunt, veluti semina novas segetes christianas producunt, vel ad *virtutem* illam *internam* et plane mysteriosam, qua Ecclesiae doctrina et praecepta et media sanctitatis renovarunt faciem terrae [5].

608. Ex scholasticis *mediae aetatis* solus noster *Thomas Aquinas* testis sit, quanti et ipsi hoc argumentum fecerint. In *Summa de veritate catholicae fidei contra gentiles* asserit Deum veritatem religionis christianae et Ecclesiae „convenientibus argumentis“ ostendisse, operibus nempe visibilibus, quae „totius naturae superant facultatem“. „Quibus inspectis, praedictae probationis efficacia, non armorum violentia, non voluptatum promissione, et, quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem, innumerabilis turba non solum simplicium sed etiam sapientissimorum hominum ad fidem christianam convolavit; in qua omnem humanum intellectum excedentia praedicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia, quae in mundo sunt, haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium assentire et maximum miraculum est et manifestum divinae inspirationis opus. . . . Haec autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem christianam indicium certissimum est praeteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis mirabilius, si, ad credendum tam ardua et operandum tam difficilia et ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus; quamvis non cesset Deus, etiam nostris temporibus, ad confirmationem fidei per sanctos suos miracula operari“ (l. 1, c. 6) [6].

609. Eandem viguisse inter theologos temporis *reformationis* persuasionem iam supra (n. 579) ex verbis *Bellarmini* ostensum est; *nota* scilicet *tertia* (Controv. t. II, l. 4, c. 6) describit durationem Ecclesiae eiusque stabilitatem eamque comparat cum firmitate et duratione haeresium; verba *Leonis I* citat ex eiusdem sermone de SS. Petro et Paulo: „Non minuitur persecutionibus Ecclesia sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur.“ Nota *nona* deinde est efficacia doctrinae et fructus operis mis-

sionarii, quo brevi tempore mundus christianus factus sit; *decima* autem sanctitas imprimis eorum, qui initiis Ecclesiae aderant, in oppositione ad haeresiarchas; *undecima* porro gloria miraculorum, quae singulis saeculis facta esse in Ecclesia et in testimonium eius ostendit usque ad suum tempus, quo *Franciscus de Paula* „plurimis miraculis" et *Franciscus Xaverius* „in Indiis omni genere miraculorum" claruit (c. 14). Prosequitur etiam argumentum ex „morte persecutorum" petitum (c. 17), quibus opponitur felicitas iam temporalis regum et principum, qui Ecclesiam defenderunt (c. 18).

610. *Tempore* dein *recentiore* hoc argumentum familiare factum est plurimis scriptoribus et theologis, iis praesertim, qui in theologia fundamentali veritatem vel *religionis christianae* vel *Ecclesiae catholicae* hac via evincebant. Quibus verbis iam indicata est diversitas quaedam, qua alii ab aliis discrepant. Et plurimi quidem hoc argumento utuntur ad demonstrandam veritatem *religionis* christianae[7], alii autem illud applicant ad *Ecclesiam* Christi, ea forma qua *Concilium Vaticanum* utitur. Utrisque autem haec via empirica distinguitur a via notarum, quam antea descripsimus; adeo ut in hac distinctione differentia aliqua appareat ab auctoribus antiquioribus antea recensitis. Propugnator insignis huius argumenti exstitit Cardinalis *V. A. J. Dechamps* (1810—1883), qui, magni influxus in Concilio Vaticano, ideam istam Ecclesiae viventis et vigentis et omnium animos sibi conciliantis auctoritate summa approbatam et sollemniter definitam esse gavisus est[8]. *I. B. Heinrich,* theologus moguntinus, qui plura opera Cardinalis Dechamps vertit in linguam germanicam, hanc „catholicam" considerationem suam fecit atque propugnavit[9]. Post Concilium Vaticanum idem argumentum vel propriis libris excultum vel tractatibus theologiae fundamentalis insertum est[10].

6. In explicandis singulis proprietatibus et factis, ex quibus argumentum coalescit, ita procedimus ut (A) factum proponamus, deinde (B) eius discussionem adnectamus, utrumque autem quam brevissime, indicantes potius viam, quam ut eam persequamur.

I. Propagatio admirabilis.

A. Factum, seu veritas historica.

611. Propagationis huius mirabilis considerari potest vel *fructus,* numerus scilicet christianorum catholicorum, qui in toto orbe terrarum disseminati sunt, ita ut nulla iam sit regio, in qua Ecclesia catholica non habeat membra et asseclas; vel *modus,* quo facta est, imprimis initio ipsius religionis et Ecclesiae chri-

stianae. Haec iam consideratio magna ex parte coincidit cum iis, quae supra (n. 583 588) de *nota* catholicitatis dicta sunt.

I. *Propagatio in facto esse.* Numeri, qui afferentur, sunt ex anno 1910 (*H. Krose,* „Religionsstatistik", Staatslexikon IV 587/8), quibus in uncis addentur numeri recentiores ex anno 1921 (Zeitschr. für Missionswissensch. XI [1921] 226).

Christiani: universim 617 972 918 (683 000 000), e quibus

Catholici	292 787 085	(305 000 000);
Protestantes	186 055 624	(220 000 000);
Orthodoxi	127 541 718	(158 000 000);
Orientales	8 974 989	

Non-Christiani: reliqui ex universim 1 560 000 000 (1 713 000 000) hominibus, scilicet:

Iudaei	12 989 751;	
Mahometani	207 067 840	(230 000 000);
Brahmani	210 100 000	(200 000 000);
Buddhistae	125 270 000	(500 000 000);
Confucii sectatores	240 000 000;	
Taoistae et Schintoistae	49 000 000;	
Idololatrae et Fetischistae	91 604 000	(100 000 000);
Alii	7 313 280.	

Haec iam universalitas relativa et absoluta comparanda est cum initiis Ecclesiae maxime exiguis.

612. II. *Propagatio in fieri.* — Considerantur quidem hoc loco primordia Ecclesiae, sed argumentum simile deduci potest ex aliis quoque aetatibus, quotiescumque scilicet in aliquo populo evangelium, praedicatum ab Ecclesiae sacerdotibus et libenti animo admissum, fructus produxit aequales atque admiramur in historia primaevae Ecclesiae[11].

Viguisse inde ab initio in Ecclesia *persuasionem:* evangelium praedicandum et Ecclesiam extendendam esse usque ad fines orbis terrae, antea probatum est ex verbis tum Christi tum apostolorum eius et totius Ecclesiae primaevae (cf. *Ass. 8,* n. 205 sqq.; *Ass. 15,* n. 382; n. 391; *Ass.* 16, n. 394 sqq.). De facto propagatio Ecclesiae erat tam rapida, ut provocaret admirationem ipsorum christianorum, angorem ethnicorum. Cum hoc factum aliis in libris satis superque exponi soleat, sufficiat hoc loco testes solos et textus principales exhibere.

Ex *Novo Testamento* praeter alios hi considerandi erunt textus: 1 Thess. 1, 8; 2, 13 sqq. Rom. 1, 8; 15, 19 sq. Col. 1, 6. 1 Tim. 3, 16. Act. 1, 8; 8, 26; 28, 14 sqq.

Temporis subsequentis vero praeter testimonia virtualia et obiectiva hi loci evolutionem Ecclesiae simul et persuasionem eius describunt: *Didache* 9, 4; 10, 5 (*K* 2 sq.); *1 Clementis* 5, 6 (*K* 10); 6 (*K* 11); 42, 2 (*K* 12); 59, 2; *Ignatii* Epistula ad Eph. 3, 2 (cf. n. 440); *Plinii* ad Traianum (epist. 10, 96; *K* 30); *Pastor Hermae,* Sim. VIII 3; IX 17; *Iustini* Apol. I inscriptio, 25 26 32 40 53; Dial. 43 52 53 91 117 (*K* 59) 121 131; Epistula ad *Diognetum* 6 (*K* 153); *Dionysius* Corinthius (apud *Eus.,* Hist. eccl. 4, 23, 10; *K* 61); *Hegesippus* (l. c. 4, 22, 1 sqq., *K* 69 sq.); *Celsus* philosophus, christianis infensus, apud *Origenem,* Contra Celsum 8, 69; *Martyrium Carpi, Papyli, Agathonices* (*K* 84); *Melito* Sardensis (apud *Eus.* l. c. 4, 26); *Irenaeus,* Adv. haer. 1, 10, 2 (*K* 104 sqq.); 2, 31, 2; 3, 4, 2; 11, 8; 5, 20, 1; Epitaphium *Abercii* Hieropolitani (*K* 155); *Clemens* Alexandrinus, Strom. 6, 18, 167; *Polycrates* episcopus ephesinus (apud *Eus.,* Hist. eccl. 5, 24, 7; *K* 94); *Minucius Felix,* Octavius 9, 32; *Tertullianus,* Apol. 2, 37 (*K* 178); Ad nat. 1, 8; De bapt. 5; De cor. 12; Ad Scapulam 5; De fuga 12; Adv. Iudaeos 7, 4 sqq. (*K* 207); De praescript. 20 (*K* 191); 32 (*K* 192 sq.); *Hippolytus,* Philosophumena (Refutat.) 10, 34; *Origenes,* Contra Celsum 3, 8 9 15 29 30; 8, 69 sq.; De princ. 4, 1, 1 sq. etc.[12]

Accedunt testimonia plurima tum ex libris *apocryphis*[13], tum ex scriptoribus ecclesiasticis, e quibus eminet *Eusebius*, cuius opus historicum (Hist. eccl.) describere contendit res in Ecclesia et per Ecclesiam gestas (Hist. eccl. praef.; *K* 422); hinc identidem animum ad propagationem Ecclesiae advertit (cf. Hist. eccl. I, 3, 19; 4, 2; sub diversis imperatoribus romanis: III, 1; 5, 2; 37, 1; IV, 2, 1; 7, 1; V, 21, 1; VII 10, 3; VIII, 1, 1 etc.

B. Discussio facti, seu veritas philosophica.

Ut constet de indole mirabili huius propagationis, debent ponderari et inter se comparari rationes promoventes et impedientes hanc propagationem; inde elucebit, num liceat eam considerari ut miraculum ordinis moralis, ut factum nempe quod explicari nequeat nisi interventu Dei immediato et extraordinario.

613. I. *Rationes faventes* religioni christianae propagandae et Ecclesiae dilatandae certe aderant, et quidem non solum in condicionibus temporis, quo Ecclesia orta est, sed etiam in ipsa hac Ecclesia.

1. Ad quas condiciones pertinent — si prius *externas* perpendamus — *universalismus* quidam sive *politicus* (imperium romanum et regnum Parthorum totam „oecumenam" inter se diviserunt atque saeculo I pacificis inter se utebantur relalationibus), sive *linguisticus* (nam lingua aramaica in partibus orientalibus, graeca in partibus occidentalibus, simul cum latina, in usu erat), sive *culturalis* (viae et maritimae et terrestres, com-

mercium frequens et hominum et epistularum et mercium, culturae aliqua saltem elementa communia omnibus oppidis et urbibus inde a Gallia usque ad emporia regni parthici et regionum finitimarum Indiae [24]). Hic universalismus inserviebat religioni christianae et Ecclesiae sensu materiali, quatenus praeconibus evangelicis vias parabat in omnes terrae partes; et sensu ideali, quoniam et ipsa universalis erat.

Ratio *interna* erat imprimis ardens *desiderium religiosum* sensusque religiosus tunc denuo excitatus. Veteres enim religiones magna ex parte obsoletae atque derelictae erant; tendentiae quaedam observabantur in henotheismum et pantheismum; religiones orientales, mysticae quas vocant, iam dudum invaserant partes occidentales imperii romani atque ritibus suis et promissionibus (redemptionis et salvationis animae) homines alliciebant neque vero satiabant; Iudaei, in dispersione degentes, ideas altiores tum religiosas tum morales spargebant, inter quas erat exspectatio messianica (cf. *Ass. 2,* n. 65 sq.; *Ass. 8,* n. 208 sq.); praeterea proselytos sibi acquirebant, qui videbantur ad id destinati esse ut essent primi asseclae religionis et Ecclesiae christianae. Quae omnia haud dubie praeparabant viam iis, quos Christus ut legatos suos gentibus missurus erat.

614. 2. Quibus rationibus aliae accedunt ex *parte ipsius Ecclesiae christianae. Doctrina* enim, quam docuit, erat fundata in factis historicis, quae utpote publica et notoria inquisitionem fugere non poterant; erat porro in se una, sublimis simul et omnium captui accommodata; praedicabatur demum ut verbum Dei, a proprio Filio Dei hominibus communicatum; unde explicatur, quod contineat mysteria, quae superant omnem intellectum. — In genere *morum* nova haec religio postulabat summa, inaudita, gravissima, durissima. Nonne debuit eo ipso non solum excitare attentionem hominum, sed etiam animum extollere atque inflammare ad vitam talem agendam? — Neque deerant *commoda* et *emolumenta* illis, qui huic organisationi nomen darent; nam praeterquam quod in ea adest *auctoritas* firma, *caritas,* ut vinculum verae fraternitatis omnes ligans, succurrit necessitatibus membrorum. Insuper autem dona divina, *charismata* abundantia omnis generis confirmant veritatem doctrinae, testantur effectus sanctificationis internae. *Vita* denique christianorum atque mors saepenumero patientissime et fortissime tolerata ob fidem quam profitebantur, non potuit non movere illos, qui sincero animo veritatem quaerebant. „Nam et ipse ego, cum Platonis delectarer doctrinis (ait *Iustinus,* Apol. 2, 12; ed. *Otto* I 233) audiremque

criminationes, quae in christianos iactabantur, eos autem ad mortem ceteraque omnia, quae terribilia existimantur, impavidos cernerem, intellegebam fieri non posse ut in nequitia et voluptatum amore viverent."

615. II. Rationibus autem modo expositis aliae obstant, quae Ecclesiae propagationem maximopere *impedire* debuerunt et *impediverunt;* immo ipsae rationes faventes, penitus perspectae, se produnt magna ex parte vel ambiguae vel potius nocivae.

1. Rationes religioni christianae *adversae internae.* — *Auctor religionis* et *Ecclesiae* erat Iudaeus, a procuratore romano, petente populo, crucifixus, opprobriis et calumniis oppressus iam tempore vitae, magis etiam post mortem, a proprio populo. *Praedicatores* et propugnatores evangelii erant ex eadem gente iudaica, plurimi inculti (Act. 4, 13), qui abstinuerunt a „sublimitate sermonis aut sapientiae" (1 Cor. 2, 1), sed praedicarunt „Iesum Christum et hunc crucifixum" (2, 2), „Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam" (1, 23). Et re quidem vera religio christiana a suis asseclis postulabat difficillima: quod ad *intellectum* attinet, subiectionem sub veritatibus revelatis, quae partim intellegentiam superabant, partim sensui graeco repugnabant (ut resurrectio mortuorum; cf. Act. 17, 32; 1 Cor. 15, 12); quod ad *voluntatem* spectat, imponebat officia gravissima, gentilium et Iudaeorum moribus adversantia, ut exercitium humilitatis, caritatis universalis, castitatis, quae simul cum paupertate (Matth. 19, 21) perfecte servanda commendatur (Matth. 19, 12. 1 Cor. 7, 35 sqq.). Insuper docet exclusivitatem talem, ut christianis non liceat participare in religione et cultu alieno (cf. 2 Cor. 6, 14 sqq.); ut parati esse debeant mortem potius subire pro Christo eiusque religione, quam ut idolis sacrificent vel imperatori exhibeant cultum religiosum. Ex hac *„intolerantia"* ortae sunt plurimae persecutiones cruentae plurimaque martyria, quibus optimi quique occubuerunt; at Ecclesia numquam ab hac exclusivitate cessavit. Sed hisce iam pervenimus ad rationes externas.

616. 2. Rationes *obstantes externae.* — Generatim adversarii et hostes religionis et Ecclesiae Christi sunt intellectus ideae praeconceptae, voluntatis debilitas, licentia effrenata morum omniaque vitia ethnica (cf. Rom. 1, 18 sqq.). Inde ortae sunt inimicitiae et persecutiones, quas Ecclesia passa est inde ab initio, et a Iudaeis, „fontibus persecutionum" (*Tert.* Scorp. 10), et ab ethnicis. Auctoritas romana et magistratus romani censuerunt religionem christianam illicitam („Non licet esse vos!" *Tert.,*

Apol. 4, 4; *K* 174) et reipublicae oppositam, quia prohibuit cultum caesareum; sacerdotes cultus antiqui querebantur de influxu et reditibus diminutis, de „prope iam desolatis templis“ et „sacris sollemnibus diu intermissis“ (*Plin.* ep. 10, 96; *K* 30); philosophi, ut *Celsus, Crescens, Porphyrius,* alii, irridebant christianis vel vulgum falsis accusationibus contra christianos excitabant, testantes quae ignorant „ad gratiam et voluntatem multitudinis deceptae“ (*Iust.,* Apol. II, 3; ed. *Otto* I 205). Culti despiciebant christianos tamquam incultos, rudes, superstitiosos, omnibus sceleribus deditos. Vulgus autem, avide conquirens et augens quaecumque contra eos dicebantur, non potuit non existimare „christianum, hominem omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum, morum, naturae totius inimicum“ esse (*Tert.,* Apol. 2, 23; *K* 172), et hinc „omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi christianos esse in causa“ (*Tert.* l. c. 40,1; *K* 185). Persecutiones iam, ex conspiratione quadam omnium classium humanae societatis ortae, initio erant potius locales et particulares; inde autem a saeculo III medio, a persecutione nimirum deciana (cf. quae scribit *Cyprianus,* De lapsis 5 sqq.; *K* 257 sqq.), factae sunt systematicae et crudelissimae, universales in toto imperio romano.

Accedunt *dissidia* et *haereses* internae, errores imprimis gnosticorum, qui erant tanto periculosiores, quanto magis speciem sibi attribuebant altioris cuiusdam sensus religionis christianae, qui deceret homines cultos et illuminatos, atque ita alliciebant plurimorum mentes. Haec certe gnosis erat periculum maximum Ecclesiae nascentis, eius autem repressio signum virtutis cuiusdam, Ecclesiae innatae, naturaliter non explicandae.

617. Quibus expositis iam elucet rationes enumeratas religionem christianam promoventes eidem simul gravissima obstacula creasse. Viae communicationis inservierunt tum propagationi tum etiam persecutioni Ecclesiae. Rationes religiosae, quales de facto exsistebant, potius adversatae esse dici debent admissioni evangelii [15]. Emolumenta socialia, comparata cum sacrificiis quae religio christiana poscebat, disparebant fere, praesertim cum in aliis conventibus religiosis similia praebebantur absque dispendio fortunae et vitae. Et si tempore tranquillitatis multi sese addixerunt Ecclesiae, permoti forte rationibus non pure religiosis, persecutio de repente exsurgens probavit et renovavit Ecclesiam, sicut deciana, qua, ut ait *Cyprianus* (De lapsis 5; *K* 257), „Dominus probari familiam suam voluit et, quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem et paene dixerim dormientem censura caelestis erexit“, ita tamen „ut

hoc omne, quod gestum est, exploratio potius quam persecutio videretur".

Recte igitur nos, consentiente ipsa Ecclesia primaeva, disproportionem inter causam et effectus agnoscimus atque ex ea deducimus necessitatem interventus Dei praeternaturalis, i. e. agnoscimus in hac tam mirabili propagatione miraculum morale.

Vim huius argumenti *elidere* conantur eo quod contendunt alias quoque religiones et coetus religiosos aeque rapide sese extendisse, velut buddhismum, mahometanismum, cultum caesareum, protestantismum. — *At* neganda est paritas. Non enim ex mero facto propagationis argumentum deducitur, sed ex propagatione rapida huius religionis concretae, cui omnia paene obstabant. *Buddhismus* autem, qui neque religio dici potest neque dogmata credenda proponit neque vitae rationem certam praescribit, nequit comparari cum Ecclesia. *Cultus caesareus* et *Mithrae,* ubi primum protectionem politicam amiserunt, ilico disparuerunt. *Mahometanismus* autem non postulat illa sacrificia, quae Ecclesia suis filiis imponit; immo promissione bonorum etiam materialium et concessionibus quibusdam in re morali, fanatismo excitato, media naturalia, partim perversa, in auxilium vocat. Ex altera parte negandum non est religionem Mahometi nostris quoque diebus ex causis allatis magnam vim expansivam manifestare atque in regionibus Africae et Asiae exstare adversarium fortem religionis christianae. *Protestantismus* denique neque ut una religio vel ut una ecclesia considerari potest neque mediis mere religiosis propagatus est[16].

II. Unitas Ecclesiae.

618. Unitas respicit Ecclesiam *ut societatem,* seu ut unitatem moralem, quam plures homines constituunt, prout ligati sunt vinculo sociali. Vinculum illud sociale est (in ordine ideali finis) in ordine reali conspiratio membrorum, ex qua necessario exsurgit auctoritas aliqua socialis et organisatio aliqua secundum certam constitutionem (cf. n. 235 sqq. 314 sqq.). Quo vinculo ligantur tendentiae fini sociali oppositae, scilicet individuales et centrifugae, tendentiae igitur, quae, utpote fundatae in ipsis societatis membris, *internae* vocari fas est, in oppositione ad externas, quae ab extra unitatem societatis alicuius destruere conantur. De unitate sic intellecta (nondum de stabilitate) agendum nobis est.

Unitatem Ecclesiae intellegimus *plenam,* i. e. simul cum catholicitate seu universalitate, qua una Ecclesia catholica, sparsa in universa terra, complectitur fere 300 000 000 membra.

A. Factum, seu veritas historica.

619. Factum unitatis constat: Ecclesia catholica, qualem nunc in mundo cernimus, est una perfectissima unitate, praedita *auctoritate monarchica,* scilicet primatu, cui subduntur episcopi ut

praepositi monarchici singularum dioecesium, quos adiuvant parochi, catechistae, theologi etc. (cf. *CIC* 218—486). *Finis,* quem haec societas religiosa prosequitur, *iisdem* in omnibus partibus terrae *mediis* obtinetur; finis scilicet primarius, *sanctificationis,* eodem sacrificio missae atque iisdem septem sacramentis. Immo alii quoque ritus, ab Ecclesia instituti et approbati, salva certa varietate in minoribus, iidem servantur in omnibus regionibus. *Doctrina* porro uniformis est ita ut possit fieri catechismus universalis, qui non solum aliqua communia continet sed eandem prorsus doctrinam, quae nempe invenitur in veritatibus revelatis et ab Ecclesia sollemni iudicio ut credendis propositis, et in aliis quarum certitudo non ad hunc gradum pertingit (*CIC* 1322 sqq.). Munus vero praedicandi evangelium competit ex doctrina ipsius Ecclesiae praecipue Romano Pontifici, pro universa scilicet Ecclesia, episcopis autem pro suis dioecesibus (*CIC* 1327, 1); iidem soli missionem legitimam dare atque doctrinae praedicandae et docendae iugiter invigilare possunt et debent.

Haec unitatis persuasio, sicut in antiqua Ecclesia viguit (n. 396 sq.), ita in Ecclesia catholica nunc exsistente elucet tum ex documentis, quae edita sunt ab eius auctoritate suprema (ut Codex Iuris Canonici plurimaeque constitutiones et decreta Sedis Apostolicae), tum ex submissione, qua membra Ecclesiae huic sese auctoritati subiciunt; unum *iuramentum antimodernisticum,* ab omnibus sacerdotibus praestandum, clare hoc evincit (*D* 2145 sqq.).

B. Discussio facti, seu veritas philosophica.

620. Unde haec tam admirabilis unitas, quae in nullo alio coetu invenitur? Membra enim Ecclesiae non congregantur vi et violentia, qua subiectio, externa saltem, extorqueri potest. Quodsi obiciant Ecclesiam usam fuisse bracchio saeculari, dicendum erit difficillimis quibusque temporibus hoc ei bracchium defuisse; si vero postmodum tantum influxum in magistratus civiles exercuit: undenam hic influxus? Haec iam unitas eo magis admiranda videtur, quo maior est numerus et vis rationum, quae sese isti unitati *opponunt.* Quae sunt partim *internae;* nam homines diversissimi (natione, cultura, omnibus condicionibus) unam eandemque religionem sequi debent, quae ordinat vitae rationem usque ad particularia atque ad ipsos actus internos, saepe difficiles et arduos; quae reprimit tendentias seditiosas; quae renovat, si quae minus bona neglegentia et incuria humana paulatim in gregem Christi irrepserunt. Accedit, quod haec renovatio interdum ipsis praepositis ecclesiasticis sit necessaria; homines enim sunt, ex quorum sanctitate plurimum dependet salus Ecclesiae. Neque

ipse Romanus Pontifex est impeccabilis; nam charisma infallibilitatis respicit Ecclesiam, eius nimirum depositum fidei integre servandum fideliterque exponendum.

Rationes vero *externae* sunt innovatores, haeresiarchae, auctores schismatum, qui lacerare contendunt Ecclesiae unitatem, sive regiminis sive doctrinae. Atque hi saepissime invenerunt auxilium penes potestatem civilem, apud scientiam deviatam, sive theologicam (rationalisticam) sive profanam (cf. *modernismum* qui vocatur; *D* 2001 sqq. 2071 sqq.), apud omnes denique et tam multos inimicos Ecclesiae. Haec iam solae inimicitiae acerrimae omnium oculos in hanc Ecclesiam advertere atque mentes implere debent admiratione tantae fortitudinis.

Dicunt quidem Ecclesiam unitatem eo sibi servasse quod membra dissidentia absciderit a corpore. — *At* mansit Ecclesia universalis simul et una. Tanti autem hanc unitatem facit, ut potius nationes integras gregem derelinquere velit, quam ut unitatem laedat; quinam ex coetibus aliis christianis idem dicere valet?

Neque concedunt adversarii Ecclesiae immutabilitatem, sed contendunt ipsam quoque succumbere legi evolutionis. — *Sed* ipsi iidem concedunt Ecclesiam catholicam iam exstitisse tempore Clementis Romani (circa annum 96), immo iam tempore Pauli; quomodo igitur huius Ecclesiae, sive initium sumpserit saeculo III christiano sive II sive I, unitatem explicant?

Ratio igitur huius unitatis, cum naturalis esse nequeat, interventus debet esse Dei, miraculum scilicet continuum, patratum in favorem et testimonium Ecclesiae catholicae.

III. Stabilitas.

621. Stabilitas respicit Ecclesiam ut societatem, quatenus *ut unum corpus* exsistentiam et integritatem suam tuetur et defendit contra influxus *externos* infensos, qui eam vel e medio tollere (vi et violentia, persecutionibus cruentis, caede capitis vel membrorum, coactione qua socii separentur a societate) vel indirecte destruere conantur, proponendo ei nempe alium finem, impediendo eandem in adhibendis mediis sibi propriis, mutando eiusdem organisationis et constitutionis formam. Sic Ecclesia essentialiter mutatur seu potius destruitur, si hierarchia vel doctrina vel media sanctificationis (sacrificium missae et sacramenta) abrogantur vel totaliter vel partim. Ex quibus dictis patet stabilitatem, huiusmodi mutationibus oppositam, intime cohaerere cum unitate.

A. Factum, seu veritas historica.

622. Stabilitas Ecclesiae constat ex ipsius exsistentia eiusque historia, quae narrat de persecutionibus inde a tempore „decem

persecutionum" romanarum et martyriorum in regno Sassanidarum parthico usque ad tempora novissima. Persecutiones vero incruentas et indirectas videre est in historia haeresium et schismatum, inde ab adversariis Pauli iudaizantibus et gnosticis. Hisce persecutionibus rami quidem integri fere soluti sunt ab arbore Ecclesiae, at Ecclesia ipsa non interiit; novas sibi provincias acquisivit opera, sudore, sanguine suorum filiorum. Virus autem erroris non invasit venas Ecclesiae neque ipsam infecit haeresis contagione; sed fideliter eandem semper servabat *„sanam doctrinam"*, eadem media salutis, eandem successionem legitimam auctoritatis hierarchicae.

B. Discussio facti seu veritas philosophica.

623. Ratio aliqua huius stabilitatis inveniri potest in ipsa forma organisationis monarchicae et centralis; *primatus* certe est munimentum Ecclesiae fortissimum, etiamsi abstrahatur ab eius origine divina, sive intellegitur primatus iurisdictionis sive doctrinalis. Sed haec constitutio sola non explicat firmitatem ullius societatis, multo minus Ecclesiae, in tot temporum discrimine, quippe cui deesse videntur arma ad repellendas persecutiones violentas; neque enim violentiae vim opponere potest, neque omnia illa media adhibere, quae eius hostes apta esse putant ad debellandam Ecclesiam, sive licita sive illicita et immoralia.

Quonam porro modo factum est et fit, ut Ecclesia eximatur a lege alioquin universali evolutionis et periodicitatis, florescentiae et declivitatis? Quotiescumque ab adversariis dicebatur morti proxima, quasi reviviscens, vel potius denuo manifestans vires suas inexhaustas vitamque semper vigentem, novos protulit fructus uberrimos. De his in parte sequenti.

IV. Fecunditas et sanctitas.

624. Fructus Ecclesiae imprimis illi censendi sunt, qui correspondent fini suo, quem ipsa ut principalem assignat, et qui societati religiosae ut tali sunt proprii, scilicet *sanctificationis*. De sanctitate igitur imprimis agendum erit; de aliis autem bonis, quae sub nomine *„culturae"* comprendi possunt, in appendice breviter disseremus.

Sanctitas dicit relationem hominis ad Deum, coniunctionem scilicet cum Deo vel subiectivam, per actus (naturaliter vel supernaturaliter) recte ordinatos (virtutum, imprimis religionis, spei, amoris; si habeatur religio revelata, etiam fidei), vel insuper obiectivam, per donum Dei animis hominum inditum. Ecclesia profitetur se utramque asseclis dare. *Sancti* proinde sunt homines cum Deo coniuncti, sive definitive (comprehensores in caelis), sive

degentes adhuc in terris in statu viatorum qui vocantur. Sensu speciali „*sancti*" illi caelites vocantur, qui iudicio sollemni Ecclesiae ut tales declarati fuerint et fidelibus ut patroni et exempla proponuntur (cf. n. 850). Improprie et analoge etiam media sanctificationis vocari possunt sancta.

Argumentum ex sanctitate Ecclesiae depromptum natura sua restringitur ad eius *manifestationem* externam, per *media* scilicet quae adhibet, maxime autem per *fructus* sanctitatis, qui apparent in filiis Ecclesiae, sive vita sancta personali, sive donis divinis (charismatibus, miraculis), quibus Deus sanctitatem servorum suorum testatur. Experientia constat sanctitatem Ecclesiae esse rationem efficacissimam ad convincendas mentes hominum de veritate et missione eius divina. Neque huic efficaciae obesse possunt plurimi, qui, licet religionem catholicam exterius profiteantur, alieni tamen sunt ab eius spiritu. Immo historia illud non satis mirandum factum nobis refert: scilicet Ecclesiam iisdem temporibus, quibus delabi videbatur, sanctorum abundantiam produxisse, ut e. g. saeculo IV (ariano) vel XVI[17].

A. Ecclesia sancta *mediis*.

625. *Media* ab Ecclesia adhibita sunt regimen (quatenus est societas), doctrina, cultus (quatenus est societas religiosa, cuius finis primarius est sanctificatio hominum). Iamvero neque in regimine neque in doctrina neque in cultu Ecclesiae quidquam reperiri potest, quod vel repugnet legi divinae vel non correspondeat normae sanctitatis perfectae. Id quod adeo verum est, ut coetus christiani acatholici eosdem mores et easdem institutiones, quas aliquando Ecclesiae exprobrarunt, magnam partem ipsi iam receperint, ut organisationem episcopalem *(Hochkirche)*, orationes in ecclesiis etiam communes, atque adeo exercitia quae vocantur *(Seelsorge an Seelsorgern)*, invocationem sanctorum atque ipsius B. V. Mariae; confessionem privatam; renovationem cultus externi et liturgiae, alia. Quidnam autem ipsa Ecclesia sentiat de sanctitate, quae decet suos sacerdotes et ministros, videri potest ex eius *Codice Iuris Canonici* (De obligationibus clericorum: *CIC* 124—144; De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi: *CIC* 2376—2389 et alii). Quas leges non fuisse vel esse mortuas ostendunt plurimi sacerdotes, episcopi, papae, aureola sanctitatis insigniti.

B. Ecclesia sancta *fructibus*.

Delineamus summa capita tantum huius partis amplissimae (cf. n. 589 sqq.), ita quidem ut prius de sanctitate personali, deinde de donis divinis agamus.

626. 1. De *sanctitate personali.* — a) *Membra Ecclesiae ut talia* agunt vitam religiosam et moraliter bonam. Vitam quidem *religiosam* eiusque exercitia, cultum imprimis divinum, florere in Ecclesia probandum non est. Unus *Deus* verus, subsistens in tribus personis, agnoscitur, adoratur, colitur; eidem offertur sacrificium incruentum missae; eidem sanctificatur septimus quisque dies, quo ex praecepto assistunt catholici huic sacrificio. Sacerdos autem proprius huius sacrificii et simul munus oblatum est ipse *Iesus Christus,* Filius Dei unigenitus, *caput* Ecclesiae, quae est corpus Christi mysticum (cf. n. 404 sq.; n. 925 sqq.); corpus autem Christi physicum sub specie panis semper praesens est suis membris in sanctuariis catholicis, immo ut cibus animae in sacro convivio eucharistico intime sese fidelibus communicat; hoc sacrificio et hoc convivio Christus est *cor* suae Ecclesiae mysticum (cf. n. 932), centrum cultus catholici. Huic autem cultui latriae, qui soli Deo convenit, subordinatur cultus duliae, qua Ecclesia suos *sanctos* colit, inter quos eminet immaculata mater Iesu Christi, *B. V. Maria*; ipsa filiis Ecclesiae est mater misericordiae et omnis gratiae, digna cultu hyperduliae quae vocatur, ianua caeli et stella matutina diei felicis aeternitatis, ad quam peregrinantur veri filii Ecclesiae ex hac lacrimarum valle (cf. n. 937).

Cum exercitio religionis intime cohaeret, utpote cum fundamento, *vita moralis.* Ecclesia inculcat, fideles observant legem naturalem omnium conscientiis inscriptam. Implent officia erga proximum in vita politica, sociali, familiari. Ecclesia mitigavit et abrogavit servitutem, elevavit condicionem mulieris, providit sorti infantis, praescripsit caritatem universalem, quae sese extendat imprimis ad omnes egenos, aegrotos, captivos, immo inimicos, ad mortuos atque ad animas in purgatorio detentas. Heroes caritatis eorumque opera Ecclesiae innumeros conciliarunt animos; quis enim resistet caritati?

Media porro religiosa (sanctificationis) promovent omnem virtutem; sufficiat duo sacramenta nominare: paenitentiae et ss. eucharistiae, quae effectus sane mirabiles in hominibus protulerunt, sicut ipsi adversarii fatentur. Ex altera parte Ecclesia *punit* delicta suorum poenis etiam gravissimis (cf. *CIC* 2195 sqq.)[18]. Hinc est quod Ecclesia numquam indiget vel indiguit reformatore externo; in se ipsa nimirum habet quibus omnibus languoribus et vulneribus mederi possit, modo ne desint qui haec media salutifera applicent. Teste autem historia tales semper Deus suae Ecclesiae suscitavit viros, ut Patres temporis antiqui, ut Romanos Pontifices: *Pium V, Pium X, Benedictum XV,* papam caritatis et pacis, alios.

627. b) Et haec quidem valent universim, de omnibus scilicet Ecclesiae membris; speciali autem consideratione digni sunt *ordines* religiosi et *sancti* canonizati.

Et primum quidem de *ordinibus*. — Doctrina Ecclesiae catholicae continet non sola praecepta, sed etiam *consilia* quaedam, quae iis proponuntur, qui via securiore ad perfectionem, omnibus christianis appetendam et possibilem, pervenire velint. Quae consilia observari possunt a singulis vel etiam, facilius, a pluribus, vita scilicet communi. Quodsi talis vitae ratio firmetur votis et confirmetur ab Ecclesiae auctoritate, vocatur *religiosa* (sensu stricto). „Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est" (*CIC* 487). *Finis* principalis est servitium Dei, hinc sanctificatio propria; finis secundarius, maxime varius, specificat singulos ordines vel congregationes[19]. *Media* sanctificationis, statui religioso propria, sunt vota observanda; et tria quidem substantialia enumerata, quibus tamen alia addi possunt, prout finis ordinis peculiaris fert. De *fructibus* sanctitatis et caritatis horum ordinum nulla potest controversia esse inter eos, qui norint historiam Ecclesiae sive antiquitatis sive mediae aetatis sive etiam temporis recentioris. Quidnam ordines *contemplativi* Ecclesiae profuerint, difficulter quidem statistice determinari potest; eos esse influxus ingentis cum Ecclesia eius filii omnes persuasum habent. Opera autem misericordiae multiplicia, quae magna ex parte fieri non potuerant nisi talibus piis organisationibus, respiciunt scholas, orphanotrophia, nosocomia, hospitia, missiones exteras; ipsa praedicant uno ore catholici et acatholici.

Immo etiam *adversarii* Ecclesiae catholicae, qui olim eius ordines acriter impugnabant ut focos pigritiae, immoralitatis, servitutis indignae, vel cessant ab his accusationibus vel etiam ipsi simile quid instituere conantur, persuasi nimirum efficacia consociationis religiosae, quae quaerit non quae sua, sed quae Christi, quae Ecclesiae, quae proximi sunt.

628. De *sanctis* et *martyribus*. — Cum de *sanctis* iam supra (n. 590) actum sit, addamus aliqua de martyribus.

Martyres (testes) vocantur[20] illi, qui professionem fidei catholicae sanguine suo et morte sua confirmarunt. Tria igitur sunt, quae requiruntur ut quis dici queat martyr: (1) pro veritate religionis christianae, catholicae, (2) mors infligitur a persecutore, sive diserte ob odium religionis christianae, sive propter scelera ficta et false martyri adscripta; quae mors (3) a martyre

patienter, ex motivo religioso, admittitur et toleratur. Martyrum *numerus* est vere ingens, inde a primis Ecclesiae saeculis, ita ut exaggeratione nullo modo indigeat; neque desunt nostris temporibus, saeculo scilicet XIX et XX (cogita persecutiones sinensem [1900], russiacam, inde ab anno 1920). *Tormenta* partim sunt inaudita, crudelissima, per longius tempus protracta, saepius iterata; neque deerant promissiones et blanditiae, si quis deficere vellet a religione christiana. Attamen plurimi, omnis aetatis, sexus, condicionis socialis, potius omnium bonorum temporalium et ipsius vitae iacturam pati voluerunt quam ut fidem Ecclesiae frangerent. Quin immo *desiderium* mortis pro Christi nomine susceptae hereditarium fere dici debet non solum inter christianos primorum saeculorum, sed in omnibus generationibus catholicae Ecclesiae.

Quibus expositis vis huius argumenti patet; haec scilicet constantia animi atque hoc ardens desiderium non sunt naturalia et mere humanae originis, sed, cum pugnent cum inclinationibus ipsi naturae innatis, reducenda sunt ad auxilium peculiare divinum seu miraculum morale. Cum autem in *singulis* casibus non ita facile ad certum iudicium perveniri possit[21] — iudicium de causa martyrii Ecclesia sibi reservavit: *CIC* 2101 sqq. — argumentum tutum desumitur ex *conspiratione tot martyrum* in testimonium Ecclesiae catholicae.

629. 2. De *donis divinis* (charismatibus) non est cur fusius agamus (cf. n. 590). *Miracula,* optime probata, non desunt Ecclesiae; acta ecclesiastica de processibus beatificationis et canonizationis uberrimam suppeditant materiam[22]. —

Itaque Ecclesia est sancta *mater sanctitatis,* cuius laudes canunt ipsius *filii,* quos procreavit et erudivit et educavit. At vero civitas in monte posita non potest non illuminare etiam *regiones adiacentes*, provincias finitimas. Fons iugiter manans benedictionis caelestis rivulos suos non detinet intra muros, sed ex abundantia sua irrigat etiam terras longinquas easque praeparat ad recipiendum semen evangelicum[23]. Dives thesauris caelestibus, quas ei sponsus Iesus Christus ut arrham commisit, Ecclesia non invidet illis, quos aliquando suos filios vocavit, nunc autem extra domum paternam errantes videt atque reducere cupit ad sinum maternum. Ecclesia etenim fovet quidquid in ipsa et extra eam invenitur boni et salutaris, certa cum sit haec omnia ideo a Deo et a Iesu Christo hominibus dari, ut vel membra Ecclesiae permaneant et se salvent in ipsa vel ut perveniant vel ut redeant ad portas Ecclesiae atque ipsius salutis aeternae[24].

630. Restat ut pauca quaedam disseramus de fructibus naturalibus, quae sub nomine *culturae* comprehenduntur. Haec autem cultura distinguitur materialis et spiritualis, — de religiosa et morali iam egimus. *Materialis* providet commoditatibus vitae terrestris, cuius media principalia sunt divitiae et ea quae divitias parare possunt: potentia politica, influxus socialis, proxime autem agricultura, industria, commercium fundata in fertilitate vel in mineralibus terrae, in viis communicationis et aliis condicionibus naturalibus, virtute hominum exculta atque evoluta. Hanc culturam mere materialem non posse esse signum distinctivum verae religionis patet ex ipso fine religionis et ex eo quod condiciones naturales huius culturae modo enumeratae maxima ex parte decursu temporum penitus mutari possunt.

Cultura autem altior, *spiritualis* nempe, propius accedit ad illam, quae sola hanc denominationem mereri videtur, religiosam nimirum et moralem, sine qua omnis alia valore suo destituitur, sive scientia sive artes. Et fatendum quidem est Ecclesiam decursu saeculorum tantopere sese praebuisse fautricem scientiae omniumque artium, ut vinculum aliquod naturale paene admiseris intercedere inter eam et hanc culturam spiritualem. Scholae scientificae inde ab alexandrina et antiochena, universitates mediae aetatis et studia ordinum generalia, seminaria, facultates philosophicae, theologicae, iuristicae, atque integrae scientiarum universitates tempore etiam recentiore (in Belgio, Helvetia, Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, Hollandia atque imprimis in Italia), quibus accedunt innumerae scholae mediae et inferiores, bibliothecae, collectiones scientificae et artium aliaque media scientiae et studii, probant hanc Ecclesiae curam et sollicitudinem. *Artes* autem modo vere magnifico fovit et auxit. Nam non solum doctrina sua sublimi inspiravit et excitavit ingenium artificum, non solum cultum suum modo artificioso excoluit, ita ut fere videatur concentus artium inter se aemulantium, quaenam potiores partes haberet in laudando Deo atque augustissimo sacrificio missae et augustissimo sacramento eucharistico, sed ipsas quoque aedes sacras transmutavit in opera artis eximiae, ornata picturis et sculpturis [25].

Haec omnia autem, licet bona sint et animos hominum attrahant, tamen non sunt nisi vestibula quaedam, per quae aditus fit ad ipsum sanctuarium Ecclesiae. Quae, si quando destruerentur, Ecclesiae ipsi nil detraherent veritatis et pulchritudinis eiusque divitias divinas neutiquam diminuerent. Est enim societas religiosa: ut talis curat bona religiosa, doctrinam et cultum; ut talis etiam est *signum levatum in nationes* atque per se ipsa magnum et perpetuum motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

631. NOTAE. — **1** Protestantes agnoscentes vim huius argumenti simile quid pro sua ecclesia statuere conantur; cf. *M. Hennig*,* Unserer Kirche Herrlichkeit. Tatbeweise des Lebens unserer evangel. Kirche. Hamburg 1913. — **2** Collectio Lacensis VII 533; *Th. Granderath,* Constitutiones dogm. ss. oecum. Concilii Vaticani (Friburgi 1892) 87 sq.; *Granderath-Kirch,* Gesch. des Vatikan. Konzils II (Freiburg 1903) 363 sqq. — **3** De civ. Dei 22, 5; *CB* ed. *Hoffmann* II 588 sq. — **4** *Th. Specht,* Die Lehre von der Kirche nach dem h. Augustin

(Paderborn 1892) 224 sqq., ubi agitur de notis Ecclesiae, de eius visibilitate, indefectibilitate, infallibilitate, catholicitate, unitate, apostolicitate, sanctitate, necessitate. Cf. *Ioan. Chrysost.*, In Eutropium, *MSG* LII, 397 sq. 402. — **5** *I. Zahn,* Die apologet. Grundgedanken 68 sqq.; *G. Schmitt,* Die Apologie der drei ersten Jahrhunderte in hist.-system. Darstellung (Mainz 1890) 88 sqq. — **6** De S. Thoma eiusque argumento allato cf. *M. Grabmann,* Die Lehre des hl. Thomas v. Aquin von der Kirche als Gotteswerk (Regensburg 1903) 83 sq. — **7** Veritatem religionis christianae hoc argumento probant e. g. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. I $^{6/7}$, n. 248 sqq.; *idem,* Compendium I ^{2}, n. 166 sqq.; *I. Ottiger,* Theol. fund. I (1897) 846—903, qui tamen in tomo II plurimam materiam agens de notis Ecclesiae, affert; *A. Tanquerey,* Synopsis theol. dogm. fund. (^{10} Tornaci 1906) 213 sqq.; *S. Schiffini,* De vera religione (Senis 1908) 104 sqq.; *I. Müller,* De vera religione (Oeniponte 1901) 482—647; *Th. Specht,* Lehrbuch der Apologetik oder Fundamentaltheologie, quem librum haud parum auctum et amplissima bibliographia ornatum denuo edidit *G. L. Bauer* (^{2} Regensburg 1924) 233 sqq. — **8** *V. A. I. Dechamps* C. SS. R. (1835), archiepiscopus Mechliniensis (1867), S. R. Ecclesiae Cardinalis (1875), plurima opera scripsit indolis apologeticae, inter quae Entretiens sur la démonstration catholique de la vérité chrétienne (1857); Le Christ et les antichrists (1856). Ideam, quam maxime propugnavit, ita ipse aliquando exprimit: Ecclesia est ipsum motivum credibilitatis, quod „se distingue de tous les autres en ce sens, qu'il est présent, vivant et parlant, par conséquent, en ce qu'il se manifeste et s'explique lui-même" (Cinquième lettre théologique 159). Cf. *A. Largent* in Dict. de Théol. cath. IV (1911) 178 sqq. — **9** *I. B. Heinrich* e. g. in opere ex gallico (card. Dechamps) verso: Christus und die Antichristen (Mainz 1859) 436 sqq.; *idem,* Dogmat. Theol. I (1881) 305 sqq.; praeter eum et partim ante eum *F. X. Dieringer,* System der göttl. Taten des Christentums oder Selbstbegründung des Christentums vollzogen durch seine göttl. Taten, Mainz 1841. *I. Kleutgen,* auctor schematis mutati Concilii Vaticani (*Granderath-Kirch* l. c. 363 sqq.). Huc pertinent cardinales *Manning* et *Newman.* — **10** Praeclare *G. Wilmers* (De religione revelata, Ratisbonae 1897) probat hoc argumento prius veritatem religionis christianae (433—617), deinde ostendit hanc religionem christianam esse Ecclesiam catholicam, cui haec omnia competunt (618—657). — Similiter *J.-V. Bainvel,* De vera religione et apologetica (Paris 1914) 189 sqq.; qui liber excellit methodo sana, compendiosa abundantia, bibliographia selecta. — Latissime exponit idem argumentum *J. Didiot,* Logique surnaturelle objective (Paris 1892), breviter *Y. de la Brière* s. v. „Église" in Dict. apolog. I 1289 et *M. d'Herbigny,* Theologica de Ecclesia II 219 sqq. — *S. Weber* (Christliche Apologetik, Freiburg 1907) agit in libro suo, qui auctoris sane eruditionem non minus quam iudicii sobrietatem praedicat, de necessitate Ecclesiae (p. 242 sqq.), de eius fundamento historico (248 sqq.), et quidem simili ordine ac in hoc tractatu ipsi secuti sumus, de testimonio „pragmatico" divinae originis Ecclesiae (261 sqq.); de notis denique Ecclesiae (276 sqq.). *Idem* denuo edidit *F. Hettinger,* Lehrb. der Fundamentaltheologie, ^{3} Freiburg 1913. — *Ph. Kneib* (Handb. der Apologetik, Paderborn 1912) non exponit diserte neque notas Ecclesiae neque argumentum empiricum, plura autem, quae proxime accedunt ad hoc argumentum, nempe convenientiam Ecclesiae (p. 592 sqq.), relationem eius ad scientias (595 sqq.) et inquisitionem scientificam (664 sqq.), ad vitam moralem (689 sqq.) et ad culturam (772—803). — Optime argumentum explanatur in apologia *Esser-Mausbach,* Religion, Christentum, Kirche (^{5} München 1924), scilicet ab *I. P. Kirsch,* Die Geschichte der Kirche ein Zeugnis ihrer höheren Sendung, et *I. Mausbach,* Die Kirche u. die moderne

Kultur (III 167 sqq. 339 sqq.); *E. Krebs,* Dogma u. Leben I[2] (Paderb. 1923) 23–41; *Hergenröther-Kirsch,* Handb. der allg. Kirchengesch. I[5] (Freiburg 1911) 136 sqq.; rationes, quibus *A. v. Harnack**, Die Mission I[4] 526 sqq., II[4] 938 sqq. 956 sqq. contrarium probare studet, vi carent. — **11** Cf. missiones in extremo Oriente, ut in Iaponia (saec. XVI/XVII), in Korea (saec. XIX), in Sina (saec. XIX/XX); fructus mirabiles sanctitatis et heroicitatis omnes fere missiones protulerunt, e. g. martyres Uganda. — **12** Materiam apte collegit *A. v. Harnack** l. c. II[4] 529 sqq.; alia opera v. n. 456. — **13** *E. Hennecke**, Neutest. Apokryphen, [1]Tübingen 1904, [2]ibid. 1924; *K. A. H. Kellner,* Jesus von Nazareth und seine Apostel im Rahmen der Zeitgeschichte, Regensburg 1908. — **14** Bibliographiam de viis commercialibus cf. n. 456. — **15** *I. Geffcken** (Der Ausgang des Griechisch-Römischen Heidentums [Heidelberg 1920] 245) haec scribit: „Der Sieg des Christentums bleibt somit für den, der kein wohlparagraphiertes Handbuch für kompendiumssüchtige Lesermassen schreiben muß, ein ernstes Problem, das nicht durch eine Reihe schnell aufzuzählender Faktoren aufzulösen ist; vor uns liegt eine lange und wechselvolle Entwicklung, ausgegangen von einer Persönlichkeit, die in der Geschichte ihresgleichen nicht hat und so allerdings des Rätsels Lösung enthält." *Geffcken,* utpote protestantismo deditus, loquitur de religione christiana, non de Ecclesia; diserte etiam reicit rationes a *Hergenröther-Kirsch* (l. c. I[5] 136) propositas, quae scilicet non sint neque verae neque falsae. Valor libri consistit in amplissima materia simul et bibliographia. — **16** De *Buddhismo* cf. *H. Oldenberg**, Buddha, sein Leben, seine Lehre, seine Gemeinde, [6]Berlin 1914; *I. Dahlmann,* Buddha, ein Kulturbild des Ostens, Berlin 1898; *Hardy-Schmidt,* Der Buddhismus, Münster 1919; editor huius editionis tamen nimium concedit theoriis recentioribus, admittens dependentiam evangeliorum ab influxu buddhistico; *H. Heuvers,* Der Buddhismus und seine religiöse Bedeutung für unsere Zeit, Aachen 1921. — De *cultu caesareo* opus classicum, licet nunc iam in multis complendum, scripsit *E. Beurlier,* Le culte impérial, Paris 1891. Optima in libro *A. Stein**, Untersuchungen zur Geschichte und Verwaltung Aegyptens unter römischer Herrschaft, Stuttgart 1915. De initiis huius cultus sub Augusto cf. *H. Dieckmann,* Der Kaiserkult unter Augustus (Stimmen der Zeit XCVI [1918] 46 sqq. 129 sqq.); *G. Herzog-Hauser**, Kaiserkult (*Pauly-Wissowa-Kroll,* Real-Encyclopädie der class. Altertumswissensch. Supplementband IV [Stuttgart 1924] 806—853). — De *Arianismo* cf. *Hergenröther-Kirsch* l. c. I[5] 382 sqq.. — De *Protestantismo* l. c. III[5] 361 sqq.; *Esser-Mausbach* l. c. III[1–4] 156, III[5] 324. — **17** Cf. bibliographiam in nota 10 allatam. — **18** Statisticam mere numericam nil probare posse patet; cf. e. g. *I. Ottiger* l. c. II 967 sqq.; *H. Krose,* Einfluß der Konfession auf die Sittlichkeit, Freiburg 1900; *H. Rost,* Die Kulturkraft des Katholizismus, Paderborn 1916; cf. Dict. apolog. I 544 sqq. s. v. „Criminalité du Clergé". — **19** De divisione ordinum cf. *CIC* 488 sqq.; *M. Heimbucher,* Die Orden u. Kongregationen, 3 vol., Paderborn 1907; *B. Arens,* Handbuch der kathol. Missionen, Freiburg 1920; *O. Braunsberger,* Rückblick auf das Ordenswesen im 19. Jahrhundert (Erg.-Heft zu den Stimmen aus Maria-Laach LXXIX, Freiburg 1901; *P. Kirsch* in *Esser-Mausbach* l. c. III[4] 51 sqq., III[5] 218 sqq. — **20** De *nomine* martyris in primaeva Ecclesia controversia aliqua orta est, in qua variae sententiae expositae sunt a *Harnack** (1910), *Holl** (Neue Jahrbücher 1914, 1916; Hermes 1917); *Corssen** (Neue Jahrbücher 1915), *Krüger** (Zeitschr. für neutest. Wissensch. 1916), *Schlatter** 1915, *Doergens* (Katholik 1918). — **21** De difficultatibus huius argumenti v. *I. Ottiger* l. c. I 887; si agatur de acatholicis, qui pro fide christiana vitam suam dederunt, inquirendum est non solum in veritatem historicam, sed etiam in philosophicam et theologicam,

praecipue in motivum et causam (veritatem), ob quam mortem subierunt. — **22** Cf. *G. Wilmers* l. c. 633 sqq.; *I. Ottiger* l. c. II 975 sqq.; *A. Straub,* De Ecclesia Christi II 733 sqq. — **23** Cf. n. 591 595; plura in *conspectu dogmatico* in fine huius operis (n. 897 sqq). — **24** *Esser-Mausbach* l. c. III[4] 305, III[5] 481. Idea unionis et unitatis omnium christianorum tempore recentiore plurimum aucta est; cf. *M. Reichmann,* Christliche Wiedervereinigung (Stimmen der Zeit CVI [1923] 99 sqq.); *H. Dieckmann,* Die Wiedervereinigung im Glauben (Chrysologus LXIV [1923/4] 112 sqq., cum bibliographia. — **25** Cf. Encyclicas *Leonis XIII* „Immortale Dei" (de die 1. Nov. 1885, ed. *Desclée* II 146) et „Satis cognitum" (de die 29. Iunii 1896, n. 965 sqq.); ulteriorem bibliographiam afferre longum est; omnia enim opera historica et litterario-historica, sive agunt de antiquitate christiana (*Döllinger, Fouard, Allard, Batiffol, Bardenhewer, Grisar, Kirsch, Cavallera, Schnürer,* alii) sive de media aetate (*Michael, Grupp, Dighby-Kobler, Löffler,* alii) sive de tempore recentiore (*v. Pastor, Janssen*) sive historiam Ecclesiae universalem describunt (*Stolberg, Hergenröther, Hefele, Rohrbacher,* alii) sive attendunt ad relationem Ecclesiam inter et vitam religiosam, moralem, culturalem (*Kirsch, Mausbach, Rost, Denifle, Buchberger, Scheuber*, apologiae quae vocantur *Schanz, Hettinger, Vosen, Weiss,* alii) spectant ad hanc assertionem; atque etiam suo loco Dictionaria afferunt bibliographiam; egregie *Bainvel,* De religione revelata et apologetica 78 sqq.

INDEX SCRIPTURISTICUS.

(Numeri sunt marginales.)

Gen.

12, 1 sqq.: **36 38 207.**
12, 7: **36.**
15, 18: **36.**
17, 4 sqq.: **36.**
49, 18: **38.**

Ex.

3, 13 sqq.: **38.**
19, 4 sqq.: **39.**
24, 1 sqq.: **193.**

Lev.

26, 3 sqq.: **40.**

Num.

24, 17: **80.**

Deut.

18, 15: **41.**
30, 1 sqq.: **40.**

Ios.

21, 43 sqq.: **42.**

Iud.

8, 22 sqq.: **42.**

1 Reg.

8, 5 sqq.: **43.**

2 Reg.

7, 16: **44 80.**

1 Chron.

28, 5: **23.**

2 Chron.

13, 8: **23.**

1 Esdr.

7, 6 11: **53.**

Ps.

2, 1 sqq.: **52.**
15, 1 10: **52.**
21, 1 15: **52.**
46, 2 3 7: **52.**
71, 1 7 8 11: **52.**
77, 70 sqq.: **374.**
109, 2 4: **52.**

Sap.

5, 1 sqq.: **57.**

Eccli.

36, 1 5 13 sqq.: **56.**
45, 31: **56.**
47, 13 24: **56.**
48, 10: **56.**
49, 12: **57.**

Is.

1, 16 sqq.: **48.**
2, 2 sqq.: **48 207.**
11, 1 sqq.: **48.**
22, 15 sqq.: **369.**
33, 22: **48.**
40, 11: **374.**
49, 6: **207.**
52, 7: **48.**
56, 7: **48 207.**
66, 21: **48 207.**

Ier.

23, 1 sqq.: **374.**
31, 4: **339.**
31, 31 sqq.: **176.**
32, 40 sq.: **49.**
33, 8: **49.**

Ez.

11, 19 sq.: **49.**
17, 22 sq.: **207.**
34, 1 sqq.: **374.**
37, 25 sq.: **49.**

Dan.

2, 44: **51 207.**
7, 12 27: **51 80 207 225.**

Os.

2, 22: **47.**
3, 5: **47.**

Amos

9, 11: **47 207.**

Agg.

1, 13: **442.**
2, 9: **50.**

Zach.

12, 10: **50.**
13, 1: **50.**

Mal.

3, 1: **50 80.**
4, 5 sqq.: **92.**

1 Mach.

1, 45 sqq.: **171.**
3, 19: **25.**
4, 10: **25.**

2 Mach.

6, 10 sqq.: **171.**

Matth.

1, 18 sqq.: **93.**
3, 1 sqq.: **92.**
3, 2: **85.**
3, 11 sq.: **85.**
4, 1 sqq.: **97 154.**
4, 17: **7 127 140.**
4, 18: **255.**
5, 1 sqq.: **127 140.**
5, 11 sqq.: **114 119 217.**
5, 17 sqq.: **180 sqq.**
5, 20: **140 184.**
5, 21: **179 186.**
5, 34: **25.**
5, 35: **188.**
5, 48: **140.**
6, 10: **110 127.**
6, 20: **114.**
6, 33: **121 135 140 161.**
7, 24 sqq.: **367.**
8, 4: **179.**
8, 11: **188 203 218.**
8, 19: **252.**
8, 22: **160.**
9, 14 sqq.: **184 190.**
9, 15: **256.**
9, 33 sq.: **365.**
9, 35 sqq.: **260 275 320 365.**
10, 1 sqq.: **260 262 272.**
10, 2: **357.**
10, 5 sq.: **216.**
10, 7: **203 270.**
10, 16 sqq.: **218.**
10, 23: **110 127.**
10, 28: **114.**
10, 37: **160.**
10, 40 sqq.: **146 275 331 468.**
11, 12 sqq.: **123 180 254.**
11, 25 sqq.: **121 156 225 254 275 356 366.**
12, 1 sqq.: **185.**
12, 22 sqq.: **96 124.**
12, 28: **26.**
12, 38 sq.: **97.**
12, 46 sqq.: **256.**
12, 49 sq.: **146 331.**
13, 1 sqq.: **122 217.**
13, 16 sq.: **121.**
13, 24 sqq.: **114.**
13, 39 sqq.: **380.**
13, 52: **254.**
14, 22: **154.**
14, 28 sqq.: **357 373.**
15, 1 sqq.: **186.**
15, 13 sq.: **184 239.**
15, 21 sqq.: **216.**
15, 24: **179.**
16, 1: **97.**
16, 13 sqq.: **97 225 240 sq. 275 322 332 356 360 366 sqq.**

16, 17—19: **344** ad **361 365** ad **371 571.**
16, 18 sq.: **241 380.**
16, 23: **333 353 357.**
16, 25 sq.: **160.**
16, 28: **110 127.**
17, 23: **283.**
17, 24 sqq.: **357.**
18, 1 sqq.: **320 326.**
18, 10: **25.**
18, 14: **136.**
18, 15: **318.**
18, 17: **340.**
18, 18: **317** sqq. **321 371.**
19, 8: **181.**
19, 12: **141.**
19, 18: **161.**
19, 21: **141.**
19, 24: **24.**
19, 28: **115 216 261 268.**
20, 1 sq.: **161.**
20, 28: **191 276.**
21, 1 sqq.: **96 154.**
21, 25: **25 101.**
21, 28: **217.**
21, 33 sqq.: **217 275.**
21, 43: **218.**
21, 45: **188.**
22, 1 sqq.: **217.**
22, 14 sqq.: **146 154.**
22, 41: **101.**
23, 1 sqq.: **184.**
23, 2 sq.: **179 183 212.**
23, 4: **321.**
23, 13: **369.**
23, 15: **212.**
23, 34: **189 273.**
23, 36: **110.**
23, 38: **186.**
24, 1 sqq.: **115** sqq. **118.**
24, 14: **218.**
25, 14 sqq.: **161.**
25, 31 sqq.: **117 135 218 380.**
25, 40: **145.**
26, 13: **218.**
26, 18: **251.**
26, 28: **192** sq.
26, 29: **127.**
26, 53: **261.**
26, 64: **110 127.**
26, 65: **155.**
26, 68 sqq.: **101 253.**
27, 18 sqq.: **155.**
27, 37: **101.**
27, 42 sq.: **155.**
28, 18 sqq.: **203 219 225 234 275 322 332 356 380.**

Marc.

1, 15: **10 86.**
1, 27: **191.**
2, 18: **253.**
3, 13 sqq.: **259 262 268 275.**
4, 26 sqq.: **136.**
6, 30: **272.**
7, 27: **216 226.**
8, 27 sqq.: **376.**
8, 34: **140.**
11, 17: **226.**
12, 44: **161.**
14, 18 sqq.: **261.**
14, 24: **192** sq.
16, 15: **219.**

Luc.

1, 5 sqq.: **90.**
1, 26 sqq.: **93.**
1, 39 sqq.: **93.**
1, 57 sqq.: **91.**
2, 1 sqq.: **93.**
2, 22 sqq.: **94 179.**
4, 18 sqq.: **187.**
6, 12 sqq.: **259 262 272.**
6, 22: **325.**
6, 48: **367.**
7, 30: **101.**
9, 1 sq.: **259.**
9, 14: **331.**
9, 18 sqq.: **376.**
9, 49: **253.**
10, 1: **252.**
10, 7: **161.**
10, 16: **275 468.**
10, 29 sq.: **217.**
11, 49: **273.**
11, 52: **369.**
12, 8: **25.**
12, 13 sqq.: **154 161.**
12, 16: **161.**
12, 32: **146.**
12, 36 sqq.: **369.**
12, 42: **468.**
13, 6 sqq.: **188.**
13, 13 sqq.: **321.**
13, 26 sq.: **188.**
13, 28 sq.: **218.**
14, 15 sqq.: **101 217.**
14, 24: **188.**
15, 1 sqq.: **217.**
15, 18: **25.**
16, 1 sqq.: **161 217.**
16, 16 sq.: **180 217.**
17, 3: **318.**
17, 5: **273.**
17, 20 sqq.: **97 115 125.**
18, 1 sqq.: **217.**
19, 10: **136.**
19, 42: **96 188.**
21, 24: **186 218.**
22, 3: **261.**
22, 14: **273.**
22, 18: **127.**
22, 20: **192** sq.
22, 25 sqq.: **154.**
22, 31 sq.: **376.**
22, 37: **187.**
23, 42: **154.**
24, 9 sq.: **273.**
24, 21: **99.**
24, 26: **154.**
24, 44: **187.**
24, 46 sq.: **189 216 219.**

Io.

1, 1 sqq.: **226 334.**
1, 15: **92.**
1, 19 sqq.: **239.**
1, 26 sqq.: **85 138.**
1, 35 sqq.: **255.**
1, 42: **357.**
2, 11: **142 255.**
3, 15: **142.**
3, 17: **138.**
3, 25 sqq.: **253.**
3, 27: **25.**
3, 36: **142 220.**
4, 1 sqq.: **253.**
4, 19 sqq.: **98.**
4, 21 sqq.: **186.**
4, 23: **126.**
4, 34 sqq.: **275.**
5, 16 sq.: **185.**
5, 28 sq.: **120.**
5, 46: **191.**
6, 14 sq.: **154.**
6, 66: **252.**
6, 67 sqq.: **260 373.**
7, 12 sqq.: **98.**
7, 23: **321.**
7, 35: **212.**
7, 50 sq.: **101.**
8, 12: **142.**
8, 31: **142.**
10, 1 sqq.: **374 381.**
10, 11: **220.**
10, 41: **98.**
11, 48 sq.: **100 381.**
12, 21: **212 215.**
12, 32 sqq.: **98 220.**
12, 42: **251.**
12, 46: **226.**
12, 48: **120.**
13, 16: **274.**
13, 18: **260.**
13, 34: **233.**
14, 1 sqq.: **120.**
14, 16 sq.: **381.**
15, 16: **260.**
16, 2: **325.**
16, 9: **142.**
16, 14 sq.: **381.**
17, 1 sqq.: **220 334 381.**
17, 6 sqq.: **260.**
17, 14 sqq.: **120 154 260.**
17, 18: **226 275 381.**
17, 20 sq.: **220.**
18, 33 sqq.: **154.**
19, 7: **101 155.**
19, 12 sqq.: **155.**
19, 15: **101.**
20, 21: **220 275 334 478.**
21, 15 sqq.: **372** ad **375.**
21, 18 sqq.: **486.**

Act.

1, 1 sqq.: **260 291 398.**
1, 6 sqq.: **99 154.**
1, 8: **189 231 392 402.**
1, 11: **128.**
1, 13: **262.**
1, 15 sqq.: **260 291** sq. **307.**
2, 5: **392.**
2, 9 sqq.: **445** sqq.
2, 21: **231.**
2, 38: **195 400.**

2, 40: **396.**
2, 42: **398.**
2, 44 sq.: **162.**
3, 24: **195.**
3, 25 sq.: **231.**
3, 26: **189 216 310.**
4, 19: **426.**
4, 27: **426.**
4, 32 sqq.: **162 399.**
4, 36: **293.**
5, 1 sqq.: **162.**
5, 12 sqq.: **396.**
5, 29: **426.**
6, 1 sqq.: **412.**
7, 47 sqq.: **195.**
8, 1: **296 336.**
8, 14: **418.**
9, 1 sqq.: **297.**
9, 2: **283.**
9, 7: **299.**
9, 23 sqq.: **297.**
9, 31 sqq.: **402.**
10, 1 sqq.: **195.**
11, 2: **418.**
11, 19 sqq.: **414.**
11, 22: **418.**
11, 24: **294.**
11, 26: **396.**
11, 29: **399.**
11, 30: **413.**
12, 1 sqq.: **403.**
12, 25: **413.**
13, 1 sqq.: **294 414.** [**212.**
13, 25 sqq.: **195**
13, 46: **189 216 310.**
14, 4: **295.**
14, 14: **295.**
14, 23: **336 415.**
15, 1 sqq.: **402 413.**
15, 11: **193 195 402 408.**
15, 12: **295.**
15, 36: **415.**
16, 3: **195.**
18, 3: **296.**
19, 23 sqq.: **336.**
20, 28 sqq.: **415.**
21, 18: **413 442.**
21, 20: **195.**
22, 6 sqq.: **297 299.**
26, 12 sqq.: **297 299.**
28, 21: **283.**

Rom.

1, 1 sqq.: **302 sq.**
1, 5: **230 392.**
1, 11: **303.**
1, 15: **227.**
2, 19 sqq.: **212.**
3, 29 sq.: **227.**
5, 12 sqq.: **228 397.**
5, 21: **129 382.**
6, 1 sqq.: **149.**
6, 3 sq.: **129 196 229 400.**
6, 17: **398.**
8, 11: **129.**
8, 23: **129.**
9, 3 sqq.: **196 227 311 325.**
10, 4: **197.**
10, 12: **227.**
10, 13 sqq.: **221 302.**
11, 11: **189 196.**
11, 13: **189 304.**
11, 25 sqq.: **189 218 311 382.**
12, 3 sqq.: **404 sq.**
12, 8: **420.**
12, 12: **158.**
13, 1 sqq.: **158.**
15, 15 sqq.: **230 sq. 304.**
15, 31: **399.**
16, 7: **300.**

1 Cor.

1, 12 sq.: **229 400 407.**
1, 17: **302.**
2, 4: **285 306.**
3, 5 sqq.: **416.**
3, 10 sq.: **318 371.**
4, 1 sqq.: **301 416.**
4, 3: **418.**
4, 15 sqq.: **416 419.**
5, 1 sqq.: **325 418.**
5, 5: **325.**
6, 1 sqq.: **418.**
6, 12: **196.**
7, 17 sqq.: **163 195.**
9, 1 sqq.: **303.**
9, 5: **295 300 407.**
9, 16: **221.**
9, 20 sqq.: **195 304.**
10, 16 sq.: **400.**
11, 16: **417.**
11, 25: **192 sq.**
12, 4 sqq.: **404 sq.**
12, 6: **410.**
12, 12 sqq.: **229 405.**
12, 28: **307.**
13, 5: **159.**
13, 10: **129.**
14, 12: **405.**
14, 34 sq.: **417.**
15, 3 sqq.: **129.**
15, 5: **265 274 301 407.**
15, 6: **84.**
15, 7 sqq.: **303.**
15, 22: **228.**
15, 23 sqq.: **129 382.**
15, 25: **112.**
15, 28: **109 158.**
16, 10 sq.: **419.**
16, 15 sq.: **394 420.**
16, 22: **325.**

2 Cor.

3, 1: **283.**
3, 4 sqq.: **302.**
3, 6: **197.**
5, 14 sqq.: **228 397.**
5, 18 sqq.: **302.**
6, 14 sqq.: **396.**
7, 5 sqq.: **419.**
8, 6: **419.**
8, 18 sqq.: **300.**
8, 23: **283 418.**
9, 12: **399.**
10, 1 sqq.: **305 418.**
10, 5: **406.**
11, 1 sqq.: **305.**
12, 12 sqq.: **305.**

Gal.

1, 1 sqq.: **302 sq. 406.**
1, 8 sq.: **325.**
1, 12: **307.**
1, 17: **406 413.**
1, 18: **408.**
1, 21: **444.**
2, 1 sqq.: **295.**
2, 2: **406.**
2, 7 sqq.: **303 306 310 357 408.**
2, 9: **384 413.**
2, 11 sqq.: **194 408.**
2, 20 sqq.: **149.**
3, 2 sqq.: **306.**
3, 24: **196.**
3, 27 sq.: **163 227 sq.**
4, 4: **178.**
4, 24: **197.**
5, 1 sqq.: **196.**
5, 11: **283.**
5, 22: **158.**
6, 15 sq.: **228 397.**

Eph.

2, 12 sqq.: **197 227 392.**
2, 19 sqq.: **318 367.**
3, 6 sqq.: **230.**
4, 1 sqq.: **400.**
4, 4: **230.**
4, 5 sq.: **229 392 478.**
4, 11: **307 420.**
4, 13: **382.**
4, 15 sq.: **230 405 410.**

Phil.

1, 1: **420.**
2, 25: **283 300 420.**
3, 5: **102.**
3, 19 sqq.; **158.**

Col.

1, 12 sqq.: **129.**
1, 23: **398.**
2, 12: **229.**
2, 16 sqq.: **196 sq. 382.**
2, 19: **405 410.**
3, 11: **227.**
4, 13: **446.**
4, 17: **420.**

1 Thess.

2, 3 sqq.: **416.**
2, 7: **301 462.**
2, 13: **468.**
2, 14 sqq.: **189 339.**
3, 2: **419.**
4, 10 sq.: **163.**
5, 12 sqq.: **420.**

2 Thess.

3, 8 sqq.: **163.**

1 Tim.

1, 15: **158.**
1, 20: **325.**
2, 1 sq.: **158.**
2, 4 sqq.: **229 sq.**
3, 1 sqq.: **421.**
3, 15: **421.**
4, 11 sq.: **421.**
5, 17 sqq.: **161 421.**

2 Tim.

4, 10: **449.**

Tit.

1, 5: **421.**
1, 7: **421.**
3, 4 sq.: **421.**
3, 7: **129.**
3, 8 sqq.: **421.**
3, 10: **318.**

Hebr.

1, 2: **109.**
2, 14: **368.**
3, 1: **275.**
8, 8 sqq.: **193.**
9, 15: **197.**
10, 14: **382.**
12, 22 sqq.: **197.**
13, 7: **420.**
13, 17: **420 422.**

Iac.

1, 27: **164.**
2, 2: **336.**
2, 5 sqq.: **164.**
5, 1: **164.**

1 Petri.

2, 5 sqq.: **397.**
2, 13 sqq.: **158 339.**
2, 25: **422.**
4, 10 sqq.: **422.**
5, 1 sq.: **422.**
5, 4: **374.**
5, 13: **486.**

2 Petri.

1, 14: **486.**
3, 2: **274.**

Iud.

17: **274.**

Apoc.

1, 4 sqq.: **442.**
1, 10: **195.**
2, 1 sqq.: **442 471.**
2, 2: **274.**
3, 7: **369.**
18, 20: **274.**
21, 14: **274.**

INDEX NOMINUM ET RERUM.

(Numeri sunt marginales.)

Abercius episcopus 431 445; epitaphium 446.
Abraham 36.
Actus apostolorum: de communismo christ. 162; de Regno Dei universali 231; de apostolatu: notio 273 291 sqq.; Barnabae 293 sqq., Pauli 296 sqq.; de constitutione Ecclesiae universalis 402 sqq.; particularis 412 sqq.
Actus Pauli apocryphi de commoratione Petri romana 491.
— Petri apocr. de Matth. 16, 17: 352; de commoratione Petri romana 491.
Adam, K. 326 377 481 542.
Addai 441.
Advenae cf. Proselyti.
Adventus alter Christi 115 sqq.
Adv. aleatores libellus de Petri episcopatu 504; primatu 533.
Aeternitas Foederis Veteris 49 175 sqq.
Agape (ἀγάπη) apud Ignatium Ant. 516.
Alès, Ad. d' 506 542.
Alexander episcopus Caesareae 446.
Alexandria sedes episcopalis 450 453; catalogus episcoporum 453.
Allard, P. 165.
Allgeier, A. 456.
Amos de Regno Dei 47.
Anacletus episcopus romanus 455.
Anchialus sedes episcopalis 448.
Ancyra sedes episcopalis 446.
Andrews 234.
Angeli ecclesiarum 442.
Anglicani 317 577 598.
Anicetus episcopus romanus exercet primatum 523.
Antiochia ecclesia christiana 294; origo 414; sub auctoritate apostolorum 402; catalogus episcoporum 444 453; condicio historica 540.
Antisemitae 168.
Aphraates de Matth. 16, 17 sqq.: 351.
Apocalypsis: notio 62; Apoc. Io. de Duodecim 265; de apostolis 274; de ecclesiarum constitutione 442 471.
— synoptica 115 sqq.
Apocalypsis Baruch apocr. 63; de Messia 73; de Regno Dei universali 208.
Apocryphus liber: notio 61; V^{is} T^{i} 62 sqq.; de Regno Dei 65 sqq.
Apollinarius episcopus hierapolit. 438.
Apollo 301.
Apologiae ut fontes 431.
Apostolatus 249 sqq.; conceptus apostolatus 307 sqq.; variae sententiae 309; Duodecim 250 sqq.; relatio ad Christum 285; iudaicus 280 sqq. eiusque relatio ad christianum 284; Pauli apostolatus 287 sqq., sec. Act. 291 sq., sec. Paulum 302 sqq.; signa sec. Act. 295, sec. Paulum 304 306; interpretatio historica 310.
Apostoli, de voce 278 sqq. 300; vocatio Duodecim triplex 255; sensus nominis 257 269; instituti a Christo 271 sqq.; Paulus apostolus 287 sqq.; apostoli sensu strictiore et latiore 300; praerogativa prae episcopis 458 472; auctoritas universalis 402 406, ut talis agnita 418.
Apostoli duodecim, quid sentiant de Messia 99, de fine mundi 116; relatio ad Regnum Dei externum 146 148.
— falsi 305; iudaici 280 sqq.
Apostolica (-um, -i) traditio 383 429; scripta 389; doctrina 398; successio 429 464 sqq.; tempus 384; Patres 389.
Apostolicitas, vinculum unitatis 402 406 429; idea praevalens saeculi II 541; nota Ecclesiae 574 585 592.
Arbela 431; sedes episcopalis 441 445; chronica 431 sq. 441 445 479.
Archiva profana, iudaica, christiana 481, nota 1.
Arens, B. 631.
Aristeae epistula 209.
Aristidis Apol. de V^{e} et N^{o} T^{o} 198; de universalitate Regni Dei 232.
Ascensio Isaiae apocr. de Petri commoratione romana 490.
— Mosis cf. Assumptio Mosis.

Assumptio Mosis apocr. 63 71 172 208.
Athenae sedes episcopalis 448.
Auctoritas 313; notio, indoles, divisio 315; apostolorum 312 sqq.; universalis 401 sqq.; iudaica a christianis non agnita 426.
Augustinus: de V^{e} T^{o} 169 200 sqq.; de catalogo episcoporum romanorum 454; de Ecclesia ut miraculo perenni 533.

Bainvel, I. V. 631.
Baldensperger, W. 58 108 132.
Baptismus 126; ut vinculum unitatis 400.
Bardenhewer, O. 234 286 456 481 506 542.
Barnabae condicio 293; apostolatus 293 sqq. 414 sqq.; epistula de voce Regni Dei 131; de V^{e} et N^{o} T^{o} 198 sq.; de Regno Dei universali 232; de Duodecim 266; de apostolatu 277.
Barth, K. 322.
Bartmann, B. 30 125.
Baruch apocal. apocr. 63 73 208.
Batiffol, P. 18 201 286 309 326 341 sq. 393 409 481 542 571.
Bauer, Ad. 481 488 506.
— G. L. 631.
— W. 286 393.
Bea, A. 58 201.
Beatitudines 140.
Behm, I. 165 201.
Bellarminus, B. Rob.: de Regno Dei 17; de V^{e} T^{o} 169 201; de visibilitate Ecclesiae 329; de notis Ecclesiae 579 586 609.
Belser, I. 542.
„Benedictus“ hymnus 91.
Benz, K. 201.
Bertholet, A. 81.
Bêth-Zabdhai sedes episcopalis 441 445.
Beurlier, E. 631.
Bigelmair, A. 165 451.
Bludau, A. 201 542.
Boehmer, H. 506.
— I. 31.
Bossuet, W. 341.
Brander, V. 326.
Brandis, C. G. 342.
Braunsberger, O. 631.
Brière, Y. de la 30 118 132 150 361 571 631.
Brüll, A. 481.
Bruders, H. 18 19 286 309 311 377 393 481 542.
Bürckstümmer, Chr. 559 sq.
Bultmann, R. 348 361.

Caesarea Philippi 365.
Caesareus cultus 617 631.
Callistus episcopus romanus primatum exercet 526.
Calvinus de notis Ecclesiae 577.
Canon V^{is} T^{i} 33.
— Muratorianus de commoratione Petri romana 490; cf. 519.
Canonicitas libri, notio 61.
Caritas 140 147; ut vinculum unitatis 399; exercita in Ecclesia 481, nota 4.
Carthago sedes episcopalis 450.
Caspari, C. P. 542.
Catacumbae ad S. Sebastiani 494.
Catalogi Duodecim 258 262; episcoporum 453 465.
Catechismus Luther maior, de Ecclesia 555.
— genevensis 598.
Catholicitas cf. Universalitas ut nota 583 588 594.
Cathrein, V. 165.
Cavallera, F. 2.
Cephas et Petrus apud Paulum 408.
Certitudo historica 16.
Chapman, J. 506 542.
Chapot, V. 451.
Charismata in 1 Thess.: 420; in Ecclesia 590; signum fecunditatis Ecclesiae 629.
Charismatica organisatio Eccl. 387 561.
Charles, P. 326.
— R. H. 81.
Chazzan, minister synagogae 425 sqq.
Cheirotonein (χειροτονεῖν) 415 426.
Christ, W. v. 506.
Christiani nomen 396.
Chronica Arbelae 441.
— Edessae 444.
Chronographus anni 354: 493.
Cladder, H. I. Praefatio 26 103 118 132 201 234 326 342 361 377 409 432.
Claves, potestas clavium 369.
Clemen, C. 81 506.
Clemens Alexandrinus: de presbyteris 423; de episcoporum institutione apostolica 463, indole 477.
— Romanus: epistula I: de Regno Dei universali 232; de apostolis 277; de Ecclesia ut corpore 409; de presbyteris, episcopis, diaconis 423 sqq.; de episcopatus iure divino 469 sq.; de relatione inter apostolatum et episcopatum 473; de idea successionis 478; de collatione iurisdictionis 479; de primatu romani episcopi 514; — epistula II: de episcopis 475.
Cletus episcopus romanus idem ac Anacletus? 455.

Codex Theodosianus de apostolis iudaicis 282.
Collegium Duodecim 257 sqq.; episcoporum in ecclesiis particularibus? 459 sq.; trium apostolorum Petri, Ioannis, Iacobi 258.
Comites sacri (ἱεροπόμποι) 283 300.
Commercium cum ecclesia romana epistulare 519, personale 520.
Communismus alienus a doctrina christiana 159 sqq.
Computatio secundum episcopos romanos 522.
Conciliarismus 547.
Confessio Augustana de Ecclesia 554.
„Confessio Petri" in aede vaticana 495.
Conservativi protest. theologi de Regni Dei indole externa 133; de potestate Ecclesiae 317 386 556 sqq.
Constitutio, quid sit 236; Ecclesiae 237; Iudaeorum tempore Christi 323 sq.; synagogae 324; hierarchica Ecclesiae universalis tempore apostolico 394sqq., postapostolico 482 sq.; ecclesiae particularis tempore apostolico 410 sqq., postapostol. 433 sqq.
Consummatio saeculi 116 sqq.
Corinthus sedes episcopalis 448.
Cornelius episcopus romanus primatum exercet 529 533; de romana ecclesia 539.
Cornely, R. 58 103 165 201 234 393.
Corpus Christi (mysticum) 149 232 391 sqq. 404 sqq. 410 535 541.
Corssen, P. 201 506.
Cremer, H. 26 31 342.
Critici cf. Liberales theologi.
Cultura, relatio ad Ecclesiam 605; ut fructus naturalis Ecclesiae 630.
Cultus V^{is} T^{i} abrogatus 186.
Cyprianus episcopus carthag. testis Matth. 16, 17 sq.: 352; de collatione iurisdictionis 480; de Petri episcopatu romano 504; de primatu episcopi romani 528—532; de propagatione Ecclesiae 616 sq.

Daemones expellere 124.
Dahlmann, I. 631.
Dalman, G. 31 81 132 326 377.
Damasus papa de Petri commoratione romana 494.
Dausch, P. 165.
David 44 sqq. 53.
Debeltum sedes episcopalis 448.
Decem (apostoli) 262.
Dechamps, V. A. I. 610 631.
Decius imperator testis primatus 533.
Deissmann, A. 342.
Delitzsch, F. 201.
Dell, A. 361.
Demetrius hist. iud. 60.
Democratica organisatio Ecclesiae 385 394 545 551 556 sqq.
Denzinger, H., Praef.
Deuterocanonici libri 61.
Diaconi cf. Septemviri; usus vocis 425; in ecclesiis particularibus 421.
Diatessaron 346 351.
Didache, quando scripta 389; de voce Regni Dei 131; de V^{e} et N^{o} T^{o} 199; de universalitate Regni Dei 232; de Duodecim 266; de apostolis 277; de Matth. 18, 18: 318; de unitate christianorum 409; de episcopis 424 474; fons temporis postapostolici 431; de collatione iurisdictionis 479.
Didiot, J. 631.
Didrachma 283.
Diekamp, F. 506.
Dieringer, F. X. 631.
Diognetum, epistula ad, de V^{e} et N^{o} T^{o} 198; de Regno Dei universali 232.
Dionysius episcopus alexandrinus de primatu 527.
— episcopus corinthius 431; epistulae 439 448; de Petri commoratione romana 490; de primatu 523.
Discipuli, qui sint 250, Christi 251, Io. Bapt. et pharisaeorum 253; vox 286.
Dittmar, W. 58 201.
Divites non exclusi a Regno Dei 161 sqq.
Dobschütz, E. v. 165 286 432.
Doctrina apostolica ut vinculum unitatis 398.
Dogma quid sit 2.
Dogmaticus tractatus 2.
Dölger, F. I. 456.
Dorsch, E. 481.
Duchesne, L. 455 sq. 506.
Duensing, H. 506.
Duodecim qui sint 257.
Duodenarius numerus apostolorum 258; unde sit 268.
Dunin-Borkowski, St. v. 18 19 31 201 326 393 409 426 481 571.

Ebionaei de apostolis 277.
Ecclesia: tractatus de E., obiectum 1 sqq.; ratio 5, ordo procedendi 7 sqq., methodus 14 sqq.
„Ecclesia iudaica" 341.
Ecclesia primitiva de indole Regni Dei transcendentali 128 sqq., externa 149, mere religiosa 158 162 sqq.; de V^{e} et N^{o} T^{o} 194 sqq.; de universalitate Regni Dei 232; de Duodecim 265; de apostolis 277.

Ecclesiae constitutio, tract. de 235 sqq.; relatio E. ad Regnum Dei 238 sqq.; institutio E. 246 sqq.; status triplex 246 330; de voce E. et usu profano, iudaico, christiano 336; in ore Christi 337 sqq. 397; de constitutione E. universalis temp. apostolico 394 sqq., postapostolico 482 sqq.; de constitutione ecclesiae particularis tempore apostolico 410 sqq., postapostolico 433 sqq. — De E. nunc exsistente, dignoscenda notis 575 sqq. vel per se ipsa 599 sqq.
Edessa sedes episcopalis 444.
Ehrhard, A. 506.
Eleemosynae 161 163 399.
Eleutherus primatum exercet 523.
Empirica via ad dignoscendam Ecclesiam 599 sqq.
Ephesus sedes episcopalis 447; episcopi ephes. accersiti a Paulo 415.
Ephraem testis Matth. 16, 13 sqq.: 346 351.
Epiphanius de apostolis iudaicis 282; de catalogis episcoporum roman. 454.
Episcopus: usus vocis 424; in Ecclesia 458; munus in Ecclesia tempore apostolico 416 420 sqq., posteriore 424; monarchicus 434 sqq. 459; indoles iuridica et hierarchica 457 sqq., apostolica 462 sq. 472 sq., divina 464 sqq.; munera obeunt apostolica 472 sq.; relatio ad apostolos 458; catalogi 453 sq. 465 sq.
Epistula apostolorum de Regno Dei universali 232, de Duodecim 267, de episcopis 476.
Epistulare commercium cum ecclesia romana 519.
Erbes, K. 506.
Ernst, I. 542.
Eschatologicum Regnum Dei 109 sqq.
Eschatologistae 9; extremi 108 114 203 223 sqq.
Esdrae lib. IV apocryph. 63, de Messia 72, de Regno Dei universali 208.
Esser, G. 542.
Eucharistia: institutio 192 sqq.; vinculum unitatis 400; medium sanctitatis 626.
Eumeneia sedes episcopalis 446.
Eupolemus hist. iud. 60.
Euringer, S. 361 377.
Eusebius Caesar.: de apostolis iud. 282; de patriarcha iud. 286; de tempore postapostolico 431; de successione episcoporum 452 sqq. 465; de episcopatu Petri romano 497; de propagatione Ecclesiae 612.
Evangelia canonica ut fontes historici 82 sqq. 243; quo tempore composita 84; de ideis messianicis 82 sqq.; de Regno Dei 104 sqq.; de primatu Petri 362 sqq., episcopi romani 513.
Evangelistae, auctores evangeliorum, de collegio Duodecim 262.
— missionarii 300 sq.
Evolutio dogmatica primitiva („Gemeindetheologie") 347 358.
Excommunicatio iud. 321 325.
Externa indoles Regni Dei 143 sqq.
Extracanonica testimonia de Regno Dei 59 sqq.

Fabianus primatum exercet 529 533.
Fabre, M. A. 456.
Facta historica messianica 77; Christi, quae ostendunt indolem externam Regni Dei 148.
Fecunditas Ecclesiae 624 sqq.
Feder, A. 19.
Feine, P. 234.
Felder, H. 17 81 132.
Felten, I. 58 81 201 234 286 326 426.
Festa in honorem Petri 493.
Ficker, G. 423.
Fidei professio 145.
Fides requisita a Christo 142.
Fillion, L. Cl. 132.
Firmilianus episcopus Caesar. de episcopatu Petri romano 504; de primatu rom. episcopi 532.
Flavius Iosephus 34 58 60; de theocratia 34 58; de Messia 74; de V° T° 173 209 211; de constitutione Israel 323; de proselytis 456.
Flemming, I. 596.
Foedus 37 157; sinaiticum 38 sqq.; liber foederis 40; renovatio 49; vetus cf. Vetus Testamentum.
Fonck, L. 361 423.
Fontes de Regno Dei 62 sqq. 82 sqq. 106; de Ecclesiae institutione 248; temporis apostolici 388 sqq.; postapostolici 431.
Fragmentum Muratorianum de episcopatu 463.
Franzelin, I. B. 17 30 542.
Fraticelli de Ecclesia 545.
Fratres Domini 301.
Friedländer, M. 201.
Frings, I. 30 103 132 150 165 201.
Funk, F. X. 481 506 542.
Fundamentalis theologia 3 14 sqq.
Fundamenti metaphora 367.

Gaius de Petri commoratione romana 492.

Gams, P. G. 456.
Geffcken, I. 631.
„Gemeindetheologie“ 245 318; quid sit 347; reicitur 359 sq.
Génouillac, H. de 481.
Genuinitas effatorum Christi litteraria et historica 345; relate ad universalitatem Regni Dei 222 sqq.; ad Matth. 28, 18 sqq.: 225; ad electionem apostolorum 257 sqq.; Matth. 18, 18: 318; Matth. 16, 17 sqq.: 344 sqq.; Io. 21, 15 sqq.: 372.
Gillmann, F. 481 571.
„Gloria“ hymnus angelicus 93.
Goetz, K. G. 348 361.
Goodspeed, E. I. 234.
Grabmann, M. 631.
Grafe, E. 168 201.
Granderath, Th. 542 631.
— -Kirch 631.
Grandmaison, L. de 234.
Grill, I. 346 361.
Grisar, H. 571.
Groot, I. V. de 17 598.
Grupp, G. 165.

Haase, F. 286.
Haeretici Romam petunt 521.
Hagen, M. 58 103.
Häring, Th. 58.
Harnack, A. v. 30 81 132 133 150 168 201 203 234 270 286 309 322 342 346 361 393 452 456 506 542 563 ad 568 571 631.
Hase, K. v. 571.
Hasmonaei cf. Machabaei 55.
Haupt, E. 132 286 309.
„Hausgemeinde“ 336.
Haussleiter, I. 377.
„Haustafel“ 163.
Hebraeorum evang. apocr. 351.
Hegesippus 431; de episcopatu 439 466; de catalogo episcop. romanorum 454; de Petri episcopatu romano 500; de primatu episcopi romani 522.
Heimbucher, M. 201 631.
Heinisch, P. 234.
Heinrich, I. B. 598 610 631.
Hellenismus 54 sqq.
Hennecke, E. 81 132 361 456 506 631.
Hennig, M. 631.
Henoch apocalypsis apocrypha 62 66 208.
Herbigny, M. d' 17 30 150 322 326 361 451 481 542 598 631.
Hergenröther-Kirsch 201 506 571 631.
Herrmann, A. 456.
Hertling, G. v. 31.
Herzog-Hauser, G. 631.
Hettinger-Weber, S. 631.
Hetzenauer, M. 58.
Heuvers, H. 631.
Hierapolis sedes episcopalis 446.
Hierarchia, quid sit, divisio 316; iurisdictionis 316; in Ecclesia 317.
Hierarchica potestas apostolorum 313 sqq.; organisatio Iudaeorum 323; Ecclesiae universalis 394; ecclesiarum particularium 410 sqq.
Hieronymus de V^{e} T^{o} 200 sq.; de apostolis iud. 282.
Hieropolis sedes episcopalis 446.
Hierosolyma destructa 115 sqq. 186 188.
Hierosolymitana ecclesia: constitutio 412, episcopalis 443; catalogi episcoporum 443 453.
Hilgenfeld, A. 542.
Hippolytus Romanus de ideis messianicis iud. 64 76; de Petri commoratione romana 492 et episcopatu romano 503; de primatu 526.
Historica methodus 14 sqq.; certitudo 16; valor hist. fontium 390.
„Hochkirche“ 317 326 461 481.
Holl, K. 426 455 sq.
Holtzmann, H. I. 203.
Höpfl, I. 103 201.
Hühn, E. 58 201.
Hülsen, Chr. 506.
Hus de Ecclesia 546.

Iacobus frater Domini 301; auctor epistulae canonicae 383 393; episcopus hierosolym. 413 442 sq. 453 471.
Jacquier, E. 234 542.
Iahve 38; rex Israel 41.
Jalabert, L. 506.
Iamniense tribunal iud. 323.
Iason Cyrenaeus 60.
Idolothyta 303.
Jerphanion, G. de 506.
Ierusalem 115 sqq. 186 188.
Iesus Christus: quo sensu intellegat Regnum Dei 86 105 sqq.; rex 122 129 156; Messias 112; reiectus ab Israel 97 101 155; adventus duplex 112 115 sqq.; de V^{e} T^{o} 167; instituit N^{um} T^{um} 190 sqq.; de universalitate Regni Dei 213 sqq.; eius vita 239 sqq.; relatio ad apostolos 285; instituit Ecclesiam 246 sqq.
Ignatius Antiochenus quando scripsit 389; de voce Regni Dei 131; de V^{e} et N^{o} T^{o} 198 sq.; de universalitate R. D. 232; de apostolis 277; de unitate christianorum 409; de presbyteris, episcopis, diaconis 423 sqq.; quo sensu utatur voce Ecclesiae 426;

de organisatione episcopali 440; de indole episcopatus 467 sqq. 472; de Petri commoratione romana 489 et episcopatu romano 499, de primatu 515 sq. 568.
Immisch, O. 348 361.
Impositio manuum 294.
Inaequalitas iuris socialis 315 sqq.
Indefectibilitas Ecclesiae 368 378 sqq. 621 sqq.
Institutio N^{i} T^{i} 192 sqq.; Ecclesiae 246 sqq.
Interpolatio Matth. 16, 17: rationes 353; fieri non potuit 354.
Intolerantia Ecclesiae 615.
Invisibilitas Ecclesiae 329.
Ioannes apostolus testis institutionis Ecclesiae 334, primatus Petri 373, perennitatis Ecclesiae 381, episcopatus 442, hierarchiae 471 473, commorationis Petri romanae 486.
Ioannes Bapt. adhibet vocem Regni Dei 85, ut Elias 92 123; quid censeat de Messia 92 123, quid Christus de eo 93.
Iosephus, pater Christi nutritius; dubium 93.
— ab Arimathaea 102.
— Flavius cf. Flavius.
Irenaeus episcopus lugdunensis 449; de Matth. 16, 17 sqq.: 352; fons temporis postapostolici 431; de presbyteris 423, episcopis 424 437, qui ab apostolis instituti 463, iuris divini sunt 466; catalogi episcoporum 466; de Petri episcopatu romano 501; de episcopis romanis 437, eorum catalogo 454, primatu 520 sqq.; de collatione iurisdictionis 479; paces componit 524.
Isaias de Regno Dei 47 sqq.
Israel reiectus 188 sq.
Itinera romana 520 sq.
Iubilaeorum liber apocryph. 63; de Regno Dei 67, V^{e} T^{o} 172, universalitate 208.
Iudaei, fontes persecutionum 384 615 sq.; organisatio tempore Christi 323 sqq.; excommunicatio 325; auctoritas religiosa a christianis non agnita 426.
Iudaeochristiani 384.
Iudaistae fautores Legis 194; adversarii Pauli 289.
Iudices Israel 42.
Iudicium ultimum 117.
Iulianus apostata de apostolis iud. 282.
Iulius Africanus de catalogis episcoporum 452 465.
Iuridica indoles episcopatus 457 sqq.
Iurisdictio 315; cf. auctoritas, hierarchia; iurisdictionis hierarchia 316; de modo collationis 479 sq.
Ius divinum apostolorum 269 sqq. 313 sqq., episcoporum 464 sqq., Romani Pontificis 507 sqq.
Juster, J. 81 286 326 426 481 542.
Iustinus de Regno Dei 64; de ideis messianicis Iud. 76; de V^{e} T^{o} 169 172 199 211; de Duodecim 266; de apostolis 277; iud. apostolis 282; de Matth. 16, 17: 352; de episcopis 476; de propagatione Ecclesiae 614 616.
Iuvenalis 174.
Izates rex Adiabenes, proselytus 211.

Kalthoff, A. 165.
Kastner, K. 456.
Kattenbusch, F. 349 361.
Kaufmann, C. M. 456 506.
Kaulen-Hoberg 58.
Kautsky, K. 152 165.
Kautzsch, E. 81 234.
Kellner, K. A. H. 393 455 506 631.
Kenischta, synagoga 340.
Keppler, P. W. 165.
Kerygma Petri, de V^{e} et N^{o} T^{o} 198; de universalitate 232; de Duodecim 266; de apostolis 277; de primatu Petri 515; valor fontis 431.
Kiefl, F. X. 165.
Kirch, C. Praef.
Kirsch, I. P. 506 631.
Kittel, R. 58.
Kleutgen, I. 631.
Knabenbauer, I. 103 118 125 127 132 150 201 234 286.
Kneib, Ph. 132 598 631.
Kneller, C. A. 361 506 542.
Knopf, R. 286 506.
Koch, Heinr. 165.
— Hugo 506 542.
Koeniger, A. M. 542.
Köhler, W. 348 361.
Kolberg, I. 481.
König, E. 31 58 81 103 201 234.
Kopler, L. 201.
Köstlin, I. 326 556 sqq.
Kraetzschmar, R. 201.
Krebs, E. 598.
Krop, F. 30.
Krose, H. 631.
Krüger, P. 234.

Lagrange, M.-J. 26 31 58 81 103 118 127 132 150 201 234 326 340 342 377.
Laodicea sedes episcopalis 446.

Laqueur, R. 81.
Largent, A. 631.
Lebreton, I. 234 326.
Legati Pauli: hierarchici 419; auctoritate praediti 421.
„Legatus synagogae" 283.
Leipoldt, I. 165.
Leitoyrgein (λειτουργεῖν) 414.
Lepin, M. 103 201.
Leptogenesis seu l. Iubilaeorum 63.
LeQuien, M. 456.
Lex cf. Vetus Testamentum.
Libellus adversus aleatores: de episcopatu Petri romano 504; primatu 533.
Liber Pontificalis 455.
Liberales protestantes theologi: de Regni Dei indole eschatologica 108; externa 133; de relatione V^is ad N^um T^um 168; de universalitate Regni Dei 203; de apostolatu 270; de genuinitate Matth. 16, 17 sq.: 346 sqq.; de constitutione Ecclesiae 385; de primatu episcopi romani 511; quaedam sententiae 562 sqq.
Liberianus catalogus episcoporum romanorum 455.
Liebenam, W. 481.
Lietzmann, H. 326 342 423 494 506 542.
„Ligare et solvere" 321 370.
Lightfoot, I. B. 506.
Logia 223.
Loisy, A. 30 108 132 238 245.
Lübeck, K. 451.
Lugdunum sedes episcopalis 449.
Lütgert, W. 30 132.
Luther, M. 329; doctrina de Ecclesia 548 sqq.; de ecclesia invisibili 552; Catechismus maior 555.

Macarius Magnes: de apostolis iudaicis 282; de Matth. 16, 17 sqq.: 352.
Machabaei 55.
Mach. lib. IV apocryph. 60.
Magisterium apostolorum 276.
„Magnificat" hymnus 93.
Mahometanismus 617.
Mamachi, Th. M. 456.
Manus imponere 294 426.
Marci Ev. testis commorationis Petri romanae 485.
Marcion de Duodecim 266; de apostolatu 277; de primatu episcopi romani 518.
Maria B. V., Mater Domini, de Messia 93; conservat verba de Christo 94; relatio ad Ecclesiam 626.
Maroto, Ph. 326 451 481.
Marsilius Patavinus 545.
Martyres 590 604; fructus Ecclesiae 628.
Martyrium Polycarpi de Regno Dei universali 232.
Marucchi, O. 506.
Matthaei Ev. genuinitas 222 sqq. et dispositio 239 sqq.; adhibet vocem Regni caelorum 26; de institutione Ecclesiae 331 sqq.
Matthiae electio 291.
Maurenbrecher, M. 152 165.
Mausbach, I. 631.
Mediolanum sedes episcopalis 449.
Meffert, F. 165.
Meinertz, M. 103 118 125 132 234.
Merk, A. 103 127 132 150 201 234 245 286 361 377 393.
Merx, A. 103.
Mesnage, P. J. 456.
Messel. N. 132.
Messianicae ideae tempore Christi 78 earumque origo 79 sq.; quid de iis in Evv. 85 sqq.
Metropolitana organisatio Ecclesiae 436 451.
Metzner, E. 571.
Meyenberg, A. 201.
Meyer, Ed. 81 234 342 393.
— F. 571.
Michalcescu, J. 571.
Michiels. A. 326 424 426 456.
Migne, J. P. 81.
Miller, K. 456.
Mirbt, C. 542.
Mischna 64; de Messia 75; de V^e T^o 172 177; de universalitate 211.
Missio Duodecim 275 sqq.
Missiones exterae 221.
Modernistae 133; contra Ecclesiae perennitatem 379 385, primatum 511.
Monarchica potestas 363.
Monnier, H. 270 286 309.
Montanismus adv. Ecclesiae perennitatem 379; reiectus a synodis 438.
Moran, W. 426.
Moses 39.
Müller, C. 81.
— E. F. K. 598.
— I. 631.
— K. 571.
— -Kolde 571.
Muncunill, J. 481 598.
Munus doctrinale apostolorum 276.
Muratorianum fragmentum 61.

Nestle, E. 506 542.
Nicodemus 102.
Nicomedia sedes episcopalis 446.
Niederhuber, I. 31.
Nisibis 445.
Noguer, N. 165.

Nomina socialia christianorum 397.
Nostitz-Rieneck, R. v. 285.
Nota, quid sit 576; Ecclesiae secundum protestantes 577 586; verae 578 581 sqq.
Numerus catholicorum, christianorum 588 611.
„Nunc dimittis“ hymnus 94.

Obligationes Regni Dei cf. Regnum Dei ethicum 139 sqq.
Odae Salomonis, testes Matth. 16, 17: 352.
Oikonomos (οἰκονόμος) 377.
Oldenberg, H. 631.
Optatus Milevitanus de catalogis episcoporum romanorum 454.
Oracula Sibyllina 60; de Regno Dei 65; de V^{e} T^{o} 172; de universalitate 209.
Ordines religiosi signa sanctitatis Ecclesiae 627.
Ordo nominum duodecim apostolorum diversus 267.
Organisatio quid sit 236; populi Israel tempore Christi 323, posteriore 280 sqq.; Ecclesiae univers. 451 sqq.; eccl. particularium 410 sqq.
Origenes de patriarcha iudaico 280; de Matth. 16, 17 sqq.: 352; de episcopatu 477; de primatu 527.
Osee de Regno Dei 47.
Ottiger, I. 17 201 498 506 542 598 631.

Palut episcopus Edessae 444.
Papias fons temporis postapostolici 431; de logiis Domini 234; de presbyteris 423; de romana Petri commoratione 490.
Parabolae de Regno eschatologico 116, praesente 122, interno 136, externo 146, religioso 157, universali 217.
Particulares ecclesiae, quae sint 391 411; relatio ad Ecclesiam universalem 392 410; constitutio tempore apostolico 412 sqq., postapostolico (episcopi) 427 sqq.
Pascha, controversia de die celebrando 435 524.
Passaglia, C. 17.
Pastor Hermae 61; de Duodecim 266, apostolis 277, presbyteris et episcopis 423 sq.; de Clemente Romano 469; de primatu 519.
Pastorales epistulae Pauli 421 471.
Pastoris metaphora 23 320 374.
Patres apostolici de Regno Dei 131.
Patriarcha iudaicus 280 323 sq.
Paulinae ecclesiae 402.
Paulsen, F. 571.
Paulus apostolus 287 sqq.; condicio 102 296; vocatio et missio 297 sqq. 300 sqq., ad apostolatum universalem 305, sensu technico 305; auctoritate utens 416 sqq. 418; relatio ad Petrum 403 407 sq.; fundator ecclesiarum 414 sqq.; testimonium de Regno Dei praesente 129, externo 149, religioso 158; de communismo 163; de V^{e} T^{o} 169 195 sqq., proselytis 212, universalitate 227 sqq., Duodecim 258 265, apostolis 274 404, perennitate Ecclesiae 382, eius organisatione universali 396 sqq. 404 sqq., particulari 416 sqq., primatu Petri 407 sq., successione apostolica episcoporum 471.
Pekîdhâ episcopus Arbelae 441.
Perennitas Ecclesiae 378 sqq. 621 sqq.
Perfectio christiana 139 sqq. 624 sqq.
Persecutiones Ecclesiae 430 616 sq. 621 628.
Pesch, Chr. 17 58 201 286 481 506 598 631.
Petrae metaphora 367.
Petri testimonium de Regno Dei religioso 158, apostolatu 274, organisatione ecclesiarum partic. 422, commoratione sua romana 486.
Petrus apostolus: primatus 343 362 sqq. 403 407, commoratio romana 484 sqq., episcopatus romanus 497 sqq., imagines 505, relatio ad Paulum 403 502 505.
Pharisaei, qui fuerint 95; quid de Messia 101 104; reiciunt Ioannem Bapt. et Christum 101 124; postulant signa 97 101 104; a Christo reiecti 184.
Philippi sedes episcopalis 448.
Philo 60; de Messia 174; de V^{e} T^{o} 173; de universalitate Regni Dei 209 211.
Phlegon de commoratione Petri romana 490.
Pirqe abôth 25 75.
Pius IX de notis Ecclesiae 580 594.
Pneumatica-charismatica organisatio Ecclesiae 387 561; cf. 569.
Poland, F. 342.
Politicum Regnum Dei 151 sqq.
Polycarpus de Regno Dei 131; de apostolatu 277, presbyteris et diaconis 423 sq., episcopis 475.
Polycrates episcopus ephesinus 447; de episcopis 437; Petri commoratione romana 492; primatu 524.
Pontificalis liber 455.
Porphyrius (?) philosophus ethnicus 352.
Portae inferi quae sint 368.

Poschmann, B. 542.
Potestas socialis 312 sqq., apostolis data 321, hierarchica 316, clavium 369, monarchica 363.
Pothinus episcopus lugdunensis 449.
Praedicationis evangelii Ecclesiae ius 221.
Praepositi ecclesiarum locales 420 sqq.
Prat, F. 132 409 423.
Presbyteri iudaici 324 423, ethnici 423, christiani 413 sqq. 420 sqq. 423; titulus honorificus 423.
Preysing, K. 542.
Primatialis nota Ecclesiae 574.
Primatus, conceptus 362 sq.; promissus Petro 365 sqq. et collatus 372 sqq. 403 407 sq.; episcopi romani 482 sqq.; eius idea 540, ratio 541, exercitium 523 535.
Proletarii, primi christiani? 152.
Propaganda iudaica 210 sqq.
Propagatio Ecclesiae mirabilis 611 sqq.
Prophetae munus 45 sq.; de Regno Dei 47 sqq., universali 207.
Proprietas privata in Regno Dei 161 sqq.
Proselyti 174 210 sqq.
Protestantium sententiae de Regno Dei externo 133; de Ecclesia 317 346 sqq. 385 sqq. 461 484 510 sq. 543 sqq.
Provinciae ecclesiasticae 436 451.
Psalmi Salomonis apocryphi 63; de Regno Dei 69; de V^{e} T^{o} 173.
Pseudepigraphi libri 61.
Pseudo-Eusebius de Xysto 517.
Puritas levitica 170 sqq. 186 195 sqq.

Qahal qehala (ecclesia) 340.

Rabbinorum libri 25; de Messia 75, de V^{e} T^{o} 172.
Raich, M. 234.
Ramsay, W. M. 456.
Rauschen, G. 542.
—-Wittig 481.
Ravenna sedes episcopalis 449.
Reatz, A. 30.
Rebaptizandi haeretici 531 sq.
Redemptio Christi 136 sqq. 158.
Regnum caelorum et Regnum Dei 25 sq.
— Dei: tractatus de 7 sqq.; de voce Regni Dei 23 sq., conceptu 27 sqq., sensu messianico 85 sqq.; secundum Christum transcendentale 114 sqq. et praesens 121 sqq.; internum 135 sqq., externum 143 sqq., religiosum, non politicum 154 sqq.; V^{i} T^{o} substitutum 166 sqq.; universale 202 sqq.; eius relatio ad Ecclesiam 238.
Reichmann, M. 631.
Reinach, Th. 201.
Religio, conceptus varii 143.
Religiosa indoles Regni Dei 152 sqq.
Resch, A. 346 361.
Revelatio christiana 4 sq.
Rex Israel Iahve 41; reges humani 43 sq.
Riggenbach, E. 234.
Ritschl, A. 133.
Rohr, I. 118.
Roiron, X. 409.
Roma: sedes episcopalis Petri 484 sqq. 497 sqq. 506; coniuncta cum primatu 508 sq.
Romana sedes 508, coniuncta cum primatu 509; condicio historica 539.
Romani episcopi, presbyteri ab Irenaeo vocati 437.
Romanus Pontifex, episcopus romanus ut primas Ecclesiae 483.
Rose 125.
Rost, H. 631.

Sabatier, A. 133 150 562 571.
Sabbatum 170 sqq. 179 185.
Sachau, Ed. 432 456.
Sacramenta media sancta 584 626.
Sacri comites (ἱεροπόμποι) 286 300.
Sacrificium Missae 584 626.
Sadducaei 95; de Messia 100.
Saeculum (αἰών) 109.
Salomonis psalmi apocr. 63 208.
Salus animae 136 sqq.
Sancti 397; canonizati 590.
Sanctitas Ecclesiae 584 589 595 605 624 sqq.
Sardes sedes episcopalis 447.
Saulus 294; cf. Paulus.
Savio, F. 456.
Schaefer, A. 103.
—-Meinertz 393 481.
Schanz, P. 127.
Schechter, S. 81.
Scheel, O. 393.
Schema 75 177.
Schemone esre 64; de Messia 75; de V^{e} T^{o} 177; universalitate 211; contra christianos 409.
Schermann, Th. 286.
Scheurlen, P. 201.
Schiffini, S. 631.
Schlatter, A. 81 201 326.
Schleiermacher, F. E. D. 133.
Schmidt, K. 234 286 476 481 506.
— Tr. 409.
Schmidtke, A. 361.
Schnitzer, I. 108 132 361.
Schubarth, W. 456 481.

Schulte, A. 58.
Schultes, R. 598.
Schumacher, H. 201.
Schürer, E. 31 58 81 103 234 286 326 342 377 409 426 506 542.
Schütz, Rol. 258 270 286.
Schwartz, E. 452 481 506.
Schweitzer, A. 108 132 165.
Scribae 53 95; de Messia 101; inimici Christi 101 sq.
Seeberg, R. 542 571.
Seitz, A. 81.
Selbst, F. 58.
Semson (Simson) episcopus Arbelae 441.
Seneca 212.
Sententiae protestantium de Ecclesia 543 sqq.
Seppelt, F. X. 18.
Septemviri (diaconi) 412.
Serapion episcopus antiochenus 438 465.
Sermo montanus Christi 139 sqq.
Sermones in EvMatth. 223.
Servus Iahve 48.
Seufert, W. 258 286 309.
Sibyllina oracula 60 65.
Sickenberger, I. 361.
„Signum" (σημεῖον) Messiae a pharisaeis petitum 97 101 104.
Simeon senex de Messia 94.
Sinaiticum foedus 38.
Sinope Ponti sedes episcopalis 446.
Smyrna sedes episcopalis 447.
Socialis indoles Regni Dei 143 sqq.
Socialistae de Regno Dei 152.
Societas, quid sit 27 235 sq.; eius causae 314, origo 237, divisio 314; soc. perfecta 326.
Soden, Hans v. 270 393 569 sq.
— Herm. v. 24 352.
Sohm, R. 387 393 561 571.
Soiron, Th. 201 326.
Soltau, W. 346 361.
„Solvere (et ligare)" 182 321 370.
Spáčil, Th. 377 542 571 598.
Stabilitas Ecclesiae 604 621 sqq.
Staerck, W. 81.
Statistica religiosa 611, moralis 631.
Status Ecclesiae triplex 246.
Statuta Novi Foederis, lib. apocr. 63; de Regno Dei 70; de V^e T^o 172; universalitate 208; de organisatione Iudaeorum 324; constitutione simili Ecclesiae 326.
Steffen, F. 456.
Stein, A. 631.
Steinmann, A. 165 456.
Stephanus episcopus romanus primatum exercet 530—533.
Strack-Billerbeck 31 103 326 342 377.
Straub, A. 17 201 506 598 631.
Styger, P. 494 506.
Suarez, F., de V^e T^o 169 201.
Successio, quid sit 458; quo sensu adhibita 465 478; apostolica episcoporum 464 sqq., exhibita in catalogis episcoporum 452 sqq. 465 sqq., ab Hegesippo 500; argumentum traditionis 522.
Sulzbach, A. 348 361.
Summus sacerdos Iudaeorum praeses synedrii 323.
Symbolum apostolicum 519.
Synagogae constitutio 324; vox 336.
Synedrium Iudaeorum 323 423.
Synodi habitae in controversia de celebrando paschate 435.
Syr. synait. de Matth. 16, 17 sq.: 331.
Székely, St. 81.

Tacitus de Iudaeis 174.
Talmud de Messia 75; de V^e T^o 174; de universalitate 211.
Tanquerey, A. 631.
Tarsus sedes episcopalis 444.
Templum destruetur 115 sqq.
— et cultus V^is T^i abrogata 186.
Tempus apostolicum 384, postapostolicum 428.
Tertullianus de Matth. 16, 17 sq.: 352; fons temporis postapostolici 431; de organisatione episcopali 449 sq.; de indole apostolica episcopatus 463 477; de collatione iurisdictionis 479; de Petri episcopatu romano 503; de primatu 525; de propagatione Ecclesiae 616.
Testamenta XII patriarcharum apocr. 63, de Regno Dei 68, de V^e T^o 172. de universalitate 208.
Theocratia 28 34 153.
Theologia dogmatica 2, fundamentalis 3, christiana et ecclesiastica 5.
Theoria duorum fontium 223.
Thomas Aquinas, Doctor communis, de V^e T^o 169 200 sqq.; de Ecclesiae notis 578 608 631.
Tillmann, F. 58 103 201 361.
Timotheus Pauli discipulus et legatus 419.
Titus legatus Pauli 419.
Traditiones scribarum 184.
Transcendentale Regnum Dei 111 113 sqq.
„Trias" charismatica apostolorum, prophetarum, doctorum 564 571.

Ultimum iudicium 117.
Undecim (apostoli) 262.

Unicitas Ecclesiae 582.
Unitas Ecclesiae ut factum 396 sq.; externa 398 sqq.; organisata 401 sqq.; tempore postapostolico 429 436 535; ut nota Ecclesiae 582 587 594 604 618 sqq.
Universalitas Regni Dei 48 202 sqq., quo sensu 205, secundum documenta iudaica canonica 207, extracanonica 208, secundum voluntatem Christi 213 sqq.; Ecclesiae secundum Lucam et Paulum 392, missionis Pauli 304; ut nota (catholicitas) 583 588 607 sqq.
Universalis Ecclesia, quid sit, quae relatio ad particulares 391 sq.; organisatio tempore apostolico 394 sqq., postapostolico 482 sqq.

Vacandard, E. 542.
Vandenhoff, B. 377.
Vaticanum Concilium de primatu 377 537 sq.; de nexu inter sedem romanam et primatum 509 537 sq.; de notis Ecclesiae 597 601 sqq.
„Veteres"-catholici impugnant primatum 510.
Vetus Testamentum relate ad N^{um} T^{um} 166 sqq.; abrogatum 185 sqq.; impletum in N° T° 180 187.
Viae ad dignoscendam Ecclesiam 574.
Victor episcopus romanus dicitur intrusisse Matth. 16, 17 sqq.: 346; cogit synodos 437; exercet primatum 523 sq.
Viennae sedes episcopalis 449.
Vincula unitatis christianae: doctrina apostolica 398, caritas 399, cultus 400, auctoritas 401 sqq.
Virtuale testimonium historicum de Petri commoratione 493 sqq. et episcopatu romanis 505.
Visibilitas Ecclesiae 329.
Vogels, I. H. 24 234 286.
Vulgus de Messia 95 sqq.

Waal, A. de 506.
Waldenses de Ecclesia 545.
Walter, I. v. 165.
Weber, S. 631.
— V. 286.
— W. 286.
— W. 81.
Weinel, H. 132 165.
Weiss, I. 30 132 152 234 270 286 342.
— K. 118 127 132.
Weizsäcker, C. 286 309 393.
Wendt, H. 125.
Wernle, P. 322.
Wiclif de Ecclesia 546.
Wikenhauser, A. 81 165 234 311 342 393.
Wilmers, G. 17 201 598 631.
Wilpert, I. 505.
Windisch, H. 165.
Wissowa, G. 506.
Wittig, I. 505.

Xystus episcopus romanus ut primas 517.

Zacharias, pater Ioannis Baptistae, de Messia 90 sq.
Zahn, I. 598 631.
— Th. 81 165 286 326 340 342 377 393 423 456 506 542.
Zelotae 103.
Zenner, K. 58 103.
Zephyrinus episcopus romanus primatum exercet 526.
Zorell, F. 31 58 103 125 132 201 286 342.
Zoticus episcopus ortrenus 438.
— episcopus Comanae 438.
Zschokke-Döller 58.
Zwingli de notis Ecclesiae 577 598.

HERDER & CO. / TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII
FRIBURGI BRISGOVIAE

Cursus philosophicus in usum scholarum. Auctoribus pluribus Philosophiae professoribus in Collegiis Valkenburgensi et Stonyhurstensi S. J. Sex volumnia. 8°.

Quo „Cursu philosophico" hae partes comprehenduntur:

I. **Logica.** Auctore Carolo Frick S. J. Editio sexta, emendata. (XVI et 348 p.) *M* 4.50; relig. *M* 6.—

„... Expone su autor con mucha claridad y en latín sumamente fácil todas las cuestiones que corresponden a esta parte de la Filosofía, aun las de poca importancia, siquiera lo haga brevemente. ..." (La Ciudad de Dios, Madrid.)

II. **Ontologia** sive Metaphysica generalis. Auctore Carolo Frick S. J. Editio quinta. (X et 234 p.) *M* 2.50; relig. *M* 3.80

„... It is a full text *in usum scholarum,* in which the subject and its main divisions are clearly laid out, the definitions carefully constructed and adequately explained, the proofs forcibly and succinctly worked out, the objections stated with point, and answered tersely, but without the irritating defect of meagerness. The treatment is characterized throughout by *admirable precision.*
(The Dublin Review, London.)

III. **Philosophia naturalis.** Auctore Henr. Haan S. J. Editio tertia, emendata. (XII et 254 p.) (Nova editio praeparatur.)

„Mit seiner Bündigkeit und Gediegenheit der Lehre, mit seinem strammen logischen Aufbau und seiner sorgfältigen Sichtung der mannigfachen Theorien, mit seiner durchsichtig klaren Sprache ist es ohne Zweifel *eines unserer besten Textbücher für philosophische Vorlesungen.* (Korrespondenzblatt für den kathol. Klerus, Wien.)

IV. **Psychologia rationalis** sive Philosophia de anima humana. Auctore Bernardo Boedder S. J. Editio tertia, aucta et emendata. (XX et 476 p.) (Nova editio praeparatur.)

„Enixe commendamus hoc opus, ubi breviter, dilucide, ordinate disserit, ad mentem divi Thomae, de anima, de eius potentiis et operationibus et de eiusdem habitudine ad corpus. Non neglegit recenter physiologiae inventa ad intimius scrutandas animae operationes, quae semper et feliciter componere satagit cum doctrina Angelici Doctoris." (Ephemerides liturgicae, Romae.)

V. **Theologia naturalis** sive Philosophia de Deo. Auctore Bernardo Boedder S. J. Editio tertia, aucta et emendata. (XVI et 416 p.) *M* 4.20; relig. *M* 5.50

„Les qualités *de précision, d'ordre, de clarté,* avec lesquelles l'auteur expose dans la Psychologie la doctrine de saint Thomas, se retrouvent ici au même degré; le soin qu'il prend de réfuter les erreurs dans leurs formes les plus récentes y apparaît même davantage. ... Les élèves qui suivront ce cours, seront parfaitement préparés pour l'étude des maîtres de la théologie." (Polybiblion, Paris.)

VI. **Philosophia moralis.** Auctore Victore Cathrein S. J. Editio undecima et duodecima ab auctore recognita. (XVIII et 518 p.) *M* 5.50; relig. *M* 6.90

„*Difficilmente si potrebbe,* in forma relativamente così breve, *esporre in modo più chiaro e completo le dottrine tradizionali dell' etica cristiana,* avvicinate ai problemi che più urgono ai giorni nostri." (La Scuola Cattolica, Milano.)

Singulae partes etiam separatim veneunt.

O8-CCK-179